Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Johann Wilhelm Baier

Io. Guilielmi Baieri Theologi quondam de Ecclesia meritissimi Compendium Theologiae Moralis : Officia Hominis Christiani Tam Generalia Quam Quoad Singulos Ordines In Ecclesia Et Republica Specialia exhibens Et Ex Genuinis Principiis deducens Primum Ab Ipso Authore Edi Coeptum nunc post obitum eius e dictatis MStis Suppletum Et Multorum votis publicae luci datum

Jenae: Jenae: Bailliar: Litteris Mullerianis, 1698

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn821935313

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN

O. G. Tychsen
Altonae 1755
D. 30 Julii

f. h. – 3168 1.2.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn821935313/phys_0002
DFG

IO. GVILIELMI BAIERI

Theologi quondam de Ecclesia meritissimi

COMPENDIVM THEOLOGIÆ MORALIS

OFFICIA HOMINIS CHRISTIANI
TAM GENERALIA
QVAM QVOAD SINGVLOS
ORDINES
IN ECCLESIA ET REPVBLICA
SPECIALIA exhibens
ET EX GENVINIS PRINCIPIIS
deducens
PRIMVM AB IPSO AVTHORE EDI COEPTVM
nunc post obitum ejus è dictatis
MSTIS SVPPLETVM ET MVLTORVM
votis publicæ luci datum.

CVM GRATIA ET PRIVILEGIO S. ELECT. SAXON.

IENÆ,
Apud ERNEST. CLAVDIVM BAILLIAR
Litteris MVLLERIANIS.
clɔ Iɔc XCVIII.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn821935313/phys_0005
DFG

IO. GVILIELMI BAIERI

Theologi quondam de Ecclesia
meritissimi

COMPENDIVM
THEOLOGIÆ
MORALIS

OFFICIA HOMINIS CHRISTIANI
TAM GENERALIA
QVAM QVOAD SINGVLOS
ORDINES
IN ECCLESIA ET REPVBLICA
SPECIALIA exhibens
ET EX GENVINIS PRINCIPIIS
deducens
PRIMVM AB IPSO AVTHORE EDI COEPTVM
nunc post obitum ejus é dictatis
MSTIS SVPPLETVM ET MVLTORVM
votis publicæ luci datum.
CVM GRATIA ET PRIVILEGIO S. ELECT. SAXON.

JENÆ,

Apud ERNEST. CLAVDIVM BAILLIAR.
Litteris MVLLERIANIS.
cIↃ IↃc XCVIII.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn821935313/phys_0006
DFG

PRÆFATIO.

Sistitur TIBI *tandem*, Benevole Lector, B. IOH. GVILIELMI BEIERI, *tot votis hactenus expetitum*, Theologiæ Moralis Compendium; *sed eo in statu habituque sistitur, qui nec Tuæ fortassis expectationi, nec ipsius Authoris intentioni respondet. Constituerat secum B. Vir duobus Tomis totum pertractare negotium, quorum Prior Officia*

Christianorum tum generalia, tum quoad singulos ordines in Ecclesia & Republica specialia, positive traderet; Posterior quæstiones circa eadem occurrentes & casus, quos vocant, Conscientiæ solveret. Nec successu carere videbatur hic labor, cum jam ante plures annos potissima partis generalis Capita, fervente interim in privato Collegio totius operis prælectione, typis prodirent exscripta. Verùm quæ tunc optatum incepti cursum stitit irruentium negotiorum moles, posthac etiam, superveniente duplici transmigratione, & morborum crebriore impetu, ita

ita omnes progressus inhibuit, ut ne resumere quidem opus Authori liceret. Affulgebat quidem & Ipsi & Amicis aliqua spes, quum ultima ejus statio tranquilliora promitteret monstraretque tempora, quibus facile ad finem optatum perduci propositum posse videbatur: Ast hic fata posuêre obicem: quippe vix elapso trimestri spatio, cum Authore ipsa hæc spes exspirabat. Ita sine dubio Compendium hocce diutius latuisset ineditum, hæredibus famam defuncti imperfecto scripto malevolorum telis exponere metuentibus; nisi repetitæ Patronorum quorundam

exhortationes id è dictatis MTiis publicæ luci dediſſent. Notas in noviter additis, LECTOR, ne quære; his ſatius viſum plane mittere, quam non addere ſufficientes. Diffiteri enim non poſſumus, plura Authorem in Collegio illo reſervaſſe diſcurſui, ne calamos Auditorum nimis fatigaret, quæ ſcripto publico ſuperaddere animis erat. Interim hunc laborem, pro præſenti etiam ſtatu, inſervire poſſe ſperamus ſcopo Summorum Theologorum, qui diverſis in Academiis Lectiones Morales ad filum ejus inſtituere decreverunt, nec præterea quemquam ſine fructu ex ejus lectione abiturum: qui modo

do decentem afferre attentionem, &, quæ in Thesibus brevius proponuntur, diligentius secum meditari dignatus fuerit. Suscipe igitur, Benevole Lector, *& hoc* B. BAIERI *scriptum eo animo, quo priora ejus suscepisti: Fortasse Deus monstrabit viam viresque largietur, quò pleniorem aliquando editionem, quæstionibus insuper hac vice omissis auctam exhibere* TIBI *possimus. Vale,*

INDEX
totius Tractationis
THEOLOGIÆ MORALIS.

PROLEGOMENA.

DE

Natura & Constitutione Theologiæ Moralis p. 1.

THEOLOGIÆ MORALIS

PARS I.

De

Fine THEOLOGIÆ MORALIS

Cap. I. De *Vita sancta p 29.*
Cap. II. De *bonis vitam sanctam comitantibus, p. 45.*
Cap. III. De *oppositio vitæ sanctæ. p. 45.*

PARS II.

De

Subjecto Operationis.

Cap. I. De *Homine sanctificando, ejusque partibus ac facultatibus. p. 64.*

Cap. II. De *carne & spiritu, homine veteri & novo, externo atque interno p 70.*
Cap. III. De *affectibus hominis sanctificandi p. 88.*
Cap. IV. De *Hominis sanctificandi variis differentiis quoad ætatem, sexum, ut conditiones ac status. p. 95.*

PARS III.

De Mediis ad sanctimoniam Vitæ ducentibus

Tractatus Generalis.

Cap. I. De *Actionibus Hominis renati quibus ad sanctimoniam vitæ tendit, ratione materiæ & formæ spectatis. p. 108.*
Cap. II. De *Legibus tanquam norma actionum hominis renati. p. 130.*
Cap. III. De *Conscientiæ practica. p. 157.*
Cap. IV. De *Virtute Christiana intellectuali & morali, & utriusque oppositis. p. 178.*
Cap. V. De *pœnitentia, præsertim quotidiana Christianorum. p. 212.*
Cap. VI. De *officiis hominis renati, in specie considerandis. p. 257.*
Cap. VII. De *officiis hominis erga Deum, quoad cultum Dei internum.*

Sect. I.

Sect. I. De *Agnitione Dei, seu fide generali. p. 268.*
Sect. II. De *Reverentia seu Timore Dei. 287.*
Sect. III. De *fide speciali, quæ est in Christum. p. 301.*
Sect. IV. De *Amore seu dilectione Dei & Christi p. 313.*
Sect. V. De *Fiducia erga Deum. p. 339,*
Sect. VI. De *spe bonorum divinorum. p. 352.*
Sect. VII. De *obedientia Deo præstanda. p. 360.*
Sect. IIX. De *Patientia Christiana. p. 378.*
Sect. IX. De *Invocatione Dei mentali. p. 395.*
Sect. X. De *Gratiarum actione mentali erga Deum. p. 417.*
Cap. IIX. *De officio hominis erga Deum, quoad cultum Dei externum.*
Sect. I. De *usu externo verbi & sacramentorum. p. 438.*
Sect. II. De *confessione fidei. p. 459.*
Sect. III. De *glorificatione Dei externa. 460.*
Sect. IV. De *juramento Religioso. p. 462.*
Sect. V. De *Voto religioso. p. 464.*
Sect. VI. De *jejunio religioso. p. 465.*
Sect. VII. De *celebratione sabbathi & festorum aliorum. p. 467,*
Cap. IX. De *officio hominis renati erga se ipsum.*
Sect. I. De *officio hominis erga animam suam. p. 468.*
Sect. II. De *officio hominis circa corpus suum p. 472.*

Sect. III.

Sect. III. De *officio hominis circa fortuna bona.* p. 474.
Cap. X. De *officio Hominis erga proximum.*
Sect. I. De *Dilectione Proximi. p. 476.*
Sect. II. De *officio hominis renati circa animam Proximi. p. 478.*
Sect. III. De *officio hominis renati circa Proximi bona animæ supernaturalia. p. 481.*
Sect. IV. De *officio hominis Christiani circa corpus proximi. p. 483.*
Sect. V. De *officio hominis Christiani circa famam & honorem proximi. p. 485.*
Sect. VI. De *officio hominis Christiani circa opes & facultates proximi. p. 488.*
Sect. VII. De *officio hominis renati circa proximum in contractibus p. 489.*
Sect. IIX. De *officio hominis renati circa proximum in colloquiis civilibus. p. 496.*

PAR-

PARTIS SPECIALIS THEOLOGIÆ MORALIS

Quæ est

De officiis hominum Christianorum in singulis statibus Hierarchicis

Cap. I. De *statu Ecclesiastico & officio hominum ad illum pertinentium.*

Sect. I. De *recta præparatione ad ministerium Ecclesiasticum digne & utiliter obeundum. p. 497.*

Sect. II. De *ingressu ministri Ecclesiæ ad officium sacrum per vocationem legitimam & connexa alia. p. 506.*

Sect. III. De *Administratione ipsa officii sacri seu Ecclesiastici.*

Subsect. I. De *prædicatione verbi divini. p. 509.*

Subsect. II. De *administratione sacramentorum. p. 510.*

Subsect. III. De *officio ministri Ecclesiæ, quoad potestatem clavium, seu remittendi & retinendi peccata. p. 513.*

Subsect. IV. De *officio ministri Ecclesiæ circa adiaphora. p. 516.*

Subsect. V.

Subsect. V. De *officio ministri Ecclesiæ circa præmia & onera. p. 517.*
Sect. IV. De *discessu ministri ab officio Ecclesiastico p. 519.*
Sect. V. De *officio Auditorum erga ministros Ecclesiæ. p. 520.*
Sect. VI. De *officio Præceptorum in scholis & Academiis. p. 521.*
Sect. VII. De *officio Auditorum in scholis & Academiis. p. 524.*
Sect. IIX. De *officio Episcoporum, quatenus peculiari, Ecclesiastico scilicet sensu ita dicuntur p. 526.*
Sect. IX. De *officio Patronorum certarum Ecclesiarum p. 530.*
Sect. X. De *officio Consistorialium. 532.*
Cap. II. De *statu Politico & officiis hominum ad illum pertinentium.*
Sect. I. De *recta præparatione ad munus magistratus civilis, præsertim gravioris, digne & utiliter obeundum. p. 534.*
Sect. II. De *recto ingressu ad officium magistratus. p. 536.*
Sect. III. De *ipsa administratione Magistratus, & speciatim*
Subsect. I. De *officio Magistratus civilis circa sacra. p. 538.*
Subsect. II. De *his quæ præter curam sacrorum ad officium Magistratus pertinent. p. 540.*
Sect. IV. De *discessu ab officio Magistratus p. 543.*
Sect. V.

Sect. V. De *officio subditorum. p. 545.*
Sect. VI. De *officio Consiliariorum. p. 547.*
Sect. VII. De *officio Advocatorum. p. 549.*
Cap. III. De *statu œconomico sive domestico & officiis hominum ad illum pertinentium.*
Sect. I. Subsect. I. De *statu Conjugali & speciatim de legitimo ingressu Conjugii. p. 553.*
Subsect. II. De *officio Conjugum. p. 555.*
Subsect. III. De *solutione Conjugii & transitu ad nuptias alias. p. 558.*
Subsect. IV. De *officio Viduarum. p. 560.*
Sect. II. Subsect. I. De *officio Parentum Christianorum. p. 562.*
Subsect. II. De *officiis liberorum. p. 565.*
Sect. III. Subsect. I. De *officio Dominorum & Dominarum. p. 569.*
Subsect. II. De *Servorum & Ancillarum officio. p. 571.*

FINIS

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn821935313/phys_0019
DFG

I. N. J.

THEOLOGIÆ MORALIS COMPENDIUM.

Prolegomena DE Natura & Constitutione Theologiæ Moralis.

§. I.

THeologia Moralis, vi vocis, est ratio vel oratio (a) de Deo, cū respectu ad mores. Per Mores autem intelligitur ratio vivendi (b) eorum, quæ vi intelligendi (c) pollent: eaque vel naturæ rationali conveniens adeoque recta; vel disconveniens, prava & vitiosa (d) est. Ex usu loquendi denotat Theologia Moralis (e) habitum aut scientiam cognoscendi (f) Deum ac res Divinas, quatenus ea cognitio ad mores hominis Christiani (g) recte formandos facit: estque pars Theologiæ ὁλικῶς acceptæ (h).

NOTÆ.

(*a*) Sic enim vocabulum compositum, θεο-λογία, denotare λόγον περὶ τοῦ θεοῦ, alias constat. Vid. B. D. *Joh. Musæi* Introduct. in Theol. Cap. I. §. 1. aut nostri Compend. Theol. Pos. Ptol. Cap. I. §. I. not *b*) pag. 2.

(*b*) Ita communiter auctores: nisi quod aliqui *vitæ institutum*, *consuetudine formatum* significari docent: alii mores duplicis generis, naturales & assuetudine acquisitos admittunt. Respondet autem apud Ebræos nomen דֶּרֶךְ quod propriè *viam* notat, metaphoricè verò *rationem vivendi*. vid. *Psal. I, 1. 6. XXV, 4. CVII, 17. Prov. II, 12.*

(*c*) Propriè videlicet loquendo. Nam aliàs etiam bestiis tribui solent mores, verùm impropriè: teste *Giphanio* Comm. ad I. Nicom. cap I. p. m. 6 & *Piccolom.* Phil. Civil. Grad. II. cap. IX. p. m. 160.

(*d*) Nam ita *via justorum* & *via impiorum* distinguuntur. *Psalm. I, 2.* & ult. Et *Proverb II, 12.* mentio fit *viæ malæ*. *Paulus* autem *I. Cor. XV, 33.* *mores bonos* ex *Menandro* meminit.

(*e*) Uti enim aliàs monuimus, quòd homines non propter qualemcunque cogitationem aut sermonem de DEO usitate dicantur Theologi: Comp. Theol. Pos. l. c. not. (*c*) ita neque qualiscunque cogitatio aut sermo de DEO, in ordine ad mores, Theologia Moralis usitatè dicitur.

(*f*) Sci-

(*f*) Scilicet per hoc, quod Theologia dicitur.

(*g*) Equidem mores etiam eorum, qui extra Ecclesiam sunt, juxta ea, quæ de DEO cognoscuntur, æstimari, formari & corrigi possunt: hactenus tamen scholæ Theologorum Nostratium terminum *moralis* h. l. ita accipere consueverunt, ut ad hominis renati ac fidelis rationem vivendi hanc operam restringerent, licet indirectè ac reductivè etiam ista simul considerarent. Videatur de ista restrictione infra §. VIII.

(*h*) Nempe Theologia, quæ hodiè absolutè sic dicitur & revelata est; (vid. B. D. *Musc.* Introduct. Cap. III. §. I. p. 105.) quando integra spectatur, ad *fidem & sanctimoniam vitæ*, homini peccatori salvando necessariam tendit, & proinde versatur circa *credenda* pariter & *agenda*? (Vid. Compend. Theol. Posit. l. c. §. XXVI. p. 39. 40.) factum autem est, ut pars illa, quæ agenda tractat, atque hominem DEO per fidem reconciliatum ad vitæ sanctimoniam dirigit, propter amplitudinem sui objecti & ad pleniorem ac magis distinctam ejus cognitionem seorsim tractetur, ideoque peculiari nomine Theologia Moralis appelletur: quanquam alii in Institutionibus aut Systematibus Theologicis unâ operâ eum cæteris, non seorsim, ista tractare soleant.

§. II.

Differt Theologia moralis a Prudentia (a) Christiana, quod *hæc* voluntati hominis Christiani in singulari monstrat, quid hic & nunc agere & non agere conveniat (b); *illa* vero in conclusionibus practicis universalibus, ex principiis genuinis deducendis, occupatur. (c)

NOTÆ.

(a) Debent enim fideles esse *prudentes* (Φρόνιμοι) *in Christo*: quod de Corinthiis fastuosis quasi tales essent, per ironiam dictum erat *I. Cor. IV, 10.* Certè alias fideles, tanquam *servi boni & prudentes*, describuntur. *Matth. XXIV, 45.* Conf. cap. XXV, 2. seqq. *Luc. XII, 42.* Quanquam prudentia non tantùm est communis omnium Christianorum, sed aliquibus propria, pro certo statu & munere: ita ut alia sit Ecclesiastica, alia Politica, alia Oeconomica: de quo infra videbimus.

(b) Prout de differentia inter scientiam & prudentiam alias constat. Vid. *B Joh Musæi* Introd. in Theol, Cap. III. §. IV. p. 111. & §. V. p. 119.

(c) Quod autem Theologi, qui Moralia tractant, haud raro etiam ad singulares quæstiones & casus conscientiæ tractandos ac decidendos descendunt; Consilia ac Responsa edunt; id eô modô fit, quô aliàs in Homileticis Theologia docens atque utens, etsi inter se differant,

rant, conjungi tamen possunt & solent. Vid. Compend. nostrum Theol. Homil. §. 8. seqq. pag. 5. & seqq.

§. III.

Itaque in Theologia Morali tanquam habitu practico (*a*) attendendum est ad Finem, Subjectum & Media (*b*).

NOTÆ.

(*a*) Non enim in nuda cognitione sistit, sed per naturam suam tendit ad operationem, hoc ipso, quod in moribus hominum formandis occupatur.

(*b*) Quod commune est habitibus practicis: scilicet versari (1.) circa id, à quo, tanquam bono appetibili, movetur voluntas agentis ad agendum (2.) circa id, quod ad consecutionem illius boni tendit, ideoque operationi cerræ substernitur, aut cui hæc operatio præscribitur. (3.) Circa ipsa illa, quæ subjecto ad finem deducendo præscribuntur.

§. IV.

Finis internus (*a*) coincidit cum ipso officio (*b*) Theologiæ Moralis, & consistit in actibus cognoscendi (*c*) ea, quæ pertinent ad mores hominis Christiani recte formandos.

NOTÆ.

(*a*) Quem Theologia Moralis per se attingit, & quem homo, qui habitu isto pollet, vi ipsius habitus, in potestate sua habet.

(b) Prout omnis habitus est propter operationes.

(c) Hæc enim sunt, ad quæ præstanda aptus redditur hominis animus per Theologiam Moralem, scil. ἀρετὴ πρὸς τὸ παιδεύειν ἐν τῇ δικαιοσύνῃ, tanquam ἔργον ἀγαθὸν.

§. V.

Finis externus (a) isque ultimus, Theologiæ Moralis, objectivus pariter & formalis, idem est, qui totius Theologiæ (b) revelatæ; nempe Beatitudo (c) hominis ultima, quæ complectitur Deum, tanquam rem omnium optimam (d), & actus intuitivæ cognitionis atque amoris perfectissimi, quorum illo Deum consequimur, hoc fruimur eodem.

NOTÆ.

(a) Qui quidem intenditur à Theologo, circa moralia occupato, ad eumque habitus ipse per naturam ordinatur; non tamen finis ille est in potestate ejus, in quo est habitus Theologiæ Moralis: cùm sæpè illi, circa quos opera Theologi occupatur, repugnent, quò minus mores ipsorum rectè formentur; Prout in Scripturis de renatis dicitur, quòd *cùm* aliquandiu *benè concurrerint*, *sufflaminari* se patiantur; aut cum *spiritu incepe-rint*, *carne perficere velint* opus suum. *Gal. V. 7.* & Cap. III, 3. ita ut frustra doceant Doctores optimi.

(b) Quia enim pars illius est, facilè patet, eam

eam ultimò huc tendere, quò totum ipsum ordinatur atque tendit.

(*c*) Ita *Rom. II. 7.* dicuntur homines *in benefaciendo perseverantes* ζητεῖν δόξαν καὶ τιμὴν καὶ ἀφθαρσίαν, seu ad *meliorem* & *æternam* illam *vitam* (tanquam ad finem) *contendere*; uti ἀπαύγασμα B. *Balduinus.* Et *I. Tim. IV.* dicitur *pietas habere promissionem* gratuitam, non solùm *hujus*, sed etiam *futuræ vitæ.* Unde colligitur, *rectè fieri*, *quod* illius *intuitu studium bonorum operum* in nobis excitatur: quæ iterum *Balduini* verba sunt Comm. ad Rom. II. P. I. Q. VI. p. m. 38. Hoc autem est, finis consideratione moveri ad operandum: licet operationes illæ non habeant rationem causæ & meriti in ordine ad finem illum, tanquam ad causarum suum producendum vel acquirendum: ut aliàs docetur.

(*d*) Juxta ea, quæ in Theol. Positiva docentur. Vid. Compend. nostrum Proleg. P. I. §. XVII. seqq. p. 31. seqq. Atque huc referri potest, quod dicitur *Ebr. XII, 14. sectamini sanctimoniam* (quotquot vultis ad visionem Dei beatificam tanquam ad finem pertingere) nam *sine ea nemo videbit Deum*; nemo hunc finem obtinebit.

§. VI.

Peculiariter autem hic spectari debent præmia beatitudinis (*a*) accidentalia (*b*); quæ inæqualia secundum inæqualitatem operum bonorum (*c*) fidelibus obtingent.

NOTÆ.

(a) Quæ tamen itidem non ex merito operum, quæ Theologia Moralis præscribit, sed ex gratiosa liberalitate Dei, opera humana, licet debita, imperfecta & viribus alienis peracta, abundè remunerare volentis impetrabuntur.

(b) Seu beatitudini essentiali, in visione & amore Dei perfectissimis consistenti, superaddenda. Equidem *qui futuri sint pro meritis præmiorum etiam gradus honorum & gloriarum, quis est idoneus cogitare, quanto magis dicere? Quod tamen futuri sint, non ambigendum:* juxta *August.* C. XXII. de C. D. cap ult. Corporum tamen glorificatorum splendorem inæqualem indicare videtur Paulus *I. Cor XV 41.*

(c) Manifestè Paulus *I. Cor III, 8. Unusquisque suam mercedem accipiet secundùm suum laborem:* Inde autem *consequens* est, *cùm labor sit diversus, etiam diversam fore mercedem sive gloriam:* ait B. *Gerh.* L. de V. Æ. §. 128. & conjungit loca *II. Cor. IX, 9. Matth. XIX, 28.* Cap. *XXV, 21. 23. Luc XX, 30.* Olim autem *Theodoretus* in *I. Cor. XV. Non omnes justi eadem accipient: sed rectè factis convenientem habebunt remunerationem* (σύμμετρον ἀνταπόδοσιν). Et *Chrysostomus* serm. III. de Lazaro. Tom. II. Op. fol. m. 1159. *Sanè inter duos justos, si alter hic plus, alter minus pertulerit afflictionum, beatior erit ille, qui plus sustinuerit, quando unicuique reddet juxta opera sua.*

§. VII.

§. VII.

Finis externus intermedius (*a*) est vita (*b*) sancta, qualis in hominem renatum pro statu hujus vitæ (*c*) cadit.

NOTÆ.

(*a*) Qui ita intenditur ab eo, qui habitu Theologiæ Moralis pollet, ut in eo non acquiescat, sed ad alium finem ulteriorem tendat post hanc vitam obtinendum.

(*b*) Seu functio quædam aut juge exercitium actionum sanctarum quarumvis, quæ ex habitu Christianæ virtutis cujuslibet proficiscuntur, & homini renato, ut tali, maximè conveniunt.

(*c*) Scilicet pro mensura virium divinitùs collatarum. Quanquam enim optabile sit homini Christiano, ad plenam sanctitatem posse pertingere: quia tamen id in hac vita pro conditione subjecti (de quo mox dicemus) non contingit, sed perfectio ista alteri vitæ reservatur, ideò valebit hîc illud *Hieronymi* Libr. I. adv. Pelag. cap. VI. T. II. Op. fol. m. 273. *Ad perfectionem divinus sermo provocat, ut secundùm vires nostras unusquisq; nostrûm, quantum valuerit, extendatur.*

§. IIX.

Subjectum operationis (*a*) Theologiæ Moralis est homo viator (*b*), renatus seu conversus Deoque reconciliatus (*c*), quatenus (*d*) ad pleniorem vitæ sanctimoniam deducendus est.

NOTÆ.

(a) Dicitur aliàs *finis Cui*, tanquam id, in Cujus gratiam, aut ut ei bonum quoddam obtingat, Theologia Moralis operam suam præstat, quodque ideo operationi ab illa præscriptæ substernitur.

(b) Præscribit enim Theologia Moralis non actus vitæ alterius, sed præsentis. Et intelligitur h. l. homo viator, non tàm is, in quo est habitus Theologiæ Moralis (quamvis & ille seipsum ædificare possit) quàm fidelis quilibet, operâ Theologi quoad mores informandus ac perficiendus.

(c) Etsi enim Lex moralis, unde petuntur ea, quæ Theologia Moralis Subjecto suo præscribit, ad homines omnes spectet (vid. Comp. Theol. Pos. P. II. Cap. I. §. IV. V. VI. & P. III. Cap. VI §. V.) quia tamen mores seu ratio vivendi atque opera hominis post lapsum tunc demum DEO placent, quando homo per fidem in Christum DEO reconciliatus est: ideo fit, ut ea, quæ ad hominis peccatoris regenerationem seu conversionem atque ad justificationem pertinent, h. l. supponantur, & quæ ei, postquam regenitus & justificatus est, præstanda incumbunt, quando magis magisque renovandus est; in Theologia Morali directè tractentur.

(d) Nempe homo renatus Theologiæ moralis Subjectum operationis *materiale* est: per hoc

hoc autem, quòd spectatur, quatenùs ad sanctimoniam vitæ deduci debet, in esse subjecti operationis *formaliter* constituitur.

§. IX.

Principia & causæ finis intermedii [a] externi Theologiæ moralis sunt, principalis quidem Deus [b] triunus [c] & per appropriationem Spiritus [d] Sanctus; instrumentales verbum [e] & sacramenta. [f]

NOTÆ.

(a) De causis enim finis ultimi non tam ipsa Theologia moralis agit, quàm eas in Theologiæ parte dogmatica traditas supponit. Vid. §. I.

(b) Ita enim à Deo triuno ista precatur Paulus *Philippensibus* suis. cap. I, 6. 9. seqq. & *Colossensibus* cap. I, 3. 9. seqq.

(c) Est enim opus ad extra.

(d) *Habitans in* renatis, eosque *agens & adjuvans.* Vid. *I. Cor. III, 16. Rom. VIII, 9. 14. 26. Phil. II, 13.*

(e) Ex hoc enim tanquam *semine*, quando *in bonam terram* incidit, (seu quando *sermo auditus corde honesto & bono retinetur*) *fructus centuplus affertur per tolerantiam. Luc. VIII, 11. & 15.* Et *Lex* quidem intellectum de agendis docet, hominemque sui officii admonet. Vid. *Psalm.* CXIX, integer. *Carnem* quoque rebellem compescit. *Gal. V, 16. Evangelium* vero fidem, quæ sancti-

tatis

tatis omnis mater est, conservat, roborat atque auget. Vid. *I. Cor. I, 23. 24. 25.*

(*f*) Per *Baptismum* enim *in mortem Christi, sepelimur cum Christo in mortem, ut quemadmodum suscitatus est Christus ex mortuis ad gloriam Dei Patris, ita & nos in nova vita ambulemus. Rom. VI, 4.* Et ad *Tit. III. 5.* dicitur Baptismus *lavacrum renovationis Spiritus Sancti:* quia ad renovationem atque adeò ad sanctimoniam nostram per modum medii efficacis sese habet. *Eucharistia* autem, juxta *I. Cor. XII, 13.* vivifico *sanguinis* Domini *potu*, participes nos facit *unius Spiritus* ipsius; quô moveamur ad sanctas actiones.

§. X.

Ex parte hominis etiam efficienter concurrunt ipsæ facultates animæ (*a*), per vires tamen gratiæ (*b*), quas per conversionem aut regenerationem acceperunt (*c*): ac mediantibus actibus, quibus vires spirituales antea collatæ augentur, & quibus ad acquirendam pleniorem perfectionem tenditur: quique ideo Media (*d*) recte appellantur.

NOTÆ.

(*a*) Actus enim sancti Renatorum, quoad esse suum vitale ab anima ejusque facultatibus utique procedunt.

(*b*) Non autem quoad naturales hominis vires, quæ omnino & semper ineptæ sunt ad efficiendos motus spirituales.

(*c*) Vires

(c) Vires enim illæ donum quoddam habituale constituunt & potentiam activam proximam atque adeò principium sanctarum actionum.

(d) Non solùm enim præscribuntur & fieri debent, propter sanctitatem: sed sanctitas per ea reverà acquiritur.

§. XI.

Objectum materiale (a) Theologiæ moralis in sua latitudine spectatum complectitur (b) finem externum intermedium, Subjectum operationis & causas atque media finis: speciatim tamen eo pertinent actiones (c) hominis renati, cum internæ (d) tum externæ (e) ad sanctitatis regulam (f) conformandæ (g).

NOTÆ.

(a) Sive subjectum considerationis, aut materia substrata, ut vulgo loqvuntur.

(b) Juxta ea quæ suprà diximus §. II. nota (b)

(c) In his enim consistunt Mores Hominis Christiani, quos Theologia Moralis peculiariter sibi vendicat. Unde aliqui, cæteris omissis, quasi quæ ex Theol. Positiva satis constent, in his solis ferè occupantur.

(d) Quæ ita ab homine renato proficiscuntur, ut intra ipsum & in facultatibus animæ recipiantur, v. g. meditatio rerum sacrarum, dilectio Dei & proximi.

(e) Quæ

(e) Quæ per membra corporis perficiuntur, in sensus hominum incurrere possunt ac solent, v. g. largitio eleemosynæ, defensio aut correptio proximi &c.

(f) Et sic unitatem quandam ordinis inter se habent.

(g) Neque tamen excluduntur opposita peccata: quæ potiùs hoc ipso, quod sunt opposita, ad eandem scientiam sunt referenda.

§. XII.

Objectum formale (a) est revelatio Divina, de renatorum moribus seu vita & actionibus (b), in Scripturis comprehensa (c).

NOTÆ.

(a) Seu id quod in Theologia morali primò cognoscitur, & cognitum est ratio cognoscendi cætera.

(b) Quamvis enim aliàs in scientiis practicis, finis sit principium cognoscendi; hìc tamen non solùm finis ipse sub alia prius cognita ratione cognoscendi cognosci & doceri debet: verùm etiam quæ in ordine ad hunc finem tanquam agenda cognosci debent, ex revelatione divina addiscenda sunt.

(c) Neque enim aliam hodiè habemus revelationem divinam, quàm veterem illam per Prophetas & Apostolos in literas redactam. Et quanquam lex naturæ, quæ etiam renatos in actionibus suis dirigit, suô modô omnibus homi-

hominibus constet, partim per principia prima practica naturæ nota, partim per conclusiones proximè hinc deductas: quia tamen (1.) notitia juris naturæ post lapsum in hominibus sibi relictis valdè tenuis ac multum obliterata est. (2.) Jus naturæ in se spectatum, hominem ut hominem; non autem, ut renatum dirigit. (3.) Etsi Lex & Evangelium in se spectata multum differant; in praxi tamen, ac speciatim quoad ea, quæ renatos ac renovationem seu sanctificationem eorum attinent, conjunctissima esse debent: ideò ex revelatione divina, quæ in Scripturis comprehenditur, petenda omninò sunt, quæ ad mores Christianorum spectant.

§. XIII.

Revelatio Divina de his quæ agenda sunt hominibus, in Decalogo (*a*) summatim (*b*) continetur, ac præcepta ejus juxta explicationem in scriptis Propheticis atque Apostolicis traditam intelligi debent (*c*).

NOTÆ.

(*a*) Qui habetur *Exod. XX, 1.* seqq. & *Deut. V, 6.* seqq.

(*b*) Expressè profectò ibi non leguntur singula atque omnia præcepta, quæ ad totam rationem vivendi & actiones quaslibet circa varia objecta, personas & res pertinent. Quod si breviorem summam præceptorum quæras; præstò sunt duo illa præcepta, *de diligendo DEO super omnia*

omnia, & proximo æquè ac nos ipsos diligimus, diligendo. Deut. VI. v. 5. Levit. XIX, 18. Matth. XXII, 36.

(c) Quâ ratione nostratium quidam Decalogum antediluvianum, Prophetarum, Christi & Apostolorum, cum Decalogo Mosis contulerunt. Et ut expedita quadam ac methodica ratione colligi possit certa & integra explicatio singulorum præceptorum Decalogi, regulas quasdam tradiderunt observandas, ex quibus hæ ferè præcipuæ sunt: I. Legem Dei attinere totum hominem, & inprimis cor seu animam ejus: itaque non externam tantùm postulari obedientiam, sed etiam internam: juxta *Rom. VII, 14. lex spiritualis est.* II. Cujusque præcepti scopum & finem diligenter spectandum esse, ut recte de sententia ejus judicetur. III. Præcepta negativa includere contraria affirmativa; & præcepta affirmativa includere contraria negativa. IV. Præceptâ aut prohibitâ specie unâ, etiam cognatas species totumque genus præcipi aut prohiberi. V. Morale, quod omnes homines obligat, distingvendum esse à ceremoniali, quod solos Judæos stante politia Mosaica obligabat. Vid. B. *Chemn.* P. II. LL. de Lege Cap. II. p. m. 24. seqq. B. *Gerh.* L. de Lege Sect. VII. §. 53.

§. XIV

Equidem & leges humanæ positivæ, Ecclesiasticæ ac civiles, hominem renatum dirigunt

gunt in actionibus (*a*) vitæ suæ: quia vero non habent vim obligandi, nisi quatenus in lege divina fundantur (*b*), & ad eam ultimo redeunt: ideo non habent æqualem rationem principii in ordine ad conclusiones Theologiæ Moralis (*c*), sed revelationi Divinæ subordinari debent (*d*).

NOTÆ.

(*a*) Quatenùs videlicet est pars Ecclesiæ visibilis, ac Reipublicæ: de quo infrà suô locô.

(*b*) Seu quatenus Deus, omnis benè ordinatæ societatis auctor, hominibus illis, qui in societate Ecclesiastica aut civili præsunt, potestatem dedit, non solùm naturales ac divinas leges urgere; verum etiam de his, quæ ex se indifferentia sunt; (ipsius verò societatis vel ad naturalem felicitatem, vel ad finem eâ superiorem, interest, determinari aliquid in alterutram partem;) suo judicio & auctoritate præscribendi, quæ conducant: hôc ipsô obligat eos, qui subsunt potestati humanæ, ad observanda & exequenda ea, quæ publicâ auctoritate sunt sancita. Unde & renatos legum positivarum humanarum notitiâ instruendos esse, ut officia sua expleant, facile patet.

(*c*) Hæ enim assensu fidei divinæ sunt amplectendæ: ita ut ratio motiva assentiendi sit auctoritas Dei revelantis.

(d) Nempe non potest intellectus sistere in ipsis legibus humanis, tanquam principio cognoscendi: sed regredi debet ad principium altius; unde leges illæ habent, quòd ad assensum & obsequium movere possunt.

§. XV.

Evangelium stricte sic dictum (a) equidem proprie loquendo non præscribit (b) opera: quia tamen multas tradit explicationes legis, quas absque ipso non possemus (c) colligere; ideo quando de principio cognoscendi Theologiæ Moralis agitur, non est Evangelii consideratio negligenda.

NOTÆ.

(a) Quod Legi contradistinguitur, & est doctrina de gratia Dei & gratuita remissione peccatorum, propter Christi meritum fide apprehensum; deque cæteris beneficiis spiritualibus independentibus. Vid. Comp. Theol. Pos. P. III. Cap. VI. §. XII. p. 605.

(b) Hoc enim proprium legis est. Evangelium autem, uti distinguitur à *lege operum*: *Gal. III, 2.* ita non mandat opera, sed promittit gratiam.

(c) Verba hæc sunt B. *Mart. Chemnitii* P. II. L. L. de Justif. Cap. III. de Evangel. §. IV. p. m. 224. b. Res ipsa quoque docet, quod Lex, quæ Christum θεάνθρωπον ac mediatorem ignorat, non possit fidem in Christum docere expresè &

& distinctè: sed quando Evangelium ostendit Mediatorem Christum, tunc demum apparet, Legem, quæ præcipit fidem in Deum, præcipere etiam fidem in Christum; Similiter Lex ignorans promissiones de gratia Dei & remissione peccatorum propter Christum, non jubet distinctè, promissionibus illis credere: sed quando Evangelium promissiones illas tradit, jam Lex, quæ jubet credere omni verbo Dei, etiam huic verbo credere jubet. Unde porro cognoscitur, quomodo ad alia præcepta v. gr. de suscitandis perpetuô exercitiô donis spiritualibus; de devotione in externo usu Sacramentorum adhibenda, de pugna spirituali &c. declaratione Evangelicâ opus sit, ut, quæ in Lege implicitè continentur, explicitè intelligantur, & ad praxin deducantur.

§. XVI.

Conclusiones Theologiæ Moralis, equidem ita distingui (*a*) possunt, ut aliquæ (*b*) ex sola revelatione divina; aliquæ præter revelationem etiam ex lumine naturæ (*c*) innotescant. Attamen hoc loco spectantur omnes, quatenus ex revelatione divina (*d*) pendent: licet altera consideratio etiam indirecte (*e*) hic locum obtineat.

NOTÆ.

(*a*) Prout enim in Theol. Positiva Articuli Fidei dividuntur in Puros & Mixtos: (vid. Introd.

trod. B. *Musæi* Cap. III. §. XXXII. num. II. p. 165.) ita etiam conclusiones Theologicæ, quibus agenda continentur, similiter dividi possunt.

(*b*) Quæ renatorum statum aut finem, ut talem, rationi sibi relictæ ignotum, formaliter spectant.

(*c*) Nempe legis, (quæ etiam renatos attinet) in se spectatæ, doctrinam aliquô modô naturaliter notam esse, in confesso est.

(*d*) Aliàs enim non tàm Theologicæ sunt, quàm Philosophicæ, aut Juris Naturæ in se spectati.

(*e*) V. g. quatenus renati monendi sunt, ne in his deficiant, quæ etiam non-renati aliquando agnoscunt sui officii esse, & præstare conantur.

§. XVII.

Competit autem conclusionibus Theologiæ Moralis (*a*) certitudo ejusmodi, qua non tantum probabile (*b*) videatur, hæc esse agenda, illa non esse agenda: sed absque formidine oppositi (*c*) judicet mens humana, quæ actiones homini renato conveniant, ac sint exercendæ; quæ non.

NOTÆ.

(*a*) Nempe de certitudine conclusionum ex certitudine principii earum genuini, quod h. l. est divina Revelatio judicari debet.

(*b*) Profectò Jesuiticæ Theologiæ Moralis prin-

principium, quod in probabilitate sententiarum collocant, non Nostri solùm Theologi ac Philosophi rectè rejiciunt, sed & ex Pontificiis viri cordatiores: ac vel ipse Pontifex hodiernus *Innocentius* XI. edito decreto d. 2. Martii A. M.DC LXXIX.

(c) Juxta illud *Rom.XIV,5. unusquisque in animo suo* πληροφορείσθω, *planè certus esto.*

§. XIIX.

Definiri potest Theologia Moralis, quod sit scientia practica (a) ex divina revelatione (b) docens, quæ (c) homini renato ad vitæ sanctimoniam per vires gratiæ factu sunt necessaria, æternæ salutis causa.

NOTÆ.

(a) Quod commune est toti Theologiæ revelatæ, imò & Philosophiæ morali: ut Generis locum rectè sustinere possit.

(b) Quô à Philosophia morali statim distinguitur; tanquam objectô suô formali, seu principio genuino & proprio.

(c) Ita Objectum materiale, atque ejus ambitu Subjectum operationis, & Finem intermedium, hujusque Causas & Media: denique Finem ultimum complectimur: eaque ratione Theologiam Moralem ab altera parte Theologiæ, quæ credenda complectitur, distinguimus, & quoad esse suum determinatum concipiendam sistimus.

§. XIX.

Partes ejus, quatenus ut scientia practica spectatur, tres (a) sunt: Prima de Fine. Altera de Subjecto Operationis. Tertia de Mediis ad finem ducentibus. Quia vero homo renatus, qui est subjectum operationis in hac scientia; atque ea, quæ illi ad vitæ sanctimoniam scitu & factu sunt necessaria, spectari possunt, vel generaliter quoad statum renati, ut renatus est, citra respectum ad certum vitæ genus atque ordinem; vel quoad certum aliquem statum hierarchicum: ideo vulgo constitui solent Theologiæ Moralis partes duæ: Prior Communis, Posterior propria. (b)

NOTÆ.

(a) Vide supra §. III. pag. 5.

(b) Quamvis alii Theologiam *Moralem*, & Theologiam *Politiæ Ecclesiasticæ* distingvant; ita ut illa non nisi partem eam, quam *communem* dicimus, tradat; *hæc* status Hierarchicos tres complectatur, & sic cum Theologiæ Moralis parte altera, quam *propriam* appellamus, *coincidat*.

§. XX.

Auditor idoneus (a) Theologiæ Moralis is demum est, qui Ingenii donis (b), Amore studiorum sacrorum practicorum (c), Industria

ſtria laborioſa (*d*); denique Bonarum Artium ac Philoſophiæ, (*e*) præſertim (*f*) Moralis; imo & Theologiæ Poſitivæ (*g*) atque Exegeticæ peritia (*b*) inſtructus accedit.

NOTÆ.

(*a*) De quo, uti aliàs ex præceptis Pædiæ, ita & hic non immeritò diſpiciendum. Intelligitur autem, non qui quoquo modo ſermonibus Theologi, moralia tractantis, doceri, ac melior reddi poteſt: (ita enim forte omnis homo Chriſtianus, ſaltim paulo adultior, rectè audire poteſt, aut legere, quæ de moribus Chriſtianorum in Scholis Catecheticis, aut Concionibus publicis, ſcriptisve aſceticis tractantur:) ſed qui ſic cognoſcat, quæ juxta pædiam, in ſcientiis obſervandam, proponuntur, ut potens reddatur ad alios ſimiliter docendos aut dirigendos ex habitu Theol. Moralis acquiſito.

(*b*) Qualia ſunt: *Docilitas*, quâ facilè apprehenduntur propoſita; & *Memoria*, quâ retinentur apprehenſa; *Judicium* quoque ad diſcernenda & dijudicanda, quæ percepta ſunt. Denique *Acumen*, ad indagandas rerum cauſas & colligenda alia ex aliis.

(*c*) Quô nomine ipſa ſimul Pietas inſinuatur, & inclinatio ad talia præ aliis libenter tractanda; excluditur autem amor inordinatus rerum terrenarum, inprimis voluptatum carnalium.

(d) Seu promptitudo & constantia laboris: propter amplitudinem eorum, quæ scrutanda & pernoscenda occurrunt; & propter conjunctas utplurimum molestias varias & graves.

(e) Prout in omnibus studiis sublimioribus παιδεύματα illa, tanquam adminicula, requiruntur.

(f) Propter affinitatem Philosophiæ ac Theologiæ Moralis, & quod dantur in hac conclusiones mixtæ: juxta §. XVI. p. 19.

(g) Supponit enim præsens Theologiæ pars notitiam credendorum.

(h) Quia principium cognoscendi h. l. est Scriptura S. juxta regulas bonæ interpretationis accuratè intelligenda.

Sequuntur QUÆSTIONES circa Doctrinam Prolegomenorum evolvendæ.

I. *Anne in Theologia Morali convenienter ac satis tuto initium fiat a Fine, quo tanquam bono appetibili moveatur voluntas hominis renati ad agendum ex præscripto Theologiæ Moralis?*

§. I.

PRo parte *affirmativa* facit, quod diximus §. V. & nota (c) ex *Rom. II, 7. & I. Tim. IV, 8.*

Pro

§. 2. Pro *Negativa* autem militare videtur: (1.) quod actiones, quas Theologia moralis præscribit, etiam nullâ spe mercedis propositâ, exercendæ erant, vel ex sola obligatione hominis erga creatorem ac benefactorem. (2.) Quod cùm finis ille ex sola revelatione divina constet, ac solâ benevolâ Dei voluntate homini proponatur & conferatur: ideo ipse Deus eum post mediorum adhibitionem in intellectu hominis poni velle videatur. (3.) Quòd in ipsa praxi Theologica docendi plebem, initium non tàm fiat à tractatione finis, quàm ut homines statim ex Decalogo admoneantur sui officii. (4.) Quod Adversarii, meritum operum asserentes, hâc docendi ratione abutantur, eamque in suum usum facilè convertant.

§. 3. Sed *Respondetur* ad Quæstionem *Affirmando;* juxta ll. cc.

§. 4. Ad Rationes pro parte Negativa, & speciatim ad *primam*, respondetur: (1.) Licet certum sit, Deum colendum, ac cætera quæ eo spectant ab homine præstanda esse, quamvis nullâ spe mercedis propositâ: (prout nec mercedem à præmio gratuito distinctam hîc agnoscimus:) quando tamen constat, cultum DEI, quæque eo pertinent, habere rationem mediorum, utut laxè dictorum, ad certum finem; fatendum est, cognitionem finis naturâ priorem esse cognitione mediorum, quatenus sunt media: quicquid sit de obligatione ad

præstanda illa ; quæ mediorum rationem habent, jam aliunde resultante. (2.) Extra dubium est, quod spes commodi accedens ad obligationem, alacritatem excitet, & studium operandi promoveat. Unde salvâ obligatione istâ, fieri tamen potest, ac recte quidem, ut animi eorum, quibus aliquid præscribendum est, statim excitentur proposito bono, tanquam fine. Quanquam etiam homines, dum ad beatitudinem suam tendunt, ultimò ad gloriam Dei, tanquam ad finem communem & absolutè ultimum tendant: ut aliàs docetur. Ad rationem *secundam* Resp. licet cognitio finis æquè ac mediorum ex revelatione divina pendeat; quia tamen Deus illa sic revelavit, ut ipsam rationem finis & mediorum manifestaret, sequitur potiùs, quod non sustulerit ordinem doctrinæ, per quem consideratio finis, consideratione mediorum prior esse possit ac debeat. Imò constat ex ll. cc. quod Deus ipse velit finis cognitionem non tàm posteriorem esse adhibitione mediorum; quàm intuitu finis, tanquam præcogniti, homines ad media adhibenda excitari. Ad *tertiam* rationem Resp. (1) ab ordine doctrinæ populariter proponendæ, ad pædiam accuratiorem scientiis convenientem, non rectè concludi. (2) Fatendum tamen esse, quod cùm naturâ insitus sit hominum mentibus sensus aliquis Dei, & beatitudinis appetitus; ideò saltem confusa quædam finis cognitio antecedat

dat cognitionem eorum, quæ per praxin ministerialem illis proponuntur. Ad *quartam* rationem Resp. Abusum, uti rerum quarumvis, sic methodi docendi, non tollere usum, in naturali ordine doctrinæ fundatum: ac doctrinam orthodoxam non tam ordine partium & capitum, quam assertionibus ipsis earumque fundamentis, à falsa doctrina esse distinguendam.

Q. II. *Anne, in scholis Theologiæ Moralis etiam ex scriptis sapientum gentilium peti possint argumenta, quæ ad formandos mores Christianorum faciunt.*

§. 1. Pro parte *Affirmativa* facit, quod §. XVI. dictum est, dari conclusiones Theologiæ moralis, quæ non tantùm ex supernaturali revelatione, verùm etiam ex lumine naturæ constare queant. Unde si talia in gentilium scriptis inveniantur, valebit illud *Augustini* Lib. II. de Doctr. Christ. cap. XL. p. m. 32. *Rectè à Philosophis gentilibus tradita in usum Christianum* converti oportere. Nam & (2) Paulus Menandri sententiâ usus est ad *Corinthios I. Ep. XV. v. 33.*

§. 2. Pro parte *Negativa* facere potest, quod (1) Gentiles carent eâ autoritate, quâ movere possint ad assensum. (2) quod status illorum longissimè abest à statu renatorum. (3) quòd praxis ista detrahere videtur de auctoritate Scripturæ, quasi

quasi ea insufficiens sit, aut non sit unicum principium agendorum.

§. 3. Respondetur ad Quæst. affirmando.

§. 4. Ad rationes autem oppositas; & distinctè quidem ad *primam*, Resp. Neg. Conseq. Nihil enim aliud inde sequitur, quàm quod scripta gentilium non sint habenda pro objecto formali seu principio cognoscendi Theologiæ Moralis ad cognoscendam veritatem assertionum: quod conceditur. Neque enim, quia gentiles dixerunt, sed quia convenienter cum Scripturis dixerunt; ideò assensum & obsequium illis præbendum esse agnoscitur. Non autem ideò cessat usus legitimus. Ad *secundam* similiter Resp. N.C. Quamvis enim non possint afferri ex gentilibus, quæ ad statum renatorum formaliter spectant, tamen presto sunt, quæ ad officia renatorum, quatenus homines sunt, spectant. Ad *tertiam* Resp. non esse talia metuenda, quando scripta gentilium non adhibentur, nisi ut ea, quæ ex Scripturis petuntur, illustrentur, & Christiani, ne gentilibus cedant in explendis officiis suis, monentur atque excitantur.

(o)

THEO-

THEOLOGIÆ MORALIS PARTIS PRIMÆ

De

FINE THEOLOGIÆ MORALIS,

CAPVT PRIMVM

DE

VITA SANCTA.

§. I.

Cum constet, (a) Finem Theologiæ Moralis, inter externos proximum (b), esse vitam Sanctam; facile intelligitur non consistere eam in otioso (c) habitu, vel actione una aut paucis (d) hominis renati; sed continuo exercitio (e) actionum plurium.

NOTÆ.

(a) Vid. Proleg. §. VII. p. 9.

(b) Seu Intermedium, qui post se agnoscit finem alium, ultimum; quem nunc suo loco relinquimus.

(c) Vita profectò omnis in motu aut operatione apparet. Estque etiam præter naturam habituum mentis ac voluntatis, non solum naturalium, sed & supernaturalium, ut sint otiosi. Tendunt sanè suâ naturâ ad operationem.

nem. Ac Deus dona sua, instar *talenti* alicujus, confert hominibus, quô utantur ad negotia. *Matth. XXV, 14. seqq.*

(*d*) Neque enim actione unâ aut paucis habitus virtutum Christianarum acquiruntur. Et habitus ipsi, qui pleniorem quandam aptitudinem & promtitudinem ad agendum important, non satis habent, semel iterumque se exeruisse, sed fortiùs inclinant ad agendum.

(*e*) Eômodô, quo summum bonum morale Philosopho dicitur ἐνέργεια seu functio ejusmodi, quâ, vi habitualis inclinationis atque obfirmati propositi, toties fiunt actus secundi secundùm virtutem, quoties occasio operandi adest. Quam in rem etiam addi solet, ἐνέργειαν illam locum habere *in vita perfecta*, seu incessanter per omnem vitam, ita ut nunquam interrumpatur malè agendo. Cui respondet, quod Paulus renatos vult renovari ἡμέρα καὶ ἡμέρα, seu quotidiè. *II. Cor. IV, 16.* Et *Philippensibus* suis precatur, ut *magis magisque* exuberent in agnitione &c. impleti fructibus justitiæ, *usque ad diem JEsu Christi.* cap. I. v. 9. 10. 11. Confer *Gal. VI, 10. I. Thess. V, 23. I. Pet. I, 13.*

§. II.

Sancta autem vocatur vita, quod separata (*a*) est a communi hominum & corrupta vivendi ratione, atq; adeo recta & legi æternæ (*b*) conveniens, imo Deo consecrata (*c*) est.

NOTÆ.

NOTÆ.

(*a*) Nam & Ebræum קָדוֹשׁ à radice קָדַשׁ, in Piel קִדֵּשׁ *separandi* & ad peculiarem usum aut statum parandi vel destinandi significationem habet: & Græcum ὅσιος conjungitur cum vocibus, velut synonymis, ἅγιος, ἁμίαντος, κεχωρισμένος ἀπὸ τῶν ἁμαρτωλῶν. Ebr. VII. 26. Similiter ἅγιοι & ἄμωμοι junguntur *Ephes. I, 4.*

(*b*) Prout sanctitas, vel hoc ipso, quod dicit oppositum impuritatis moralis cujuslibet; positivè denotat perfectionem ejusmodi, quæ aliàs appellatur *Justitia universalis.* Unde ὁσιότης & δικαιοσύνη junguntur, *Luc. I, 75. Eph. IV, 24.* Dei quoque sanctitas, maximam illius puritatem, atque immunitatem ab omni imperfectione; eorum verò quæ recta sunt, constantem atque immutabilem voluntatem denotat, & cum Justitia, quâ Deus *in se* justus est, coincidit. Vid. Comp. Th. Pos. p. I. cap. I. §. XXII.

(*c*) Quò spectat, quòd fideles non tantùm sancti simpliciter, sed cum additô, *Sancti DEI* dicuntur, *Psal. XXXIV, 10. Coloss. I. 26. Sancti Christi, Act. IX, 13. II. Thessal. I 10.* nempe Deo Christoque consecrati. Nam & personæ & res, quæ in V. T. sanctificatæ adeoque sanctæ factæ dicuntur, v. g. Levitæ & sacerdotes, animalia, vestes, vasa ac loca, &c. non solùm à communi cum aliis statu aut sorte segregatæ, sed peculia-

culiariter ad cultum DEO præstandum destinatæ & consecratæ fuerunt. Unde vita sancta est vita divino cultui dedicata, in eoque occupata.

§. III.

Dignitas autem vitæ hujus in eo maxime consistit, quod per hanc homines ipsi Deo (a) similes fiunt & conspiciuntur (b): seu quod imago divina, per lapsum protoplastorum amissa, in hominibus restauratur (c).

NOTÆ.

(a) Juxta illud *Levit. XI, 44. XIX, 2. XX, 7. Sancti estote, quia sanctus ego* (sum) *Dominus:* quod repetitur à *Petro* I. Epist. I, 16. Eodem spectat μετάληψις τῆς ἁγιότητος θεοῦ: *participatio* videlicet similitudinis, seu talis, per quam nos *sanctitatis*, quæ Deo essentialis & increata est, reddimur participes, quando nobis obtingit sanctitas creata, similitudinem quandam illius gerens. *Ebr. XII, 10.*

(b) Certè cùm Deus sit agens perfectissimum, non potest ratio vitæ nostræ esse præstantior, quàm cùm ad similitudinem actionum DEI prope accedit. Ipsi sanè gentilium sapientes unâ velut voce pronuntiarunt, eum hominem esse perfectissimum, ὃς ὁμοιοῦται μάλιστα τῷ θεῷ. Vidd. quæ collegit B. *J. C. Dürrius* ad Isag. Piccarti cap. I. th. III. p. m. 18.

(c) Juxta dicta *Eph. IV, 24. Coloss. III, 10.* ubi simul

simul patet, quotidianam renatorum qua talium, operam in recuperanda imagine divina per totam vitam occupari. Cujus intuitu *Gregorius Nyssenus* in Ep. ad Harmonium: *Et prima hominis fabricatio*, ait, *ad imitationem Dei similitudinis erat, Mose de homine ita philosophante, dum ait: Fecit Deus hominem, secundum imaginem Dei fecit eum: & Christianismi professio est, ut homo reducatur ad pristinam & antiquam felicitatem. Si igitur antiquitus homo Dei similitudo erat, forsitan haud absurdam & a proposito alienam fecimus definitionem, qui Imaginem Divinæ Naturæ Christianismum esse pronunciavimus.*

§. IV.

Et quia Christus ἀνθρωπος(a) non solum luculentum exemplar (b) vitæ Christianorum; sed actionum spiritualium causa efficiens (c) est; fit, ut ipse Christus in renatis, quoad sanctimoniam vitæ illorum, vivere (d) & habitare (e) dicatur.

NOTÆ.

(a) Quoad humanam non minus quam divinam naturam. Alias enim, si quoad divinam naturam præcise spectetur, redit consideratio prior ex §. præced.

(b) In actionibus vitæ suæ, quam in diebus carnis exegit: & perfectam obedientiam omnibus præceptis divinis præstitit: eamque Chri-

stianis imitandam proposuit. Quâ ratione S. *Johannes I Ep. II. 6. Qui dicit, se in eo manere, debet, sicut ille* (περιεπάτησε) *ambulavit, ita & ipse* (περιπατεῖν) *ambulare.* Et *Petrus I. Ep. II, 21.* dicit, Christum *reliquisse* nobis ὑπογραμμὸν *exemplar* (quale pictores aut pædagogi discipulis proponunt, quod pingendo aut scribendo accurate imitentur, ac suâ operâ exprimant) *ut insequeremur vestigia ipsius* (non declinantes neque ad dextram neque ad sinistram.) Aliàs ὑπόδειγμα appellatur *Joh. XIII, 15.* Plura quoad singulas partes officii Christianorum, adducemus infrà suis locis.

(*e*) Quamvis per potentiam tribus personis communem; humanæ verò naturæ in Christo, vi unionis personalis communicatam; ut aliàs docetur: hic autem spectatur, quod Christus illud sibi vendicat, quatenùs vel, ut *caput*, influxum præbet in membra corporis sui. *Ephes. IV, 15. 16.* vel, ut *vitis* succum largitur palmitibus, *Joh. XV, 5.* unde actiones membrorum, capiti; & fructus, quos palmites proferunt, viti ipsi, adscribuntur.

(*d*) Ita expresè Paulus de se renato *Gal. II, 20. Vivo, jam non ego* (non tàm ego; qui per vires meas naturales hanc spiritualem vitam non vivo) *sed* (potiùs) *Christus vivit in me:* (operationes vitales, quæ in me fiunt, quatenùs spirituale aut supernaturale quoddam esse habent, ipsi originem debent, prout actus humani

mani naturales ab anima hominis quoad naturales ejus vires proficiscuntur.) Conf. B. *Joh. Fabricii* Eccles. Norimb. Geistl. A. B. C. Conc. III. p. 12. seqq.

(e) Dicitur enim κατοικῆσαι in fidelibus per charitatem *Eph. III. 17. inhabitare*, inquam, *non ut peregrinator* commorando solum, sed *ut herus in domo*, ubi *operatur*: monente B. *Balduino* ad h. l.

§. V.

Habet quoque vita sancta hominis renati, quatenus à divina virtute intra ipsum operante pendet, convenientiam quandam (a) cum operationibus officii Christi, partim a divina, partim ab humana Christi natura proficiscentibus: licet non ideo statuenda sit unio inter Christum & hominem renatum (b) personalis aut (c) essentialis.

NOTÆ.

(a) Ita B. *Gerhardus* Exeg. L. IV. de Pers. & Offic. Christi Cap. XIII. §. 192. *Ut ex unione personali* κοινοπραξία *personalis: ita ex unione spirituali inter Deum & fidelem animam, spiritualis quædam* κοινοπραξία *oritur, quæ consistit in productione communis alicujus* ἀποτελέσματος, *ad quod Deus & fidelis homo concurrit.* Et post paulo de operibus renatorum scribit: *Non Deus solum agit, nec credentes solum agunt, sed credentes sunt Dei* σύνεργοι *I. Cor. III. 9.* Alias equidem

plura dantur membra collationis Christiani cum Christo, v. g. quoad hominis Christiani generationem spiritualem, & existentiam, quoad unionem cum Christo mysticam atque hinc sequentem communionem diversi generis. Sed quia ista potius ad doctrinam de Regeneratione & Justificatione nostra, quam ad præsentem de Renovatione & Sanctificatione, spectant; ideo de his plura non addimus. Videri tamen possunt B. *Gerhard.* l. c. §. 181. 200. & 281. & Harm. Evang. contin. P. III. Cap. CLXXVI. p. m. 552. seqq. B. *Balth. Meisneri* Oratio de Christiano pag. m. 29. seqq.

(*b*) Cum enim in Christo sit una hypostasis, per quam utraque natura subsistit; hic ex adverso duæ sunt hypostases: una Christi inhabitantis; altera hominis, in quo Christus habitat. Deinde homo, quantumcunque sanctus divinas perfectiones ἐνεργητικὰς sibi tribuere non potest eo modo, quo humana Christi natura perfectiones illas revera possidet & usurpat.

(*c*) Sane uti natura hominis Christiani in naturam divinam non convertitur; ita nec per se ordinatur ad constituendam cum divina natura, tertiam aliquam quamcunque essentiam; Sed unio illa, licet mystica, accidentalis est: imo separabilis, ita ut homo, in quo Christus aliquandiu vixit, & ipse in Christo, forte mox desinat (certe possit desinere) ei esse conjunctus, & careat vita spirituali.

§. VI.

§. VI.

Et quemadmodum in V. T. templum Dei erat locus ille, ubi vigebat perpetuo (*a*) cultus Dei, & Majestas divina signis (*b*) illustribus subinde sese manifestabat: ita homines renati, ratione vitæ suæ sanctæ, tanquam templa (*c*) Spiritus (*d*) Sancti spectari possunt & debent.

NOTÆ.

(*a*) Unde describebatur, quòd sit *locus, in quo celebratur memoria nominis Dei*: quod partim de tabernaculo portali, partim de templo fixo, valet. Vid. *Exod.* XX, 24. I. *Reg.* VIII, 17. Ibi sanè sacrificia, preces &c. fiebant.

(*b*) Vid. *Exod.* XL, 34. *Num.* IX, 15. I. *Reg.* VIII. 11. II. *Chron.* VI, 1. ubi nubes spissa, simul verò lucida, significatur, quâ miraculosè productâ, Deus se præsentem faventemque testabatur.

(*c*) Quod expresse affirmat Paulus I. *Cor.* III, 16. 17. cap. VI, 19. II. *Cor.* VI, 16. ac simul docet, renatos, (nisi se ipsos polluant aut profanent, atque adeò destruant) unicè cultui Dei dicatos, ejusque exercitiò plenos fore: certos etiam esse, posse de gratiosa præsentia Dei: II. *Cor.* VI, 16. ex *Levit.* XXVI, 12.

(*d*) Nempe per appropriationem. Aliàs templa illa sunt Dei trium: uti II. cc. apertè indicatur.

§. VII.

Denique ipsa vita sancta renatorum est functio illa, q. à sacerdotium (a) spirituale gerunt (b); ac sacrificia (c) & preces (d) offerunt Deo placentia (e).

NOTÆ.

(a) Secundùm similitudinem sacerdotum V. T. quorum magna fuit dignitas, & functio sacra, velut κατ' ἐξοχήν: prout etiam Deus eos ex peculiari favore constituit; ideoque *benigne* eos *accepisse* dicitur *Psal. CXXXI. v. 9. 10.* Erat autem eorum munus, facere τὰ πρὸς τὸν θεὸν. *Ebr V. 1.* speciatim offerre donaria & victimas atque preces. ibid. & vers. seqq.

(b) Dicuntur certe ἱεράτευμα ἅγιον (abstracto positò pro concreto) *I. Pet. II, 5.* confer. *Apoc. I, 6.* In ò *sicut Christus à Chrismate dictus est, eò quod singularis excellentiæ oleò unxerit eum Deus, ita & participes ejus quotquot sunt, consortes sint tàm unctionis quàm nominis, & dicantur à Christo Christiani, ut sint sui Christo duce rectores & duces, & offerant Deo quotidianum sacrificium, ordinati à Deo sanctimoniæ sacerdotes:* Verba sunt Auctoris sermonum de Cardinalibus Christi Operibus, qui Cypriano adscribuntur, serm. de Unct. Chrism. p. m. 310. Adde Dn. D. *Speneri* libellum Germ. Das geistliche Priesterthum.

(c) Non quidem propitiatoria: (tale enim non

non nisi unicum est, à Christo semel in cruce præstitum & initerabile) sed eucharistica. Vid. *I. Pet. II, 5. Rom. XII, 1.* (unde constat, quod seipsos, tanquam hostias, offerant Deo.) *Ebr. XIII, 15. 16.* (ubi sacrificia laudis & eleemosynarum memorantur.)

(*d*) Non tantùm pro se, sed & pro aliis, singulis personis atque statibus integris, totaque Ecclesia. *I. Tim. II, 1. 2. 3. Eph. VI, 18. 19. Jacob. V, 16.*

(*e*) Non quidem, quasi ex se tantum dignitatis ac pretii habeant; sed quia ex fide in Christum proficiscuntur. *Placent* autem reverà *Deo*: juxta *Ebr. XIII, 15.* Et *multum valet* (πολὺ ἰσχύει) *precatio justi efficax.* (ἐνεργουμένη, seu talis, quâ non perfunctoriè, sed ardenter oratur.) *Jacob.* l. c.

§. IIX.

Quamvis autem vita sancta quoad plenam perfectionem (*a*) considerari (*b*) possit; quatenus tamen actu contingit, fatendum est, neminem renatorum (*c*) ad eum sanctimoniæ gradum pervenire in hac vita, ut non aliquo defectu (*d*) laboret, & contaminetur (*e*).

NOTÆ.

(*a*) Seu quoad exactissimam cum lege, in suo rigore acceptæ, sine omni malâ actione, conformitatem: quæ aliàs *perfectio graduum* appellatur.

(b) Abstrahendo scilicet à nævis, qui per accidens, (licet proh dolor quoad renatos omnes) interveniunt: prout etiam Philosophi moralia ac civilia tractantes, res suas sub forma exquisitissima proponunt, subinde tamen indicantes, quod per imbecillitatem humanam, & intercurrentes inevitabiles fortunæ eventus, nonnihil de nobilitate ista decedat. Unde & *Erasmus* præf. Ench. Militis Christ. p. m. 16. ait: *Quod summum est, id omnibus est destinandum, ut saltem assequamur mediocria.* Sufficit enim, plenam illam perfectionem, si non in hac vita, saltem in futura, esse impetrabilem æque impetrandam

(c) Propter reliquias peccati originalis seu concupiscentiæ inordinatæ; & virium spiritualium, quas nacti sunt, debilitatem: de quibus infrà P. II. videbimus.

(d) Aperte David *Psal.* CXLIII, 3. ad Deum suum: *Ne ambules in jus cum servo tuo: nullus enim vivus coram te justus est.* In quæ verba *Augustinus* T. IIX. Op. f. m. 675. 1. *Quantumlibet rectus mihi videar, producis tu*, (Deus) *de thesauro tuo regulam: coaptas me ad eam, & pravus invenior.* Unde porrò urget illud Pauli *Phil. III, 12.* ubi dicat: *non se esse perfectum. Non, quia jam acceperim, inquiens, aut jam perfectus sim.* Confer eundem in Enarrat. *Psal.* LXIX. fol. m. 305. A. B. 2. In *Psal.* LXXXIII. fol. 374. D. 1. in *Psal.* CXXX. fol. 623. D. 1. seqq. Et Tract. XLI.

(d) in

in Johannem Tom. IX. Op. fol. m. 126. C. 2. scribit: *Quemlibet valde justum discutias in hac vita: quamvis jam sit dignus justi vocabulo, non est tamen sine peccato.* Plura ex Patribus variis collegit *G. J. Vossius* in Hist. Pelag. Lib. V. Cap. I.

(*e*) Unde facilè constat, ea quæ præterea hactenùs diximus, de restauratione imaginis divinæ in nobis, conjunctione nostri cum Deo, &c. quia in sanctimonia illa vitæ consistunt, aut fundantur; non planè perfectè, sed secundùm quid, in hac vita penes renatos aut sanctos locum habere.

§. IX.

Interim cadit in renatos sanctimonia vitæ eatenus (*a*) perfecta, quatenus actiones eorum internæ (*b*) atque externæ (*c*) magis magisque (*d*) perfectiores fiunt, & promtius exercentur.

NOTÆ.

(*d*) Vocant plerumque perfectionem *inchoatam*, (in oppositione ad consummatam vitæ alterius;) item perfectionem *partium*,) quæ perfectioni *graduum*, de qua antè, contradistinguitur.) Atque huc refertur illud ad *Coloss. IV*, 12. ubi Epaphras dicitur laborare pro illis, ut *stent perfecti & completi in omni voluntate Dei.* Et *Jacobus* cap. I, v. 4. patientiam commendat, ut fideles sint τέλειοι καὶ ὁλόκληροι, ἐν μηδενὶ λειπόμενοι

πόμενοι, *perfecti & integri, ita ut nihil illis deſit.* Confer. *I. Theſſal. III, 12. 13.*

(*b*) Quâ ratione *Deus ſanctificatur in cordibus* illorum; juxta *II. Pet. III, 11.*

(*c*) Dum *membra* ſua *præbent ſervas juſtitiæ ad ſanctificationem. Rom. VI, 19.*

(*d*) Quo ſenſu renati dicuntur ἐπιτελοῦντες ἁγιωσύνην, *perficere ſanctitatem. II. Cor. VII, 1. obliviſcentes ea, quæ a tergo ſunt, ad ea verò quæ à fronte ſunt, enitentes* (ἐπεκτεινόμενοι, velut curſores protenſo corpore pergere ſolent:) *Philipp. III, 13.* Theſſalonicenſium *fides* dicitur ὑπεραυξάνειν, *vehementer augeſcere*, & *caritas* eorundem πλεονάζειν, *exuberare. II Ep. I, 3.* Verum *utrobique talis eſt abundantia, cui ſemper aliquid addi poteſt:* uti monet *Balduinus* in Comment. Nempe ut *Bernhardus* ſcribit Serm. 23. *Indefeſſum proficiendi ſtudium & jugis conatus ad perfectionem, perfectio reputatur.*

§. X.

Et quoad hanc perfectionem (*a*) ſanctitatis vitæ, datur inæqualitas quædam inter renatos, ita ut alii magis, alii minus (*b*) perfecti & ſancti ſint.

NOTÆ.

(*a*) Non hîc ſermo eſt de ſanctitate imputata, quæ formaliter Chriſti eſt; neque adeò renatorum propria, ſed aliena: (de qua in articulo de Juſtificatione agitur) cujus reſpectu faten-

fatendum est fideles omnes esse æquè perfectè sanctos: quia una perfectissima sanctitas obedientiæ Christi omnibus æqualiter imputatur. Alia autem ratio est sanctitatis inchoatæ seu inhærentis, quæ ipsis hominibus renatis & actionibus eorum inexistit, & gradus diversos recipere potest ac solet.

(b) Ita enim fides Centurionis perfectior fuit fide Israëlitarum, utut reverà quoque credentium. *Matth. IIX, 10.* & *semen verbi* in cordibus humanis imparem *fructum* facit, in aliis *centuplum. Matth. XIII, 24.*

§. XI.

Patet autem ex dictis, plurimum differe sanctimoniam vitæ renatorum, & vitam Gentilium quantumcunque (a) honestam: scilicet quod hæc non solum [1.] ex se multo impurior (b) est, sed & [2] quatenus recte se habere videtur, tamen versatur tantum circa ea, quæ lumine naturæ constant, (c) ita ut bonitate non nisi lumine naturæ cognita moveatur voluntas agentium. [3] caret influxu supernaturali & gratioso (d) Spiritus Sancti: ideoque [4] neque imaginis divinæ restaurationem, aut Christi imitationem aut illius in nobis vitam, & inhabitationem Spiritus Sancti, uti renatorum vita sancta, (e) importat.

NOTÆ.

NOTÆ.

(*a*) Honestam malumus dicere, quàm sanctam; etsi ipsi sibi *sanctissimam disciplinam*, *mores sanctos*, *sanctosque recessus mentis* & similia sæpè tribuant.

(*b*) Partim quoad intercurrentia crebriora & graviora peccata, partim quoad ipsam intentionem, quæ non ita, ut par erat, ad Dei cultum spectat. Vid. *Augustinus* Lib. IV. contra Julianum cap. 3. ubi prolixè probat, Ethnicos virtutes suas non retulisse in Deum, sed vel ad voluptatem, vel ad avaritiam, vel ad ambitionem. Atque aliàs Nostrates monuerunt, virtutes etiam ejusmodi, quales ipsi gentiles & inter eos Aristoteles descripserunt, non deprehendi in ullo gentilium.

(*c*) V. g. Versantur gentiles circa Deum, ex creaturis cognitum, tanquam auctorem naturæ & bonorum naturalium, ad cujus amorem hôc motivô alliciuntur: similiter cohibent quodammodo concupiscentias carnis, ne contra judicium rationis ad flagitia patranda in actus externos erumpant; sed vel pœnarum metu, vel honestatis civilis studio: (fortè quia socialitas ita exigit; uti recentiores quidam loqvuntur:) cùm ex adverso renati, Deum ut auctorem gratiæ in Christo mediatore agnoscentes, eum ut auctorem gratiæ (adeoque ob rationem formalem, quæ spiritualis est) diligant; & propter eum, quem ita diligunt, ac ne, postquam

quam Deo per Christum reconciliati, & in statum gratiæ collati sunt, eum iterum offendant, ejusque gratia, & beatitudine excidant, cujus bonitate supernaturaliter cognita moventur; in exercitio sanctarum actionum continuo atque accurate perseverant.

(*d*) Equidem, quod Deus *excitet peculiares heroicos motus & impetus in quibusdam etiam non-renatis*, non nagamus. *Et quomodocunque illa actio Dei in non-renatis appelletur, non pugnamus, modo id quod certum & necessarium est, retineatur, ut scilicet distinguatur à gratia sanctificationis in credentibus per Spiritum Sanctum:* verba sunt B. *Mart. Chemnitii* Exam. Conc. Trid. P. I. ad Sess. Sext. de Oper. Infid. p. m. 200.

(*e*) Manent potius gentiles, uti *sine Christo, ita abalienati à Republica Israelis, & extranei à testamentis promissionis, spem non habentes, & sine Deo* (ἄθεοι, Deum verum non agnoscentes & à Deo vicissim neglecti) *in hoc mundo. Eph. II. v. 2.*

CAP. II.
DE
BONIS VITAM SANCTAM COMITANTIBVS.

§. I.

SAnctitatem vitæ in hoc seculo (*a*) comitatur (*b*) I. Bona Conscientia (*c*) seu judicium

dicium intellectus (*d*) hominis renati de actionibus suis (*e*), postquam (*f*) factæ sunt, cum lege divina (*g*) collatis, quod recte se habeant.

NOTÆ.

(*a*) Nam de iis, quæ post hanc vitam sequuntur, jam non amplius agimus: cum quæ in Prolegomenis dicta fuerunt, possint sufficere.

(*b*) Alii Adjuncta, Consequentia, Fructus appellant. Et fatendum est, bonam conscientiam & cætera bona, quæ mox considerabimus, habere se per posterius ad sanctimoniam vitæ, unde oriuntur. Quia tamen vitæ sanctimonia in continuo quodam exercitio actionum sanctarum consistit, ac bona illa non tam confecto, quam durante illo curriculo, locum obtinent: ideo bonorum *comitantium* termino uti placuit.

(*c*) Καλὴ συνείδησις appellatur *Ebr. XIII. 18.* καθαρὰ συνείδησις *II. Tim. I 3. Clemens Alexandrinus* Lib. VI. Strom. Εὐσυνειδησίαν vocat. Dicitur autem *bona*, ab objecto, seu quod circa actiones bonas, aut bene gestas versatur. Prout alias dicitur *Conscia mens recti. Conscientia officii, bonæ mentis, rectæ voluntatis &c.*

(*d*) Non tam speculativi, quam practici. Neque enim in nuda contemplatione subsistit: quod ex sequentibus patebit.

(*e*) Non

(*e*) Non solùm de externis, sed & internis; imò non minùs de omissis, quàm de commissis.

(*f*) Solèt equidem etiam Conscientiæ nomen accipi de actu Intellectûs, præscribentis agenda & omittenda: Verum ea significatio non est hujus loci: infrà autem spectanda erit.

(*g*) Uti enim legis divinæ notitia, & vis eam applicandi, atque applicatio ipsa ad actiones vitæ rectè exercendas, in homine renato hîc supponitur; ita hîc spectatur actus ille, quô intellectus non solùm actionum in se, quoad substantiam & circumstantias earum, præsertim causas impulsivas & finales; verùm ita recordatur, ut eas ad genuinam normam revocet, & agnitâ convenientiâ illarum cum sua norma, sententiam ferat, velut judex.

§. II.

Atque hic quidem ea (*a*) spectatur, quatenus dum hominem certum (*b*) reddit, quid & quo animo ac modo egerit; simul eum ab accusatione interna (*c*) pariter & externa (*d*) aliorum liberat & (*e*) absolvit.

NOTÆ.

(*a*) Nempe considerandæ est hoc locô, quatenùs boni appetibilis rationem habet in mente hominis renati.

(*b*) Hoc est officium illud conscientiæ, quô tan-

tanquam *testis* fungitur; unde Paulus memorat *testimonium* (τὸ μαρτύριον) *conscientiæ suæ, quod cum simplicitate Dei, non sapientia carnali conservatus fuerit in mundo. II. Cor. I. 12.* & conscientia ipsa dicitur συμμαρτυρεῖσθαι. *Rom.* II. 15. cap. IX. I. eaque ratione *cognoscunt* renati, se *esse ex veritate* & *secura reddunt* (πείθειν) *corda sua:* docente *Johanne* I. Ep. III. 19. Quod si hæc Judici, ut tali tribuere velis; ad *cognitionem causæ* quæ sententiam judicariam antecedit, referre licebit.

(*c*) Non solum enim in non-renatis, juxta l. c. *Rom. II.* 15. dantur λογισμοὶ κατηγορούντες μεταξὺ ἀλλήλων ἢ καὶ ἀπολογούμενοι, *cogitationes sese mutuo accusantes aut etiam excusantes:* verum etiam in renatis: quos aliquando *condemnat* (καταγινώσκει) *cor* suum. I. *Joh.* III. 20.

(*d*) Quando videlicet *judicantur* (judicio non satis justo aut æquo, imo calumniis petuntur aut premuntur) *ab humano* (judicii) *die I. Cor. IV. 3.* Quæ verba spectans *Augustinus* Libr. contra Secundinum Manichæum cap. I. scribit: *Senti de Augustino, quicquid libet, sola me in oculis Dei conscientia non accuset.* Tom. VI. Op. fol. m. 219. C. 1.

(*e*) Velut *in conspectu Dei*; juxta I. *Johann.* III. 19. Non quidem, quasi omni culpa careant renati, aut opera eorum absque omni defectu sint bona: sed quatenus, dum in se descendentes cognoscunt, quod *non diligant verbo neque lin-*

linguâ, sed opere & veritate; per hoc porrò *cognoscunt, quòd sint in veritate* l. c. & quamvis non desit, unde *cor* suum, intuitu nævorum adhærentium, ipsos *condemnet*; ibid. v. 20. norint tamen *quod DEUS major sit corde ipsorum, & noverit omnia*; v. 21. scilicet non tantùm quod ipsi *peccata habeant*; sed etiam, quòd *sanguis Jesu Christi filii Dei emundet ipsos ab omni peccato.* Cap. I. v. 7. 8. Unde Deus, propter meritum mediatoris non tantùm credentes in Christum recipiat in gratiam; sed & eorundem, tanquam in gratiam receptorum, opera imperfecta gratiosè acceptet propter Christum, & defectibus qui adhærent, peccatisque, quæ intercurrunt, obtectis, placere sibi patiatur.

§. III.

Hinc (*a*) ergo II. Gaudium (*b*) oritur singulare (*c*) & constans (*d*), quo animus (*e*), velut boni ingentis (*f*) possessione suaviter afficitur, in eiusque fruitione placide (*g*) acquiescit (*h*).

NOTÆ.

(*a*) Ex ipsa, inquam, bona conscientia; prout qui in judicio civili accusationes vicerunt, hôc ipsô exhilarantur.

(*b*) Quod si enim juxta Philosophum *I. Eth. IIX. vita eorum, qui rectè agunt, per se suavis est & jucunda, nihilque eget voluptate tanquam appendice* (ἄπτης ἔξωθεν ἡδονῆς, *externa & aliunde ad-*

ventante, uti vetus Interpres exponit) quippe quod in se habeat velut inclusam voluptatem: multò magis utique homini Christiano gaudium præbebit vita sancta, ejusque conscientia. Eoque refertur quod *Proverb. XV, 15.* legitur: טוֹב לֵב מִשְׁתֶּה תָמִיד *Bonus corde* (mundus, seu rectus atque inde hilaris corde) est ac si esset *in convivio jugi*; (ubi omnes recreantur nostri sensus.) Ac pulchrè *Bernhardus* de inter. domo c. 23. *Conscientia bona templum est Salomonis, hortus deliciarum, aula DEI, habitaculum Spiritus Sancti.*

(c) Non solùm, quia cum improbis & infidelibus commune non est; sed quod in se planè purum & quasi defœcatum est, à Deo proficiscens, & intimam animi velut medullam penetrans suâ suavitate.

(d) Quo apertè spectat *jugis* convivii nomenclatura. *Prov. XV, 15.* cui respondet illud *Diogenis* apud Plutarchum de tranquill. Ἀνὴρ ἀγαθὸς πᾶσαν ἡμέραν ἑορτὴν ἡγεῖται. Confer *Senec.* Ep. XXIII. Benè etiam *Isidorus* lib. II sentent. *Vis nunquam tristis esse, fac vivas benè.*

(e) Quæ formalis ratio gaudii est.

(f) Scilicet ipsius Conscientiæ bonæ; quam homo Christianus omnibus opibus & gloriæ terrenæ præponit.

(g) Negligit siniſteriora malevolorum judicia; imò mala externa quælibet, præter culpam suam, certè non ab irato Numine sibi illata.

(h)

(*b*) Equidem (1.) non abest omnis sensus malorum; & (2.) ipsa infirmitas humana nubeculas quasdam obiicit luci isti: inprimis verò (3.) tentationes spirituales gaudium istud intercipiunt. Verùm *in his omnibus plusquam victores sunt* (ὑπερνικῶμεν) fideles, *per eum, qui dilexit eos: persuasi quòd* nihil ipsos *possit separare à Charitate* DEI &c. *Roman. IIX, 37.* seqq. Itaque (1.) sunt quidem *tanquam dolentes, semper autem gaudentes. II. Cor. VI, 10.* (2.) *virtus* DEI, quæ ipsos exhilarat, *in infirmitate* eorum *efficax est. II. Cor. XII, 9.* (3.) *Deus*, qui *fidelis* est, *non sinit* eos *tentari supra id quod possunt; sed præstat unà cum tentatione etiam evasionem*, ut recurrat gaudii sensus. *I. Cor X. 13.*

§. IV.

Comitatur III. Sanctimoniam vitæ, Benedictio (*a*) divina, ad (*b*) consequenda aut retinenda (*c*) bona corporis (*d*) & fortunæ (*e*); inprimis famam (*f*) honestam: imo ut commodum ingens redundet in societatem publicam (*g*) Ecclesiasticam ac civilem.

NOTÆ.

(*a*) Quo nomine denotatur actus voluntatis divinæ, quò Deus efficaciter vult, ut nobis benè sit: imò ipse actus externus benefaciendi aut bona nobis conferendi. Nam & formula: *benedicat Tibi DEUS! Ruth. II, 4.* respondet illi: *Deus sit tibi gratiosus! Gen. XLIII, 28.* Et

dicere DEI, (quod etiam *Thomas* observavit, Comm. in *II. Cor. I.*) *est facere*, juxta *Psal. XXXIII*, vers. 9. unde *benedicere Dei, est bonum facere, & sic habet rationem causalitatis.* Conf. *I. Paral. XVII*, (*XIIX.*) ult. Unde ipsa beneficia seu dona DEI, bona inquam ab eo profecta, vulgò in scripturis vocantur *benedictiones Dei*; per metonymiam causæ pro effectu. Vid. *Deut. XXIIX, 2. Gen. XLIX. 25 26.*

(*b*) Veteres dixerunt, *Deum dona sua in hominibus coronare*; seu, postquam hominibus vires bene agendi dedit, ipsi vero his rectè usi sunt, addere alia dona varia. Atque ita, quantum ad præsens attinet, *Proverb. X, 15.* dicitur: *Benedictiones* (sunt) *super caput justi*: i. e. plurima diversi generis bona illi erunt præsentissima, quorum sensum & fructum percipiat.

(*c*) Quanquam sub exceptione crucis & calamitatis: quæ vel est Castigationis, vel Probationis, vel Martyrii: de quibus suò locò.

(*d*) Ita Salomon *Proverb. III, 7. 8. Time Deum, ait, & recede à malo, sanitas enim erit umbilico tuo, & medulla ossibus tuis.* Et Cap. IV, 22. mandatorum Dei custodiam commendans, hæc addit verba: *Vita enim sunt invenientibus ea, & universæ carni suæ sanitas.*

(*e*) Juxta *Psal. CXII, 3. Opes & divitiæ erunt in domo* ejus, qui *Deum timet*, *& in mandatis ejus valdè delectatur.* Ubi tamen benè *Gesnerus*: *Quando opes & divitias nominari audimus, non multi-*

multitudine & splendore, sed animo benè contento metiri illas debemus. Nempe ut Paulus I. *Tim.VI,* 6. 8. conjungit εὐσέβειαν & αὐτάρκειαν.

(f) Præcipue quidem apud pios & vere Christianos alios: quamvis aliquando etiam homines improbi, vel inviti aut imprudentes, sanctimoniam vitæ aliorum laudasse inveniantur. Certe *splendet lux* renatorum *coram hominibus, bona opera* illorum *videntibus. Matth. V. v. 16. Splendent* ipsi renati *in medio gentis pravæ ac perversæ, tanquam faces (φωστῆρες) in mundo. Phil. II. 14. 15.* Ac fit, ut qui aliquandiu *obtrectabant* illis, *tanquam maleficis,* postea *ex bonis operibus,* quæ *spectarunt, glorificent Deum. I. Pet. II. 12.* Alias autem, veteri verbo, *argumentum hoc recti est, displicere malis.* Et B. *Lutherus* An. 1519. in Epistola ad Erasmum, *Gaudeo,* ait, *quod inter cætera dona Christi etiam hoc numeratur, quod multis displices: quo ego argumento soleo discernere dona clementis DEI à donis irati.*

(d) Sunt enim *alii aliorum membra* (ἀλλήλων μέλη) *Roman.* XII. 6. ac studeant *placere proximo in bonum ad ædificationem.* Cap. XV. 2. Quæ-runt non solum, sed successu negotiorum a DEO donati, reverà promovent ac tuentur salutem publicam.

CAPVT III.

DE OPPOSITO VITÆ SANCTÆ.

§. I.

OPponitur (a) Vitæ sanctæ renatorum, Vita impia (b), qua homines ex habituali (c) malitia pertinaciter occupantur (d) in exercendis actionibus legi divinæ (e) adversis.

NOTÆ.

(a) Contrariè videlicet: prout habitus bonos & malos, & actiones bonas & malas, opponi vulgò notum est. Hîc autem oppositæ juxta se ponenda erant, ut vel ipsa vita sancta renatorum clariùs cognosci posset: quemadmodum Philosophi, moralia tractantes, conjungere solent considerationem Summi Mali Moralis, cum Summi Boni Moralis tractatione.

(b) *Via peccatorum* vocatur *Psal. I, 1.* aliàs ἀσεβείας nomine designari creditur, vocabulo non pro habitu, sed ἐνεργείᾳ acceptô. Certè huc referri potest τὸ ἀσεβῆσαι τὰ ἔργα ἀσεβείας, *impiè patrare opera impietatis.* Ep. *Judæ v. 15.*

(c) Nam peccata infirmitatis, quæ etiam renatis obrepere solent, hîc non spectantur; verùm quæ ex *inveteratâ diuque calcatâ consuetudine*

tudine peccandi proficiscuntur; quod & vocabulum *vitæ* arguit l. c. *Psal. I.* Et *Act. VIII. 23.* describuntur homines ejusmodi tanquam *in felle amarissimo & nexu injustitiæ positi.* (εἰς χολὴν πικρίας καὶ σύνδεσμον ἀδικίας ὄντας.)

(*d*) Sicut ex opposito vita sancta, constans exercitium sanctarum actionum importat. Atque ita dicuntur homines improbi ἐργάζεσθαι τὴν ἀνομίαν, *operari iniquitatem. Matth. VII 23.* ubi adde *Bezam* in notis. Quanquam & in *Psalmis, Proverbiis* & apud Prophetas ea phrasis sæpiùs occurrit. Aliàs dicuntur *sistere membra* sua *arma injustitiæ peccato. Roman. VI, 13.* sistere ea *serva* (servientia) *impuritati & iniquitati ad* patrandam *iniquitatem.* vers. 19. ita ut semper *proficiant in pejus. II. Tim III, 13.* & sit penes ipsos ἀκαταπαυστος ἁμαρτία, *peccatum* quod *cessare* aut quiescere *nescit. II. Petr. II, 14.* quippe quod *sese dediderint protervie ad certatim patrandam impuritatem omnem. Eph. IV, 19.*

(*e*) Imò conculcatâ quasi lege divina, & velut excussô frenô, aut ruptis repagulis.

(*f*) Prolixiorem talium descriptionem vide l. c. *II. Pet. II, 10.* seqq. *Judæ v. 8.* seqq.

§. II.

Et hæc illa vita est, quâ homines non tantùm propriæ (*a*) Concupiscentiæ, sed & Mundo (*b*) ipsique Satanæ (*c*) servire dicuntur.

NOTÆ.

(a) Nempe quas exercent actiones malas, sub specie boni alicujus, quod corruptæ menti placet, exercent. Atque ita dicuntur *ambulare juxta suas impias cupiditates*; κατὰ τὰς ἐαυτῶν ἐπιθυμίας πορευόμενοι τῶν ἀσεβειῶν. Ep. *Judæ* v. 18 *conversari in cupiditatibus carnis* suæ, *facientes quæ carni & cogitationibus libebant. Ephes. II. 3. ambulare secundum carnem. Rom. IIX. 1. 5. seminare in carnem suam Gal VI. 8.*

(b) *Ambulantes, ut est vita mundi hujus,* (κατὰ τὸν αἰῶνα τοῦ κόσμου τούτου.) *Eph. II 2. configurantes* συσχηματίζοντες sese *seculo huic. Rom XII. 2. diligentes mundum, & quæ in eo sunt I. Joh. II. 15.* videlicet *cupiditatem carnis, libidinem oculorum & fastum vitæ* ibid. v. 16.

(c) Certe *obsequuntur desideriis Diaboli. Joh. IIX 44 ambulant juxta Principem, cui potestas est aeris. Eph. II. 2.*

§. III.

Itaque ratione hujus vitæ improbæ, eos originem ad Diabolum (a) referre, & Diabolum in ipsis efficaciter (b) operari, imo spiritualiter ipsos obsidere (c) dicitur.

NOTÆ.

(a) Christus ipse ad Judæos dixit: *Vos ex Patre Diabolo estis. Joh IIX. 44* & generaliter homines improbos, *qui operam dant iniquitati*, υἱοὺς τοῦ πονηροῦ, *filios illius Mali* appellat. *Matth.* XIII.

XIII. 38. & 41. nempe *Diaboli*, quem expresse nominat v. 39. Confer. *I. Joh. III.* 8 & 10.

(*b*) Græce ἐνεργεῖν: juxta *Eph.* II. 2. Alias autem describitur tanquam *laqueo* trahens *captivos* sibi *factos*, *ad* suum *lubitum. II. Tim. II. 26.*

(*c*) Certe ἐνεργούμενος merito dixeris, in quibus Diabolus ἐνεργεῖ. De Juda autem aperte dicitur, εἰσῆλθεν εἰς ἐκεῖνον ὁ Σατανᾶς. *Joh.* XIII. 27. quod non de corporali sed spirituali obsessione intelligi potest. Sic autem Satanas obsidet intellectum hominum, quando *excæcat sensus* (mentis *incredulorum*, *ne illucescat illis lumen Evangelii*; seu, ne intelligant & fide verâ amplectantur, quæ ad salutem ipsorum facitint. *II. Corinth. IV.* 4. Obsidet Voluntatem, non irresistibiliter determinando, sed per consensum sibi subjectam flectendo ad obsequium, & ut cupide perficiant ea, quæ ipse *in corda immisit*; exemplo Judæ *Johann XIII.* 2. Obsidet Appetitum, varios excitando motus, unde voluntas trahatur in consensum. Quo sataſſe referri potest illud *Greg. Nazianzeni* in Tetrastichis, quo peccatores, qui culpam peccati a se in Satanam devolvere nituntur, compellat: Τὸ πῦρ ἡμῶν, ἡ δὲ Φλὸξ πνεῦμα ϑ. *Ignis noster* (vester) *est, flamma vero Dæmonis.* Vide de Obsessione spirituali differentes B. M. *Chemnitium* Harm. Evang. Cap. LXV. p. 1208. seqq. & B. *Dannhauerum* im Scheid- und Absag-Brieff. P. I. Q. VII. p. 70. seqq.

§. IV.

Carent ergo homines ejusmodi verâ animi (a) tranquillitate, & quamvis aliquando non sentiant dolorem (b) ex peccatis, neque agnoscant statum (c) suum; manent tamen obnoxii (d) agoribus malæ (e) conscientiæ, quos etiam interdum in hac (f) vita gravissimos (g) experiuntur.

NOTÆ.

(a) Hæc enim non nascitur, nisi in animo hominis cum DEO reverà conciliati, Deoque sincerè adhærentis. Fundamento autem destructô, ipsa tranquillitas perit. Unde *Esaiæ* Cap. LVII. 20. 21. *Impii* (sunt) *veluti mare impulsum* (vento aut turbine, adeoque fervens & æstuans) *nam quiescere non potest: & impellent se aquæ ejus cœno ac luto. Non est pax, dixit Deus meus, impiis.* Nempe ipsis affectibus suis & malorum spirituum afflatu agitantur, neque habent, ubi consistant.

(b) Quâ ratione dicuntur ἀπηλγηκότες, qui *dedoluerint*, aut velut callo obducto dolere desierint, aut doloris sensum abjecerint. *Ephes.* IV. 19. nimirum *amissô συντηρήσει & judicio*, unde *mens redditur ἀδόκιμος*, *Roman.* I, 28. uti Beza ad h. l. Et *Hieronymus*: Ἀπηλγηκότες, inquit, *hi sunt, qui, postquam peccaverint, non dolent: qui, nequaquam sentientes ruinam suam, feruntur in pronum, & tanquam bestiæ, ferrum videntes*

dentes in mortem ruunt. Et addit; *Pone mihi duos in uno vitio deprehenſos: alterum, qui intelligat, plangatque quod fecit: alterum, qui delectetur in ſcelere & non ſolum non doleat, verùm etiam glorietur, & putet, ſe quandam turpitutinum palmam & victoriam conſecutum: nonne tibi videtur ille dolere, & hic penitus non dolere.* Comm. ad h l. Tom. VI. fol. m. 180. A. 1.

(c) Statum inquam peccati, quoad turpitudinem & damnum; ſeu quoad culpam & reatum: Cujus ignorantiæ reſpectu dicuntur *ambulare in vanitate mentis ſuæ, dum mentem habeant obtenebratam,* ἐσκοτισμένοι τῇ διανοίᾳ. *Eph. IV. 17. 18. percuſſi* tanquam ab irato Deo, *amentiâ, & cæcitate & ſtupore. Deut. XXIIX, 28. 29. neſcientes, quod ſint miſeri & pauperes, & cæci & nudi. Apoc. III, 17.*

(d) Ita ut non auferatur, quod differtur. Unde *Auguſtinus* Tract. XLI. in Joh. de Cap. IIX. ad verba verſ. 34. *Omnis qui facit peccatum, ſervus eſt peccati, Servus peccati*, ait, *quò fugit? ſecum ſe trahit, quocunque fugerit. Non fugit ſeipſam mala conſcientia: non eſt quò eat, ſequitur ſe, imò non recedit à ſe: peccatum enim, quod facit intus eſt. Fecit peccatum, ut aliquam corporalem caperet voluptatem. Voluptas tranſit, peccatum manet; præteriit, quod delectabat: remanſit, quod pungat.* Tom. IX. fol. m. 125. C. 2.

(e) Tanquam ἀυτοκατάκριτοι. *Tit. III, 11. Talis enim res peccatum eſt, nullo prodit arguente,*

nullo

nullo condemnat accusante, pavidum facit & timidum peccatorem, sicut justitia contrarium: scribit *Chrysostomus* Homil. IIX. ad Antioch.

(*f*) Quemadmodum constat exemplis *Caini, Saulis, Judæ.* Conjunguntur autem in impiis remorsus de præteritis; dolores in præsenti, terrores de futuris. Quam in rem *Esaias* cap. XXXIII. 14. *Formidaverunt in Syon peccatores; possedit timor hypocritas* (dicentes) *Quis habitabit* (ex) *nobis cum igne devorante? Quis habitabit* (ex) *nobis cum ardoribus perpetuis.*

(*g*) Quod declarat (1) vox στενοχωρία, quæ denotat *angustiam*, proprie quidem loci, quando angusto spatio inclusi movere se liberius non possunt; sed ad animum translata, interiorem passionem significat, qua consilium omne expediendi deficit, *l. Roman. II. 9.* Similiter (2) descriptiones *improborum* tanquam *fugientium, nemine persequente; Proverb. XXIIX. 1. strepitu folii agitatorum* atque ita *fugientium fuga tanquam a gladio; Levit. XXVI.* v. 36. quo etiam spectat illud *Jobi XV. 21. Sonitus terroris semper auribus illius* (impii observatur); *& cum pax sit, ille semper insidias suspicatur; non credit, quod reverti possit à tenebris ad lucem, circumspectas undique gladium.* Et (3) ejulationes mordentis conscientiæ, gestusque & actus impiorum, *Caini, Genes. IV. 14. 16. & Judæ, Matth. XXVII. 4.*

§. V.

§. V.

Denique comitantur (*a*) aliquando vitam improbam mala (*b*) corporis & fortunæ (*c*) varia, præſertim mala (*d*) famæ: redundant etiam inde in Eccleſiam (*e*) & Rempublicam (*f*) damna ingentia.

NOTÆ.

(*a*) Equidem fit aliquando, ut *intueantur* pii *pacem impiorum*, id eſt ſucceſſum felicem, magnamque temporalium bonorum affluentiam. *Quia non* (ſunt) *vincula ad mortem* (usque) *ipſorum*: non accidunt illis communes aliorum hominum calamitates; non alligant eos morbi, paupertas & afflictiones aliæ, quibus plerumque premuntur pii, & quibus mors accelerari aut gravior fieri ſolet: *Et* (potiùs) *pingue* eſt *robur eorum*: pollent viribus ad mala propulſanda, bona verò conſervanda. *In labore hominis non* (ſunt) *ipſi, & cum hominibus non flagellantur. Pacem* (felicitatem) *habent ſeculi, & augent* (valdè amplificant) *opes.* Sed petitâ è *ſanctuario Dei* intelligentia, conſtat; *poni eos in lubrico, & cadere in deſolationes* &c. juxta *Pſal. LXXIII, v. 3. 4. 5. 12. 18*, ſeqq. Et quamvis præcipua aut conſummata eorum pœna ac miſeria poſt hanc vitam ſubeunda reſtet; fit tamen haud rarò, ut in hac etiam vita homines impii ſcelera ſua inulta non ferant, nec obſcura extent vindictæ divinæ documenta.

(*b*)

(*b*) v. g. *Tabes, calidaque & æstuans & adurens febris, & siccitas & uredo & morbus regius, quæ persequuntur* impios *donec pereant: ulcera quoque & scabies & prurigo à quibus non poterunt sanari, Deut. XXIIX, 22. 27 35.* Imò nonnunquam mors subitanea, *Deò percutiente. Gen. XXXII, 7. & 10. 1. Sam. XXV, 38.*

(*c*) v. g. quando *vel* homines impii à justo magistratu ex officio puniuntur, mulctâ, carcere, exilio &c. *vel* incidunt in manus aut insidias aliorum hominum impiorum, unde damnum ferant: (prout aliàs docetur, DEUM peccata peccatis punire:) *vel* casibus aliis divinitùs immissis aut directis, fit, ut bonorum suorum jacturam patiantur.

(*d*) Non solùm, quod homines vere pii & sancti non blandiuntur alienæ improbitati; verùm etiam, quòd *mali* haud rarò *malè existimant de malis*: juxta *Senecæ* verba Epist. XLII. ubi & hæc adjicit: *Nec ulla major pœna nequitiæ est, quam quod sibi ac suis displicet.* Quanquam enim ex adverso sæpè contingat, ut *vitia nobis sub virtutum nomine obrepant*; ut *temeritas sub titulo fortitudinis lateat*; *moderatio vocetur ignavia, pro cauto timidus accipiatur.* Eodem tatente Epistola XLV. imò ut *prosperum ac felix scelus Virtus vocetur*; observante *Seneca* in Herc. Fur. Act. II. v. 250. hoc tamen ferè rune accidit quando proprii commodi ratio falsas sententias aut voces blandas hominibus persuadet. Certè quod

quod DEUS *facies* impiorum *ignominia replere* soleat, aut *opprobrio* eos *cingi*; *ignominiâ quasi pallio indui* faciat, testatur David *Psalm. LXXXIII, 17. LXXI, 13. CIX, 29.* Experientia quoque docet, justo Dei judicio fieri, ut qui neglectâ DEI gloriâ honoribus tantùm suis velificantur, hominum quoque honesta de se judicia amittant.

(e) *Vel* quòd impii illi manifestè persequuntur fidei doctrinam aut confessores: (qualis erat *Alexander* faber æratius, de quo vid. *II. Tim. IV, 14.* collat. cum *I. Tim. I, 20.*) *vel* quod hæreses aut schismata excitant (vid. *II. Tim. III, 1.* seqq. ad 8. *I. Tim. I, 6 7.*) *vel* quòd aliàs scandala præbent, & velut contagione vitiorum alios corrumpunt. (Prout rursum Paulus ex Menandro inculcat sententiam hanc: Φθείρουσιν ἤθη χρηθ' ὁμιλίαι κακαὶ. *I. Cor. XV, 33.*)

(f) Ita David *II. Sam. III, 39.* conquestus est de malis moribus *filiorum Zeruja*, qui sibi imperanti negotium facessant malis ausibus. Confer *Psalm CI, 7 8.* ubi *operarii iniquitatis*, tanquam Reipublicæ noxii, tolerandi non esse dicuntur.

THEO-

THEOLOGIÆ MORALIS PARTIS SECVNDÆ

De SUBJECTO OPERATIONIS

CAPVT PRIMVM

DE HOMINE SANCTIFICANDO EJUSQUE PARTIBUS AC FACULTATIBUS.

§. I.

AD Sanctimoniam Vitæ (a) perducendus est homo, qui eam nondum est assecutus, assequi tamen potest. Est ergo homo (b) viator, licet, peccato (c) corruptus, hactenus tamen ad fidem in Christum (d) perductus, ac proinde viribus quibusdam sanctis (e) sed ulterius (f) perficiendis instructus.

NOTÆ.

(a) Nempe ex fine de subjecto operationis in scientiis practicis ferendum est judicium. Atque ita communiter monetur, requiri ad subjectum operationis, (1.) ut careat eâ perfectione quæ ei pro fine est. (2.) ut ejusdem particeps

ceps fieri possit per principia & media, quæ in ea præscribuntur.

(*b*) Nam qui in Statu Patriæ seu Beatitudinis vitæ alterius degunt, plena sanctitate pollent, ideo quod lumen gloriæ intellectum ipsorum replet, & voluntatem ad inhærendum actu amoris DEO, tanquam summo bono, incessanter trahit: Unde oritur ἀναμαρτησία, juxta ea, quæ in Theol. Pos. docuimus P. I. Cap. XI, §. VI. & IX.

(*c*) Habita ratione status communis omnium hominum naturaliter genitorum, post lapsum Protoplastorum: ubi omnes *peccatum habent I. Joh. I, 8.* licet non omnes *peccatum* destinatô consilio *faciant*, Cap. III. 6, 8. 9.

(*d*) Quamvis enim etiam de hominibus in peccato mortuis dici possit, quod sint sanctificandi: non tamen *subjectum* sanctificationis sunt, prout ea vox h. l. accipitur, nisi *remotum*. Regenerandi videlicet aut convertendi sunt prius, ut cum Deo reconcilientur; antequam mores aut ratio vivendi eorum ad sanctimoniam Deo placentem conformentur.

(*e*) Unde *nova Creatura* appellatur. *II. Cor. V. 17.* certe non *substantialiter*, sed *accidentaliter* accepta voce. Quod idem est, atque hominem, qui per naturam plane inhabilis & indispositus erat ad credendum in Christum & exercendum actus alios spirituales, jam supernaturali virtute & operatione divina eo esse

perductum, ut credat & actus alios spirituales exercere possit. Et ad *Eph. II, 10.* dicitur, renatos esse ποίημα θεοῦ, *opus Dei*, (velut manu, & arte factum) nempe *creatos in Christo JEsu* (per & propter Christum, aut vi meriti ejus) *ad bona opera* (ἐπὶ ἔργοις ἀγαθοῖς: ubi τὸ ἐπὶ notat causam finalem, & sensus est, creatos esse, ut bona opera edant.) *Sicut* enim *ex rudi mole terram Deus condidit, ut fruges ederet: Ita ex hominibus ἀτάκτοις Deus fecit compositos homines, ut deinde bona opera ederent:* annotante *Grotio.* Et sic indicatur *capacitas* subjecti operationis ad consequendum per media finem, qui est vitæ sanctimonia.

(*f*) Prout diximus, Subjectum Operationis carere eâ perfectione, quæ ei pro fine est: nota (*a*). Et huc spectat illud Pauli, quô vult, ut homines renati *adolescant*, ut *in virum perfectum perveniant*, quò nondum pertigerint. *Ephes. IV, 15. & 13.*

§. II.

Debent autem in homine renato, quatenus sanctificandus est (*a*), præcipue spectari facultates (*b*) animæ, Intellectus (*c*), Voluntas (*d*) & Appetitus (*e*) sensitivus: quæ proinde nomine *Subjecti Quo* (*f*) recte appellantur.

(*a*) Scilicet huc spectant, quæ de Renovatione ejusque Subjecto Quo in Theol. Pos. docentur P. III. Cap. V. §. XI.

(*b*)

(b) Quæ rationis sunt capaces : quia & operationes a Theologia morali præscriptæ & ipse finis præfixus, spirituales sunt. Et huc refertur, quod *Ephes.* IV. 23. scribitur, fideles *renovari* debere *Spiritu mentis* suæ. Nam *quod ait Spiritu mentis vestræ, non ibi duas res intelligi voluit, quasi aliud sit mens, aliud spiritus mentis : sed quia omnis mens spiritus est, non autem omnis spiritus mens est :* observante *August. L. XIV.* de Trinitat. Cap. XVI. Tom. III. Op. fol. m. 171. A. 2.

(c) Ad profectum fidei atque agnitionis spiritualis deducendus ; ita ut illuminet voluntatem & recte præscribat ac dirigat singulas actiones Christianas. Certe ἐπίγνωσις illa atque αἴσθησις, *agnitio & sensus*, cujus vi *dignoscuntur, quæ discrepant ; Phil. I. 9. agnitio secundum imaginem ejus, qui hominem condidit ; Coloss. III. 10.* ad intellectum formaliter spectat.

(d) Ex cujus habituali inclinatione proficisci oportet actiones, in quibus sanctimonia vitæ consistit : prout pii Israelitæ tempore Assæ Regis dicuntur *quæsivisse Dominum* בכל־רצונם *omni voluntate sua.* Et David describit hominem sanctum, quod *voluntas* ejus (חפצו propensio atque oblectatio voluntatis) sit *in lege Domini.* Imo *justitia* illa & *sanctitas veritatis, Ephes. IV. 24.* sinceram & constantem voluntatis inclinationem importat ad ea omnia, quæ justa

ac recta, ab impuritate morum hujus mundi aliena ac Deo placentia sunt, exercenda.

(e) Quem superioribus facultatibus magis magisque subjici oportet, ne *cupiditatibus carnis obsequatur. Rom. VI, 12.*

(f) Illud, inquam, subjectum, in quo operationes Spiritus Sancti spirituales, adeoque mutationes spirituales, per quas intrinsece sanctificamur, per se immediate recipiuntur.

§. III.

Pertinent huc etiam membra (a) corporis humani organici, sed minus (b) principaliter.

NOTÆ.

(a) Neque enim negandum est, ea esse instrumenta, ad obeundas actiones externas, quæ ad sanctimoniam vitæ spectant. Cujus respectu dicuntur *arma justitiæ. Roman. VI. 13. serva justitiæ ad sanctificationem*, ibid. v. 19. Et hoc est, quod Paulus Thessalonicensibus suis apprecatur, ut *Deus pacis sanctificet* eos *totos*, & non solum *integer* ipsorum *spiritus*, *& anima* (superiores atque inferiores animæ facultates,) sed *& corpus inculpate in adventum Domini nostri Jesu Christi servetur. I. Thessal. V. 23.* Nempe ut homo integer sanctificetur, requiritur, ut *nihil cogitet spiritus, nihil appetat anima, nihil exequatur corpus, quod cum voluntate DEI non consentiat:* uti *Beza* recte notat. Eodem sensu ibid. Cap. IX. 4.

IV, 4. præceperat Apostolus, Dei nomine, *ut sciat unusquisque* τὸ ἑαυτοῦ σκεῦος *suum vas possidere in sanctificatione & honore.* i. e. corpus suum, quod & *Platoni* vas animæ dicitur. Et honori vasis hujus opponitur τὸ ἀτιμάζεσθαι τὰ σώματα αὐτῶν. *Rom. I. 24.* Sanctificatur autem vas corporis, tanquam domicilium animæ, & ipsius Spiritûs Sancti *templum. I. Cor. VI. v. 19.* quando quæ in corpore & per corpus fiunt, congruunt animæ, quam Spiritus Sanctus regit.

(*b*) Seu quatenus Sanctificatio, quæ per se & immediate in anima, tanquam subjecto, recipitur; secundario aut consequenter in membra corporis redundat, quatenus animæ instrumenta sunt ad tales actiones. Neque enim partes corporis, ossa, nervi, caro aut musculi, &c. mutationem istam spiritualem per se immediatè recipiunt, quâ sanctificentur. Conf. B. *Musæi* Ausf. Erkl. Loc. XX. Q. LXXX. p. m. 664. seqq. Similiter *Balduinus* in Comm. ad *I. Cor. VI,* p. m. 356. explicaturus, quâ ratione *corpora renatorum* sint *templa Spiritus Sancti* (adeoque sanctificentur ipsa adducit illud *Chrysostomi* in Cap. VI Joannis: *Spiritus est, qui dirigit corpus & membra corporis in renato, utitur ejus linguâ ad gloriam DEI, & utilitatem proximi, laborat per manus ejus, movet pedes ad inserviendum aliis.*

CAPVT II.

DE CARNE ET SPIRITU, HOMINE VETERI ET NOVO, EXTERNO ATQVE INTERNO.

§. I.

AD congnoscendum rectius hominis sanctificandi statum, distincte (a) considerandа sunt Caro & Spiritus (b).

NOTÆ.

(a) Tanquam diversa agendi principia: *alterum* videlicet, agendi ea, quæ sanctitati vitæ adversantur (quâ ratione simul importat carentiam ejus perfectionis, ad quam obtinendam tendendum est; imo & impedimentum quoddam sanctitatis plenæ consequendæ:) *alterum*, ea agendi, quæ ad sanctimoniam vitæ ipsam pertinent.

(b) Vocabula Scripturis usitatissima, ideoque hîc meritò retinenda. Vid. inprimis *Roman. VIII, v. 4.* seqq. Ubi dum renati renovandi *ambulare* jubentur *non secundùm carnem*, sed *secundùm Spiritum*, Caro & Spiritus, non tantùm ut diversa, verùm etiam ut sibi mutuò adversantia, vitæ & actionum principia describuntur. Adde *Gal. V, 17. 24.*

§. II.

Caro hoc loco (a) denotat habitualem pro-

propensionem hominis ad malum, quæ per carnalem(b)generationem post lapsum contracta,& peccatis actualibus (c)aucta,ac post regenerationem etiam quodammodo (d)relicta est; quâ homo ab his, quæ (e) supra naturæ ordinem & lumen constituta,ob revelationem divinam credenda & sub ratione boni per revelationem divinam cogniti amplectenda sunt,alienus; ad oppositos autem actus circa objecta illa exercendos(f)pronus est,imo vero denique etiam ad actiones vitæ non tam juxta naturæ lumen, quam contra illius dictamen instituendas atque exercendas (g) propendet.

NOTÆ.

(a) Alias multas habet significationes: quatenùs non tantùm propriè denotat partem similarem corporis animalis, ab ossibus, nervis, venis, arteriis, aliisque partibus distinctam; de qua Anatomici Physicique tractant; occurrit tamen etiam in Scripturis *Gen.* II, 21. Cap. IX, 4. deinde per synecdochen, totum corpus animalis,animæ contradistinctum. *Jacob. II.* ult. *Levit. XXII, 6.* Porrò animalia quælibet, non præcisè quoad corpus, sed quoad totum suppositum spectata. *Genes. VI,17. IIX, 17. Psal. CXXXVI, 25. CXLV, 21.* Rursus per synecdochen generis pro specie, hominem sympliciter significat. *Genes. VI,13. Esa. XL,5. Matth. XXIV,22.* Non

nunquam in oppositione ad vim insignem Spirituum separatorum, caro idem denotat atque infirmum ac debile quiddam. vid. *Psal. LXXIIX, v. 39. Esa. XXXI, v. 3. Ephes. VI, v. 12.* Denique denotat, vel ipsam hominis naturam per lapsum corruptam, uti *Joh. III, 6.* vel habituale peccatum, quod est in natura humana post lapsum: quæ significatio hujus loci est, & fundatur in locis citatis *Rom. VIII.* & *Gal. V.*

(b) Unde oritur præsens denominatio.

(c) Nam propensio in malum *connata* quidem æqualiter est in omnibus: datur autem etiam *acquisita*, eaque variat pro ratione institutionis atque assuefactionis.

(d) Juxta ea, quæ de peccati originalis tenacitate, & renovationis termino à quo, dicta sunt in Comp. Theol. Posit. P. II. §. XIV. & P. III. Cap. V. §. III. Equidem Caro quoad supremum veluti gradum est in non-renatis: qui proinde simpliciter dicuntur κατὰ σάρκα ὄντες. *Rom. VIII, 5.* *vivere* aut *ambulare secundùm carnem* ib. *v. 1. 4. 13. II. Cor. X, 2.* Sed hoc loco spectatur Caro postquam jam diminuta est per regenerationem & Conversionem; Caro tamen adhuc est: Unde etiam phrases Scripturæ, carnem prout in non renatis est describentes, non poterunt omninò negligi aut præteriri.

(e) In Scripturis appellantur *ea, quæ sunt Spiritus Dei. I. Cor. II, 14.* quippe quòd in Deo, qui Spiritus est, latent; neque adeò eorum, sub ra-

tion

tione iis propria & spirituali capax sit homo sibi relictus.

(*f*) Nempe facultates animæ per essentiam sunt vitales, & quando privantur viribus ad actus suos rectè instituendos requisitis; non ideo sunt prorsus otiosæ, sed feruntur in objecta aliter, ac ferri debebant; & sic actus varios sibi aut legi suæ disconvenientes exercent.

(*g*) Ita Paulus *Rom. VII, 14. Lex spiritualis est, ego autem carnalis sum*; atque inde dicit fieri, quòd Legi non obediat. Et Cap. IIX, 3. *Legem infirmatam* esse dicit *per carnem*.

§. III.

Speciatim ex parte (*a*) intellectus importat Caro in homine renato defectum aliquem plenæ lucis seu virium, ea quæ supernaturaliter a Deo sunt revelata, sub revelatione divina, tanquam ratione assentiendi propria (*b*), cognoscendi: & propensionem ad sinisteriora (*c*) de illis judicia.

NOTÆ.

(*a*) Neque enim Caro illa in corpore tantum aut inferioribus facultatibus animæ præcisè quærenda est; verùm etiam in superioribus, ipsoque intellectu: unde & *Mens carnis* (νὸς τῆς σαρκὸς) id est carnalis, dicitur: *Colloss. II, 18.* videlicet cogitatio aut cognitio humana, opposita patefactioni divinæ: prout *Matth. XVI, 17.* Christus ad Petrum ait: *Caro & san-*

guis tibi non revelárunt, quod agnovisti, & confessus es, sed *Pater meus, qui est in cœlis* : aliàs aliter judicasses, si carnem secutus esses. Et *Rom. IIX, 5.* dicitur : *Qui secundum carnem sunt, quæ carnis sunt, sapiunt* (φρονοῦσι).

(*b*) Ita Pater lunatici dixit ad Christum, *Marci IX, 24. Credo Domine, succurre incredulitati meæ.* Deprehendebat enim in se assensum languidiorem, seu cum defectu notabili conjunctum.

(*c*) Quâ ratione φρόνημα τῆς σαρκὸς, *quod sapit caro, inimicitia* esse dicitur *adversus Deum*. *Rom. IIX, 7.* Scilicet quòd judicia ejus, judiciis divinis ac verbo ejus repugnant. Et quanquam in renatis non regnent illa φρονήματα, oriuntur tamen, atque ipsi renati se dubitare de veritate eorum, quæ in Scripturis satis clarè extant, imò ad negationem eorum propendere, aliquando confitentur.

§. IV.

Ex parte voluntatis (*a*) Caro idem est, ac defectus aliquis (*b*) virium ad prosequendum, actu voluntatis efficaci, bona spiritualia divinitus revelata: ac propensio voluntatis (*c*) ad agendum mala.

NOTÆ.

(*a*) Datur sanè θέλημα σαρκὸς; juxta *Joh. I, 13.* quod τῷ θελήματι τοῦ θεοῦ, ipsique adeò regenerationi hominum opponitur; quodque licet

cet inhibitum sit ac diminutum per gratiam regenerationis, tamen quodammodo reliquum est in renatis.

(b) Ita Paulus, quamvis sibi renato tribuat τὸ velle bonum; addit tamen, se non reperire τὸ κατεργάζεσθαι, perficere bonum, seu, ut bonum perfectè, prout lex flagitat, faciat, non invenire se vires sufficientes: scilicet, quod voluntas remissior aut languidior sit, quàm par erat, ad actiones sanctas perficiendas.

(c) Quod rursum testatur Paulus, quando dicit, habitare in se peccatum, cujus vi faciat, quod oderit, quod nolit; l. c. v. 15. 16. 17. 19. 20. non, quasi per vim extrinsecùs sibi injectam invitus id agat: sed quòd voluntas, velut fluctuans, oppositos intra se motus experiatur, ita ut, quod per vires gratiæ oderit, id per propriam in natura corrupta inclinationem appetat & facere intendat. Quâ ratione voluntas, quatenus carnalis est, bona terrena præ spiritualibus; imò & bona jucunda aut utilia potius, quàm honesta, non rarò appetit, & sic agit, quæ non agenda erant.

§. V.

Ex parte appetitus sensitivi (a) importat Caro (b) defectum quendam virium obsequendi superioribus facultatibus; & pronitatem ad bona sensibilia, etsi (c) prohibita.

NOTÆ.

NOTÆ.

(a) Ubi fortassis apertissimè locum habet Caro, & carnalis concupiscentia. Atque ita distinguntur *inquinamenta carnis & spiritûs. II. Cor. VII, 1.* eò quod illa sensuum delectatione constent; hæc ad intellectum & voluntatem spectent. Similiter θελήματα σαρκὸς καὶ νοὸς. *Eph. II, 3.*

(b) Quanquam enim in conversione aut regeneratione cœperit redigi sub obsequium Spiritûs; nondum tamen pollet plenâ facultate obsequendi.

(c) Huc refertur *lex* illa *in membris* renatorum, *rebellans* (νόμῳ ἀντιστρατευόμενῳ) *legi mentis* eorum, & *captivos reddens* (αἰχμαλωτίζων) *legi peccati, quæ est in membris* illorum: de qua Paulus quæritur *Rom. VII, 25.* Ac *lex* quidem dicitur, quod velut pro auctoritate nos impellat ad agendum: *in membris* autem esse dicitur, non quòd ipsam substantiam corpoream membrorum propriè concernat & afficiat, sed quòd pravitatem, quæ in corruptis veteris hominis membris se exerit, efficiat. Unde licet ad solum appetitum sensitivum non restringantur verba, certum tamen est, eum hîc una cum cæteris facultatibus non obscure designari.

§. VI.

Spiritus (a) ex adverso denotat novas vires (b) gratiæ, quibus homo renatus ad actiones sanctas aptus (c) redditur.

NOTÆ.

NOTÆ.

(*a*) Alias quidem non tantum pro ſubſtantia corporea ſubtili, vento ſcilicet *Johann. III. 8.* atque anima bruti ; *Eccleſ. III. 21.* verum etiam & magis proprie pro ſuo ſubſtantia immateriali, in oppoſitione ad corpus, accipitur, *Jacob. II 14.* Atque ita porro de anima humana, *Pſalm. XXXI. 6. Luc. XXVII. 46.* de angelis malis, *Matth. IIX. 16.* de bonis, *Ebr. I. 14.* Imo de DEO triuno prædicatur. *Joh. IV. 24.* Peculiariter notat perſonam tertiam S. Trinitatis, *Joh. XIV, 17. I. Cor. XII. 4. & 11.* cui etiam ſæpe apponitur vox *ſanctus* v. g. *Matth. XXIIX, 19. Joh. IV, 26. I. Joh V, 7.* Hoc loco autem ſignificat effectum aliquem aut donum Dei, quod Spiritui S. tanquam efficienti aut collatori per appropriationem aſſignatur ; ſed, tanquam qualitas quædam aut habitus, in homine formaliter exiſtens, deſcribitur.

(*b*) Ita *Spiritum novum in medio* (in intimo) hominum converſorum Deus ſe poſiturum promiſerat, *Ezech. XIIX. 31.* David etiam talem ſibi conferri oraverat. *Pſalm. LI 12.* Et Paulus monet fideles: *Spiritum nolite extinguere. I. Theſſ. V. 19.*

(*c*) Unde, qui viribus illis utuntur ad actiones ſanctas exercendas, dicuntur *ambulare Spiritu. Gal. V. v. 16. & 25.* Et actiones ipſæ *ſpirituales* vulgo appellantur.

§. VI.

Speciatim ex parte intellectus (*a*) importat

tat vim (b) supernaturalem, ea, quæ supra naturæ ordinem ac lumen (c) constituta, sed divinitus revelata sunt; sub revelatione divina, tanquam ratione assentiendi propria (d) cognoscendi: ac præter ea, quæ salvandis omnibus simpliciter cognitu sunt necessaria; ad pleniorem cognitionem (e) mysteriorum divinorum, imo & eorum quæ ad (f) vitam christianam pertinent, pertingendi.

NOTÆ.

(a) Cujus respectu dicuntur illi, qui *secundum Spiritum* sunt, Φρονεῖν τὰ τὲ πνέυματος, *ea quæ sunt Spiritus, sapere. Rom. IIX. 5.*

(b) Nam qui ea carent, *animales* appellati, possunt tamen pollere, imo excellere *sapientia seculi. I. Cor. II. 6. 14.* conf. Cap. I. 19. seqq.

(c) *Quæ oculus non vidit, & auris non audivit, & in cor hominis non descenderunt; Deus autem revelavit per Spiritum*; juxta *I. Cor. II. 9. 10.* antea dicebantur *Sapientia Dei in mysterio, quæ est recondita. v. v. 7.*

(d) Hoc est, *sermonem Dei recipere* (δέχεσθαι) *tanquam sermonem Dei. I. Thessal II. 13. Spiritualia spiritualiter dijudicare. I. Cor II. 14. 15.* id est, judicium de illis ferre congruum, quod sint spiritualia, à DEO revelata, ideoque pro veris habenda.

(e) Nam & hîc spectamus Spiritum, non in negotio conversionis seu regenerationis; sed reno-

renovationis : ubi profectus faciendus est in agnitione rerum sacrarum. Qua ratione Paulus precatur *Ephesiis*, ut Deus det illis *Spiritum sapientiæ & revelationis per agnitionem ipsius, & illuminatos oculos mentis* ipsorum, *ut videant, quæ sit spes illa vocationis ipsius, & quæ opes gloriæ hæreditatis ipsius, in sanctis.* Cap. I. 17. 18. Se quoque dicit in eo occupari, *ut cognoscat* Christum *& vim resurrectionis ejus, & communionem perpessionum ejus. Phil. III. 10.*

(f) *Ut dignoscant, quæ differunt* (δοκιμάζοντας τὰ διαφέροντα) *ut sint sinceri & inoffenso cursu eant usque in diem Christi. Phil. I. 10. Ut agnoscant voluntatem* Dei, atque *ambulent sicut dignum est Domino. Coloss. I. 9. 10.*

§. VII.

Ex parte voluntatis (a) importat vires prosequendi bona spiritualia (b) sub ratione sibi propria ac spirituali, actu voluntatis (c) efficaci: adeoque inclinationem habitualem ad actiones (d) sanctas Deo placentes.

NOTÆ.

(a) Sic dicitur πνεῦμα πρόθυμον, *Matth. XXVI. 41.* Et David Spiritu hoc instructus dicit : *Paratum est cor meum, Deus, paratum cor meum, cantabo & canam. Psalm. LVII. v. 8. & CIIX. 2.*

(b) Quemadmodum Paulus de se scribit : *Persequor an apprehendam* (metam præfixam)

cujus

cujus etiam causâ apprehensus sui à Christo JEsu. Ad eaquæ à fronte sunt contendo, scopum versùs feror, ad præmium supernæ vocationis Dei in Christo JESU. Philipp. III, 12. 14. Hoc autem de se pronunciat, quatenùs *Spiritu servit DEO.* Ibid. v. 3. Et *Colossenses*, de quorum spiritualibus donis Cap. I, v. 9. seqq. disseruerat, hinc petitâ occasione, monet, ut *superna quærant, ubi Christus est, ad dexteram Dei sedens.* Cap. III, 1. scilicet, quòd ad prosequenda bona illa jam habeant vires spirituales.

(c) Nempe ut non solum illa placeant voluntati secundum se, sed ut hæc in illa feratur ut obtinenda: quò spectant verba διώκειν & ζητεῖν. II. cc.

(d) *Ut ambulent renati dignè Deo per omnia placentes; in omni opere bono fructificantes. Col. I, 9. delectentur lege DEI secundum interiorem hominem. Roman. VII, 22.* ita ut si maximè nulla esset addita legi comminatio, tamen juxta eam; seu juxta voluntatem Dei ibi manifestatam, agere cupiant.

§. IIX.

Atque ex his facile patet lucta (a) Carnis & Spiritus (b) in homine renato (c) quolibet, eaque (d) gravis & (e) perpetua.

NOTÆ.

(a) Quæ non est eadem cum pugna rationis & affectuum. Hæc enim etiam in non-renatos

natos cadit, & à Philosophis considerari solet. Vide si placet Dissert. nostram de argumento illo, A. 1667. & aliam de Mixtura Virtutum & Vitiorum A. 1672. editam.

(b) Nam *caro concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem*: atque ita *hæc inter se opposita sunt*; ἀντίκεισθαι ἀλλήλοις: quatenus Caro & Spiritus in actus revera contrarios tendunt, & facultates humanas trahunt. Gal. V. 17. Eodemque redit, quod *Rom.* VII. 23. dicit Paulus, se duas in se experiri leges contrarias, aliam *in mente* sua; aliam *in membris* suis, quarum hæc *rebellet legi mentis suæ.*

(c) Certe indifferenter omnes renatos alloquitur Paulus *Gal.* V. & quod de se dicit *Rom.* VII. vult ut alii renati, singuli in se, observent.

(d) Quando enim caro, seu lex quæ est in membris renati, dicitur ἀντιστρατεύεσθαι legi alteri in renato; seria profecto atque acris & renato molesta indicatur pugna: cujus respectu etiam Apostolus mox addit: Ταλαίπωρος ἐγὼ ἄνθρωπος. *Miser ego homo*: quales sunt, qui in lapidicinis laborant & misere tractantur, *Rom.* VII. 24.

(e) Dicuntur enim *Gal.* V. 17. ἀντίκεισθαι, non ad tempus forte breve, sed simpliciter, vel ut exercitus hostiles, qui castra adversus se invicem extraxerunt, & regiones campi oppositas occupant; ita ut alter alterius conatus, quantum in se est, impediat, vires ejus infringat,

gat, aut labefactet: & sic inter carnem & spiritum pax nulla neque concordia locum habeat, sed semper alterum ab altero lacessatur. Itaque hæc pugna durat, quamdiu renati in statu suo, tanquam renati, manent. Carnem enim, seu inordinatam concupiscentiam facultatum animæ, velut reliquias peccati originalis, retinent per omnem vitam. Unde Paulus l. c. exclamat: *Quis me eripiet* i. e. nemo, dum vivam, me eripiet) *ex isto corpore mortis*? v. 24. Et Caro illa semper est vegeta, ac motus aliquos inordinatos elicit. Spiritum vero equidem possunt amittere, si carni suæ nimis indulgeant: verùm ita desinunt esse renati. Interim quamdiu spiritum aut vires spirituales retinent; tamdiu etiam, quia vires illæ non sunt otiosæ, pugna Spiritûs adversus carnem durat.

§. X.

Pro diversitate illarum propensionum in homine renato, fit, ut ille carnalis (*a*) pariter & (*b*) spiritualis dicatur: licet alias carnalis (*c*) dicatur, qui caret spiritu.

NOTÆ.

(*a*) Certè Paulus de se renato: ἐγὼ σαρκικός εἰμι. *Ego carnalis sum. Rom. VII, 14.* (quamvis jam esset in eo statu, ubi *delectabatur lege Dei secundùm interiorem hominem.* v. 22. *ac serviebat legi Dei.* v. 25.) De quo loco *Augustinus* L. VI. contra Julian. Pelag. cap. XXIII. Tom. VII. Op. fol.

fol. m. 446. D. 2. scribit : se alias locum istum de impiis & irregenitis accepisse, *postea autem, melioribus & intelligentioribus cessisse, vel potius ipsi, quod fatendum sit, veritati, ut videret, in illis Apostoli vocibus gemitum esse sanctorum contra carnales concupiscentias dimicantium : qui cum mente sint spirituales, adhuc tamen isto corruptibili corpore, quod aggravat animam, recte intelligantur esse carnales.* Atque ut ostenderet, quod sub initium capitis dixerat, *Non ego solus aut primus sic istum locum intellexi*; mox adjicit, eundem in modum intellexisse *Hilarium, Gregorium, Ambrosium & cæteros Ecclesiæ sanctos notosque doctores.*

(b) Ita dicit Paulus : *Lex Spiritus vitæ, quæ est in Christo Jesu, liberavit me à lege peccati & mortis. Rom. IIX. 2.* unde ab accepto illo Spiritu spiritualis recte appellatur. Expresse autem hominem fidelem seu renatum quemvis πνευματικὸν appellat. *I. Cor. II. 15.*

(c) Saltem stylo Ecclesiastico, quo carnales dicuntur, quos Scriptura dicit τὰς κατὰ σάρκα ὄντας. *Rom. IIX. 5.* alias *animales*, ψυχικὰς appellat, πνεῦμα μὴ ἔχοντας. *Judæ* Ep. v. 19. *I. Cor. II. 14.* Atque ita *Augustinus* l. c. dixerat, nomine carnalium se intellexisse illos, *quos ita haberet concupiscentia carnis sibi subjectos, ut facerent, quicquid illa compelleret.*

§. XI.

Et quia in renatis vel pro diversitate sub-

jectorum, vel in eodem subjecto pro diversitate temporis, vires spirituales validiores aut debiliores sunt, adeoque caro magis aut minus subjecta Spiritui: ideo fit, ut ipsi renati alii carnales, alii spirituales *(a)* dicantur, & idem renatus jam carnalis *(b)* jam spiritualis appelletur & sit.

NOTÆ.

(*a*) Ita Paulus *I. Cor. III. 1.* distingvit *carnales*, quos etiam *infantes* appellat *in Christo*, qui *lactis potu alendi* sint; & *spirituales*, qui *escam* solidiorem admittant. Carnales autem illos simul describit ab actibus quibusdam, quibus caro se prodit, seu ab affectibus carnalibus. *Cum inter vos sint livor & contentio & dissidia, nonne carnales estis?* v. 3. Contra *Gal.* VI. 1. jubet, ut illi, qui *spirituales* sunt, id est majoribus viribus spiritualibus pollent, *instaurent* infirmiores, *lapsu aliquo præoccupatos*; ac proinde hoc sensu carnales dicendos, quod carnem secuti sint.

(*b*) Nempe qui hactenus carnalis (renatus tamen) erat; postea fieri potest spiritualis. Unde Paulus I. *Cor.* III. 3. ἔτι σαρκικοί ἐστε: *adhuc carnales estis*; qui jam poteratis esse spirituales.

§. XII.

Pertinet etiam ad considerationem Carnis & Spiritus in homine sanctificando, quod Scri-

Scriptura distingvit (*a*) inter hominem Veterem & Novum (*b*).

NOTÆ.

(*a*) Vid. *Eph. IV, 22. 24.* & *Col. III, 9. 10.* ubi Paulus *veterem hominem deponere*, aut *exuere*; *novum* autem *induere jubet.*

(*b*) Nempe *vetus homo* cum carne, quam spectavimus, coincidit: *novus* cum Spiritu: quod ex sequentibus patebit.

§. XIII.

Vetus homo hòc locô (*a*) idem est ac defectus aliquis virium bonarum, ex obliterata (*b*) per antiquum illum Protoplastorum lapsum, neque hactenus plene restaurata (*c*) imagine divina, & concupiscentia prava (*d*) per facultates omnes se diffundens & dominium (*e*) affectans.

NOTÆ.

(*a*) Aliàs vetus homo, in sua latitudine sumtus, tria importat: (1) totalem defectum bonarum virium & plenam impotentiam ad cognoscenda ac prosequenda bona spiritualia; unà cum habituali pronitate in quodvis malum. (2) reatum culpæ & pœnæ; & (3) dominium concupiscentiæ in facultates animæ humanæ. Vnde consideratio veteris hominis partim ad regenerationem seu conversionem, partim ad justificationem, partim ad sanctificationem pertinet. Hìc autem strictiùs accipitur

pitur, quoad tertiam, quam diximus, acceptionem.

(b) Non quidem quasi per lapsum tantùm obscurata aut occultata fuerit imago divina, quam novimus planè fuisse amissam. Nam etiam obliterari dicuntur, quæ prorsus delentur. Unde, prout aliàs dicuntur res vetustate obliteratæ: quas alii vetustate detritas & vanescentes dicunt: aut prout vestis, quæ genuinum illum, quem habuit, cum nova esset, decorem perdidit, inveterata dicitur: ita qualitates hominis, non respondentes primo vigori humano in statu integritatis, veterem hominem velut inveteratum nobis sistunt.

(c) Scilicet nunc demùm in renatis per ipsam sanctificationem pleniùs restaurari debet imago divina: plenissimè verò restaurabitur post hanc vitam.

(d) Sic expressè Paulus *Eph. IV, 22.* veterem illum hominem describit, tanquam φθειρόμενον κατὰ τὰς ἐπιθυμίας τῆς ἀπάτης; *qui deceptricibus cupiditatibus corrumpatur.*

(e) Quâ ratione hîc potissimùm spectatur.

§. XIV.

Novus homo ex adverso hic (a) denotat vires spirituales post regenerationem obtinendas uut (b) obtentas, ad resistendum (c) concupiscentiis carnis, & ad sancte (d) vivendum.

NOTÆ.

NOTÆ.

(*a*) Equidem aliàs latius accipitur, ac perfectionem naturæ humanæ, corruptioni ejus per lapsum oppositam, omnem complectitur: proinde (1) primas quoque vires gratiæ (2) immunitatem à reatu culpæ & pœnæ. (3) donum habituale, quô supprimitur dominium peccati.

(*b*) Nempe novus homo magis magisque fit novus: ἡμέρᾳ καὶ ἡμέρᾳ ἀνακαινοῦται, quò magis crescunt vires ejus sanctæ. *II. Cor. IV, 16.*

(*c*) Describitur enim novus homo, tanquam *mortificans* aut crucifigens veterem. *Col. III, 5. Gal. V, 24.*

(*d*) Tendit enim novus homo ad novam vitam: *ad justitiam & sanctimoniam veram*, quæ in *conversatione* novâ, depositâ veteri, appareat *Eph.* IV, 22. 24. Conf. Dn. D. *Justi* Söffings Disp. Inaug. de Novo Homine.

§. XV.

Similiter notanda est distinctio (*a*) inter hominem externum & internum; quorum ille cum (*b*) veteri; hic cum novo homine (*c*) idem est (*d*).

NOTÆ.

(*a*) Quæ occurit *II. Cor. IV, 16.* ubi opponuntur inter se ἐξω ἄνθρωπος, καὶ ὁ ἔσω θεν. Et *Rom. VII, 22.* atque *Eph. III, 16.* mentio fit hominis *interni* (τὸ ἔσω).

(b) Non enim exterius homo ad corpus aut sensus externos, vel ad eas hominis partes, quas Philosophi ἀλόγους vocant referendus est; verùm stylo Scripturæ denotat corruptionem facultatum animæ humanæ, superiorum pariter atque inferiorum: & vocatur *externus* homo, quia per corruptionem illam *secundùm faciem mundi externam ambulatur*; uti *Balduinus* monet Comm. ad II. *Cor.* IV. Part. II. Quæst. III. p. m. 623.

(c) Certè *corroborari per Spiritum* Dei *in interiore homine*, idem est, atque incrementum capere novarum virium spiritualium, per operationem gratiosam Spiritûs Sancti. *Eph. III,16. Diciturque homo interior, qui a hoc Dei beneficium non incurrit in oculos, sed latet intus in cordibus nostris; unde Ps XLV, 14. omnis decor filiæ Regis ab intus:* exponente B. *Dav. Rungio* Disp. V. ex Ep. II. ad Cor. P. IV. Cap. IV. Thes. IX.

(d) Itaque & interioris hominis incrementum est exterioris decrementum aut corruptio; juxta II. *Cor.* IV,16.

CAPVT III.

De

AFFECTIBVS HOMINIS SANCTIFICANDI.

§. I.

CErtum est (a), dari in homine renato ex parte

parte appetitus sensitivi (b) affectus, seu motus illius (c) ex apprehensione (d) boni aut mali ortos, cum aliqua immutatione (e) corporis (f). NOTÆ.

(a) Et patet quodammodo ex ante dictis de Carne in renato relicta: clariùs autem ex mox dicendis patebit.

(b) Nam quòd aliàs etiam in appetitu rationali affectus locum habere à quibusdem docetur; hujus loci non est considerare.

(c) Actus reales sunt atque interni seu immanentes.

(d) Nempe objecta sensibilia primùm feriunt sensus externos, inde ad phantasiam tendunt, quæ ea sub ratione bonorum aut malorum apprehensa, repræsentat potentiæ appetitûs sensitivi; unde hæc transit in actum appetendi aut aversandi.

(e) Sangvinis certè spirituosi, qui est in corpore: aut spirituum, qui sunt in sangvine. Vel quoad ipsius cordis dilatationem aut constrictionem. Ita discipuli Christi dicuntur παρῳξυσμένοι. *Luc. XXIV, 38.* perturbati vehementer, prout aqua aut liquor alius commotus vel agitatus.

(f) Divisiones verò Affectuum, & Definitiones cujusque, quæ ap. Philosophos videri possunt, hîc omittimus.

§. II.

Affectus illi in se, & secundum communem naturam (a) spectati, nec boni nec mali sunt

(b) mo-

(b) moraliter: prout autem varias admittunt differentias, ratione (c) objectorum & (d) modi; ita fit ut etiam in renatis alii Boni (e) sint, alii (f) Mali.

NOTÆ.

(a) Quatenus sunt motus seu appetitiones facultatis naturalis animæ humanæ.

(b) Ita enim nec simpliciter & in universum præcepti, nec prohibiti prorsùs sunt.

(c) Objecta enim, circa quæ facultas appetens prosequendo occupatur, vel sunt talia, quæ salvâ, aut etiam jubente lege divinâ, possunt appeti; vel talia non sunt. Et similiter, ea objecta, circa quæ facultas appetens fugiendo aut aversando versatur; vel juxta legem divinam sunt aversabilia aut aversanda; vel non sunt. Quam in rem rectè *Augustinus* L. IX. de Civ. Dei cap. V. scribit: *In disciplina nostra* (Christianorum) *non tàm quæritur, utrum pius animus irascatur, sed quare irascatur: nec utrum sit tristis, sed unde sit tristis; nec utrum timeat, sed quid timeat.*

(d) Neque enim parum interest, leniùs? an vehementiùs commoveamur? ac vel in eadem objecta sic aut aliter feramur.

(e) Quò iterùm spectat illud *Augustini* l. c. *Irasci peccanti, ut corrigatur; contristari pro afflicto, ut liberetur; timere periclitanti, ne pereat; nescio utrum quisquam sanâ consideratione reprehen-

hendat. Et sanè de ipso Christo, cum vidisset Mariam *flentem*, ob defunctum fratrem, & *Judæos, qui unà venerant cum ea flentes*; Cap. XI. v. 33. dicit *Johannes*: *Infremuit spiritu, turbavit seipsum.* Ἐνεβριμήσατο τῷ πνεύματι, καὶ ἐτάραξεν ἑαυτὸν: quod dolorem animi non parvum, cum mutatione vultus indicare, manifestum est: præsertim quod additur v. 35. Ἐδάκρυσεν ὁ Ἰησοῦς. *Lacrymatus est Jesus.* Ita *Pontifex* noster *affectus* est *sensu infirmitatum* nostrarum, *tentatus* similiter atque nos, *absque* tamen *peccato.* Et Paulus de se ipso ad Corinthios: *Ex multa afflictione & anxietate cordis* (ἐκ πολλῆς θλίψεως καὶ συνοχῆς καρδίας) *scripsi vobis per multas lacrymas. II. Cor. II, 4.* Atqui hanc etiam tristitiam ex consideratione malorum Ecclesiæ publicorum natam, quam charitas sancta peperit, nemo improbaverit.

(*f*) Ita v. g. improbavit & correxit Christus discipulorum *metum*, ex imminente periculo temporali, suâ tamen virtute facilè avertendo. *Matth. IIX, 26. mœrorem* eorundem, ex contemplatione decollantis spei in regnum temporale, ab ipso erigendum directæ. *Joh. XVI, 6. gaudium* ex vana imaginatione redditæ spei boni temporalis, visô Jesu resuscitatô; quod fidem eorum impediebat. *Luc. XXIV, 41.*

§. III.

Itaque circa affectus hominis renati occupatur (*a*) opera Theologiæ moralis, non ut tol-

tollendos (*b*) omnino, sed ut dirigendos ac moderandos (*c*), quoad objecta (*d*) & modum, (*e*) ut congruant statui (*f*) renatorum juxta voluntatem (*g*) Dei.

NOTÆ.

(*a*) Sanè si appetitus sensitivus subjicitur operationi Theologiæ moralis; fatendum est, motus appetitus illius non esse alienos à cura scientiæ illius practicæ. Et constat ex dictis §. II. (*f*) quomodo Christus & Paulus, cùm in moribus suorum formandis aut emendandis versarentur, affectus eorundem suæ curæ subjecerint. *Augustinus* quoque l. c. breviter ostensurus, *quid de istis passionibus doceat Scriptura divina, quâ Christiana eruditio continetur; Deo*, ait, *illam ipsam mentem subjicit regendam & juvandam, mentique passiones ita moderandas atque frænandas, ut in usum justitiæ convertantur.*

(*b*) Nimirum *Dei* quidem & *sanctorum Angelorum* est, *nullâ passione turbari;* non autem æquè hominum *in vitæ præsentis infirmitate:* quod itidem l. c. docet *Augustinus.*

(*c*) Si videlicet spectemus affectus, ut orituros, aut dum oriuntur. Alias autem, si jam orti sint, ac cessaverint, examinandi sunt ad regulam: &, si pravi fuerint, retractari; ac ne redeant, aut similes aliàs oriantur, caveri debent.

(*d*) Ita Paulus συμπάθειαν Christianam urget

get *Rom.* XII. 15. sed, ut gaudium ac dolor recte se habeant, *gaudere* jubet cum *gaudentibus*, *& flere cum flentibus.*

(*e*) Prout *iram* nec præcipitem, nec diuturnam esse volunt Apostoli, Sed *Jacobus omni homini* mandat, ut sit *tardus ad iram.* Cap. I. 19. *Paulus* quoque attendere jubet, ut si quando *irascimur*, *ne peccemus*; & *ne sol occidat super exacerbatione nostra. Eph. IV. 26.*

(*f*) Vbi superiores facultates viribus sanctis instructæ imperare debent; inferiores autem obedire illis, atque ita confirmari.

(*g*) Revelatam in Scripturis, non solum de his, quæ homini ut homini; verum etiam de his, quæ ei ut renato competunt,

§. VI.

Equidem & affectuum nomine nonnunquam veniunt motus ejusmodi, qui in suo formali conceptu peccati rationem (*a*) habent; in quibus præcavendis (*b*) aut retractandis occupari oportet hominem renatum, sed quia illi plus aliquid, quam affectus simplices (*c*) important; ideo a prioribus distingvi debent.

NOTÆ.

(*a*) V. g. Invidia, Ἐπιχαιρεκακία: quales affectus ad malum determinatos esse, etiam Philosophi agnoscunt.

(*b*) Vid.

(b) Vid. I. *Pet.* II. 1. ubi invidiam omnem deponendam esse renatis, docetur.

(c) Nam invidia quidem *dolorem* importat, sed ex conspectu bonorum alterius natum: Ἐπιχαιρεκακία vero, *gaudium*, non quodlibet, sed ex conspectu malorum alterius ortum. Utrinque includitur relatio ad certam objectorum speciem, unde nascitur determinatio ipsius affectus, ac talis quidem, in qua involvitur exorbitatio à regula; & oppositum quoddam Charitatis Christianæ.

§. V.

Similiter inter affectus recensentur motus aliqui, (a) qui per se boni moraliter, & proinde etiam homini Christiano convenientes ac necessarii putantur (b): sunt autem & illi ad certa objecta (c) restricti; atque aliqui non tam in appetitu sensitivo (d) quam rationali (e) sedem habent.

NOTÆ.

(a) v.g. Amor Dei, στοργὴ parentum erga liberos, atque horum erga illos.

(b) Opposita certe carentia illorum in vitio ponitur: prout in catalogo hominum vitiosorum, *Rom. I. 30. 31. & II. Tim. II. 3. & 4.* recensentur ἄστοργοι & φιλόθεοι.

(c) Videlicet ad Deum super omnia amabilem, & qui nimis amari non potest: vel ad eos, qui quoad charitatem proximi, locum

inter primos obtinent; de quibus tamen, quòd possint nimis amari, constat ex *Matth.* X, 37. *Luc.* XIV, 26.

(*d*) Atqui de talibus h. l. sermonem esse diximus §. I.

(*e*) Certè, uti Deus per essentiam spiritualis est, nec in censu bonorum sensibilium locum habet; ita amor Dei non in appetitu sensitivo, sed voluntate, cui intellectus exhibet Deum sub ratione boni, collocari debet.

CAPVT IV.

De HOMINIS SANCTIFICANDI VARIIS DIFFERENTIIS QVOAD ÆTATEM, SEXUM VITÆQVE CONDITIONES ET STATUS.

§. I.

QVamvis omnes renati ac semper (*a*) ad sanctitatem vitæ contendere debeant; non tamen omnium atque omni tempore, eadem sunt officia (*b*) particularia, eademque (*c*) capacitas. Quare in Theologia Morali, cum de subjecto operationis (*d*) agitur, ad differentias eorum, quorum mores ad sanctitatis regulam sunt formandi, merito attendi debet (*e*). NOTÆ.

NOTÆ.

(a) Vera enim fides, ubicunque & quamdiu est, otiosa non est: & præcepta divina ita obligant renatos, ut quia nunquam plane possunt esse otiosi, semper in cursu operum bonorum inveniri debeant.

(b) Juxta analogiam *membrorum* in *corpore* organico. Vid. I. *Cor.* XII. 12. & seqq.

(c) Prout inter membra corporis alia *imbecilliora* (ἀσθενέστερα) sunt, alia firmiora, l. c. v. 22. Et alias aperte docetur, dari inter renatos, alios *potentes*, alios *impotentes*; atque illos horum infirmitates, portare debere. *Rom.* XV. 1.

(d) Adeoque in ordine ad secuturam tractationem de officiis, non tantum generalem, sed & specialiorem; subjecti capacitas & conditio distinctius cognoscenda & tradenda est.

(e) Nam & alias mores naturales discerni solent a magistris formandorum in aliis morem ad rectitudinis regulam: & qui persuadere volunt, solent ad mores eorum, quibus aliquid persuadere cupiunt, attendere.

§. II.

Itaque pro ratione ætatis, etsi omnes qui doctrinæ audiendæ & intelligendæ *(a)* capaces sunt, dirigere intendat Theologia moralis; simul tamen observat discrimen *(b)*, quo alia pueros, alia adolescentes, alia virilis ætatis homines, alia senes decent: atq; in prima æta-

ætate teneriores animi (*c*) ad pietatem facilius formari, consultationes autem perfectiores non æque ab illis, ut ab adultioribus expectari (*d*) possunt : In Adolescentibus alacritas ad rem gerendam, simul autem inclinatio ad bona jucunda (*e*) apparet: Virilis ætatis homines magis sui potentes esse præsumuntur: Senes non tam affectibus juniorum quam contrariis sunt (*f*) obnoxii. Unde homines diversæ ætatis, defectibus diversis laborantes, variisque peccandi periculis expositi, quisque pro suâ indigentiâ & capacitate præsenti, spectari debet.

NOTÆ.

(*d*) Infantes enim, à pueris ætate distincti, licet fidem eamque non otiosam, habeant : sicuti tamen hanc nobis inexplicabilem habent ; ita Theologiæ moralis operam, quâ discursus ex revelatione Scripturarum petiti proponuntur, nondum admittunt.

(*e*) Discrimen autem illud non tàm numero annorum aut mensium præcisè & in omnibus definiendum esse ; sed pro ratione temperamenti, atque educationis, alias atque alias periodos ætatis, in diversis subjectis constitui, per experientiam constat.

(*f*) Præjudiciis intellectûs & consuetudine

male agendi nondum adeo corrupti: quamvis etiam cerei, qui in vitium flectantur.

(d) Propterea ab aliis potius ducendi, quam suis consiliis tradendi aut relinquendi.

(e) Quo pertinent νεωτερικὰς ἐπιθυμίας. II. Tim. II. 22.

(f) Nempe maturiore judicandi facultate pollentes, tantoque magis obligati ad sectandam perfectionem.

(g) v. g. Diffidendes, morosi, avari &c.

§. III.

Ratione sexus differunt (a) Mares & Fœminæ; ac plerumque (b) alia illorum, alia vero harum (c) indoles est: neque negligenda sequioris sexus (d) infirmitas. Sed & Androgynorum atque Eunuchorum (e) habenda ratio.

NOTÆ.

(a) Quamvis enim quoad *inditionem Christi* in Baptismo *non* differant inter se *masculus ac fœmina:* juxta *Gal. III.* 27. 28. in negotio renovationis tamen, quoad officia pariter & non raro quoad perfectionis gradus differre possunt & solent. vid. I. *Tim.* II. v. 11, 12.

(b) Plerumque inquam, non semper. Interdum enim obtinet illud Poetæ: *Vos equidem juvenes animum geritis muliebrem. Illaque virgo viri.*

(c) Inclinationes ut plurimum aperte variant, inde-

indeque studia & actiones: quibus uti civilis informatio & gubernatio; ita opera illa, qua mores ad Christianismi regulam formantur, accommodare se debet.

(*d*) Quoad imbecillitatem judicii, & vacillantem in proposito exequendo constantiam: quam & ipsas agnoscere par est, ne plus sibi tribuant; & viros, qui cum illis versantur, ut æquitatem magis, quam rigorem servent.

(*e*) Prout varii casus, præsertim matrimoniales, ostendunt.

§. IV.

Accedit differentia hominum Christianorum, quoad vitæ conditionem: quæ porro variat ratione corporis, generis, & bonorum fortunæ diversorum: denique ratione statuum, quos Hierarchicos vocant.

§. V.

Ratione corporis, alii (*a*) sani ac firmi sunt, alii ægroti aut imbecilli: quo referri potest differentia ratione pulchritudinis ac deformitatis (*b*)

NOTÆ.

(*a*) Ita enim laboris, victus, aliarumque rerum atque operum disparitas oritur; ipsique homines valentes ac morbo correpti, quà tales, erga invicem aliter atque aliter sese gerere debent.

(*b*) Ipsa certè vel possessio vel carentia boni hujus jucundi pariter & aliquando utilis, simul autem caduci, nec raro periculosi; alia atque alia officia & curas imponit Christianis.

§. VI.

Ratione generis, alii Nobiles sunt, alii Ignobiles seu plebeji (*a*). Utrinque rursum diversi gradus occurrunt (*b*).

NOTÆ.

(*a*) Unde iterum diversæ vivendi regulæ nascuntur: prout cuique divina providentia certam virtutis exercendæ occasionem ipsô ortu suppeditaverit. Sed & inclinationes & consuetudines vivendi vulgò variare, & alii his, alii aliis nævis aut vitiis obnoxii esse solent.

(*b*) Atque ita aliter cum æqualibus, aliter cum inæqualibus versandi mos & causa est.

§. VII.

Ratione bonorum fortunæ alii Divites sunt, alii Pauperes (*a*): alii Honore aut Potentia (*b*) magis pollent, alii minus aut minime: alii Amicis aut Patronis (*c*) gaudent, alii carent.

NOTÆ.

(*a*) Mores autem illorum atque horum utplerumque ac manifestè diversi & inclinationes ferè contrariæ sunt: illic ad fastum luxum &c. hic ad diffidentiam erga Deum, ad invidiam adversus opulentiores, ad furta &c. vid. *Proverb. XXX.*

XXX, 8.9. *Luc.* VIII, 14. ita emendatione aut directione prudenti utraque hominum classis, quà talis, opus habet.

(*b*) Similis hîc ratio est cum prioribus. vid. *Sirucid.* XIII, 2.12. seqq.

(*c*) Iisque tanquam instrumentis ad rem faciliùs & feliciùs gerendam niti possunt & solent, vel non. Vid. *Proverb.* XIX, 4. seqq. *Psal.* XXXIIX, 12.

§. IIX.

Status Hierarchici, quorum ratione homines sanctificandi in certas classes dispescuntur, tres (*a*) sunt: Ecclesiasticus (*b*), Politicus (*c*), & Oeconomicus (*d*): qui porro singuli (*e*) in varias partes (*f*) dividi possunt & solent.

NOTÆ.

(*a*) Prout vel directè tenditur ad finem supernaturalem, vel ad finem terrenum; & adhunc iterum vel tanquam totius civitatis, vel certæ familiæ, & privatorum in familia bonum.

(*b*) Quem vulgò den Geistlichen aut den Lehr-Stand; & *Clericorum* aut *Cleri* appellant: Eaque nomina, juxta Scripturas, non tantùm præpositis seu ministris Ecclesiæ, sed & auditoribus, adeòq; membris hujus statûs aut cœtûs quibusvis sunt communia.

(*c*) *Laicum* aliàs, aut *secularem* appellant: & sub eô nomine tertium, quem Oeconomicum dicimus, non rarò complectuntur. Germani ge-

neraliore nomine den Weltlichen Stand ſpecialiore den Wehrſtand dicunt : defenſionem publicâ poteſtate & vi præſtandam, ſimul etiam paronomaſiam cum cæterorum ſtatuum nominibus ſpectantes.

(*d*) Aliàs *Domeſticum*; noſtri den Haußſtand/ itemque den Nehrſtand vocant : eò quòd quæ ad Οἰκονομικὴν pertinent, hujus ferè ſtatûs ſunt.

(*e*) Poteſt tamen fieri, ut unus idemque homo Chriſtianus in duobus aut tribus ſtatibus illis locum inveniat : prout non ſolùm Miniſtros Eccleſiæ ſimul cives Reipublicæ, ac patres familiâs eſſe poſſe, pridem oſtenderunt Noſtrates ; ſed &, qui in Statu Eccleſiaſtico ſunt auditores, iidem in ſtatu civili, Magiſtratus aut ſubditi ; in ſtatu domeſtico quoque conjuges, parentes, domini aut ſervi eſſe poſſunt : Imò & qui in politico ſtatu imperant, poſſunt etiam juribus Epiſcopalibus, quæ Eccleſiaſtica ſunt, pollere : ac ſimul in ſocietate domeſtica vitam agere.

(*f*) Prout in ordine ad fines partiales & ſubordinatos, variæ officiorum formæ in quolibet ſtatu locum habere poſſunt & ſolent.

§. IX.

Pertinent ad Statum Eccleſiaſticum *partim* (*a*) perſonæ illæ, quæ munere publico ad Eccleſiæ ædificationem (*b*) directe tendente, funguntur; *partim* perſonæ reliquæ, (*c*) quæ intra

intra societatem Ecclesiasticam ab illis curandæ sunt. Priorum porro variæ functiones (*d*) sunt, ac fortasse rectissime ita distinguuntur, ut quædam sint Gubernantium (*e*), aliæ Verbum ac Sacramenta Dispensantium (*f*); quædam denique prioribus subordinatæ & velut famulantium (*g*).

NOTÆ.

(*a*) Vulgò inter *Pastores* & *Oves* distingvunt vel, inter *Ministros* aut *docentes* seu *Doctores*, atque *Auditores*. Pastoribus ac Doctoribus accensent plurium functionũ Ecclesiasticarum homines.

(*b*) Sive quoad mediorum salutis applicationem, formaliter spectatam; sive quoad alia, ad pædagogiam externam, bonum ordinem, & adminicula cultûs divini ac disciplinam externam spectantia.

(*c*) Quæ correlatum prioris classis hominum constituunt.

(*d*) Scriptura ipsa Διαιρέσεις Διακονιῶν appellat *I. Cor. XII, 5. 28.* seqq. Confer. *Eph. IV, 11. 12.* In Ecclesia plantata autem, & præsertim quoad unionem plurium Ecclesiarum particularium, itemque ad commoditatem singularum, varia officia humanô judicio constitnta & distincta esse constat.

(*e*) Nam & Paulus memorat Κυβερνήσεις *I. Cor. XII, 28.* eoque nomine indicat regimen

Ecclesiasticum, velut ad similitudinem muneris naucleri. Aliàs περισταμένους dicit, *Rom. XII, 8.* Hodiè qui Episcopalia tenent jura, Consistoria quoque, & quæ nostri vocant die Geistliche Gerichte/huc spectant.

(f) Οἰκόνομοι μυστηρίων Θεῦ, dicuntur *I. Cor. III, 1.* Quales sunt nostri Pastores, seu Parochi, Concionatores, Diaconi hodierni: Eodemque referendi sunt Professores Theologiæ, ac suo modo Catechetæ in Scholis.

(g) Curatores fisci Ecclesiastici, Cantores, Custodes seu Æditui &c.

§. X.

Ad statum Politicum referendi sunt non solum qui summa potestate (a) pollent, verum etiam inferiores Magistratus (b) & negotiorum gubicorum (c) gestores, sive pacis sint sive (d) bellica: Cives quoque ac subditi (e) omnis generis, scientiis atque (f) artibus, negotiationibus (g) aut operibus (h) variis addicti.

NOTÆ.

(a) Et hoc ipso ad salutem publicam societatis civilis quærendam aut promovendam ordinantur. Quales sunt in Monarchia Imperatores, Reges, Principes &c. in Aristocratia Optimates, & Populus in statu Politiæ strictè sic dictæ aut Democratia.

(b) Qui dependentes à superiori potestate humа-

humana aliis imperant, leges condunt, judicia exercent, onera pœnasve imponunt.

(*c*) Quales sunt Senatores, Consiliarii, Aulici varii ordinis, quique archivi, ærarii, annonæ, monetæ &c. curam gerunt. Sed & Advocati, auctoritate publicâ constituti, ac licet causas privatorum, tamen in foro publico tractantes.

(*d*) Quoad varios ordines officiorum, nominibus variis appellari solitorum: ita ut etiam gregarii milites hîc spectari debeant.

(*e*) Unde & ipsi Clerici, quos vocant, seu personæ Ecclesiasticæ & ministerio sacro fungentes, officii sui partes hîc inveniunt, quatenùs sunt membra Reipublicæ.

(*f*) Quales sunt Doctores ac Professores omnium Facultatum in Academiis, Præceptores in Scholis, quique illorum curæ sunt subjecti & tractandis atque excolendis studiis addicti. Medici porrò & Chirurgi: omniumque artium liberalium atque exercitiorum corporis magistri pariter & cultores.

(*g*) Sive ampliorem sive tenuiorem mercaturam exerceant.

(*h*) Quales sunt Opifices atque agricolæ.

§. XI.

Quæ in statu Oeconomico occurrunt, personæ, pro diversitate societatum (*a*) simplicium, conjugalis (*b*), paternæ (*c*), & herilis (*d*)

considerari possunt, quatenus in illis locum inveniunt: aut vicem talium (e) sustinent: aut denique cognationis vinculo ex societate quadam simplici resultante (f) tenentur.

NOTÆ.

(a) Nempe ex his conflatur domus, & officia domesticorum pro ratione harum societatum differunt.

(b) Quò pertinent Sponsus & Sponsa, Maritus & Uxor: Reduci etiam huc debent Viduus & Vidua, atque Cœlibes.

(c) In qua comparent Pater, Mater, Filius, Filia; Vitricus, Noverca, Privigni: Avus & Avia ac Nepotes.

(d) Ubi sunt Dominus & Domina, Servus, Ancilla.

(e) V. g. in Conjugali societate Paranymphus; in Paterna Tutores, Curatores, Pupilli: In Herili, servis præfecti aut dispositores.

(f) Unde Consangvinei in linea collaterali; itemque Affines hîc spectari debent.

§. XII.

Omnium autem, quos diximus, statuum ac discriminum homines hic spectari debent, quatenus (a) in curriculo renatorum ad sanctimoniam vitæ tendentium, ipsis aliquid præ-

præscribitur, & in ordine ad alios, cum quibus vivitur, in praxi vitæ Christianæ exequendum est. (*b*).

NOTÆ.

(*a*) Aliàs enim equidem in aliis scientiis spectari poterunt, non autem ut Subjectum Theologiæ Moralis considerabuntur.

(*b*) Nempe ut non solum cuique, quod suum est tribuamus, verùm etiam *sectemur τὰ τῆς οἰκοδομῆς τῆς εἰς ἀλλήλους ea quæ ædificationis sunt, alius erga alium. Rom. XIV, 19.* conf. Cap. XV, 2. Sed de his pro diversitate subjectorum in Parte tertia ejusque Tractatu speciali D. V. agemus.

THEOLOGIÆ MORALIS PARTIS TERTIÆ De MEDIIS AD SANCTIMONIAM VITÆ DUCENTIBUS,

TRACTATUS GENERALIS

CAPUT PRIMUM DE ACTIONIBUS HOMINIS RENATI, QVIBUS AD SANCTIMONIAM VITÆ TENDIT, RATIONE MATERIÆ ET FORMÆ SPECTATIS.

§. I.

CUm Finis Hominis Renati, quem Theologia Morali (a) considerat, sit perfecta & usque ad finem vitæ constans functio sanctarum operationum; facile patet actiones virtutum Christianarum habere se per modum (b) Mediorum quibus ad finem illum contendit & pertingit.

NOTÆ.

(a) Vid. P. I. Cap. I. §. I. p. 29.

(b) Quam-

(*b*) Quamvis enim actiones illæ ipsam vitam sanctam intrinsecè constituere videantur, ita ut hæc nihil aliud sit, quàm complexus talium actionum; non tamen negandum est, actiones illas etiam suo modo habere rationem mediorum, per quas ad vitam perfectè sanctam aspiratur, &, quo ad licet, pervenitur: prout Opera Bona Renovationis negotium ita ingrediuntur, ut tamen efficienter se ad illam habeant : juxta Comp. Th. Pos. P. III. C. V. §. XV. p. 578. Conf. II. *Pet*, I. v. 5. seqq. ad 8. ubi Apostolus renatos monet, ut *omni collato studio fidei* suæ *adjiciant virtutem*, *scientiam*, *continentiam*, *tolerantiam*, *pietatem* &c: idque ideo & velut in ordine ad finem, ut *non-otiosi nec infructuosi constituantur* &c : docens, ipsos hac ratione ad perfectionem quandam vitæ sanctæ perventuros. *Plus enim negando affirmat, quàm si simpliciter affirmaret:* observante *Gerhardo.* Et Paulus *Rom. VI, 19.* renatos & justificatos alloquens : *sistite*, ait, *membra vestra serva justitiæ*, idque εἰς ἁγιασμόν, *in sanctificationem*, aut ad sanctimoniam vitæ, tanquam finem, hôc medio, obtinendum.

§. II.

Possunt autem actiones illæ considerari dupliciter: I. *Materialiter*, ut sunt actiones humanæ (*a*), quod cum aliis actionibus (*b*) commune habent, aut habere possunt. II. *formaliter*, seu quatenus renatis propriæ sunt,

sunt, & ad sanctimoniam vitæ spectant. (c)

NOTÆ.

(a) Moralitatis capaces : unde ab actionibus mere naturalibus distingvuntur.

(b) Quales in Philosophia morali aut Civili considerantur.

(c) Quæ consideratio hujus loci propria est.

§. III.

Priore modo, sunt vel actus *interni* (a), Intellectus (b), Voluntatis (c) & Appetitus sensitivi (d) : vel *externi*, qui per organa corporis (e) exercentur (f).

NOTÆ.

(a) Immanentes, aut Eliciti, alias vocantur.

(b) V. g. Cogitare de Deo & rebus divinis; consultare apud animum de agendis, aut intellectu practico concludere, hoc vel illud esse agendum.

(c) Quales sunt actus Amoris, Fiduciæ, Spei, itemque actos oppositi, circa objecta ab intellectu monstrata occupati : decretum quoque aut propositum voluntatis de actibus aliquibus exercendis.

(d) Superioribus facultatibus subjecti ; unde & μετέχειν πῶς τὸ λόγε, *rationis quodammodo particeps esse* dicitur : & affectus, qui sunt motus

tus appetitus sensitivi, non solum cadere in renatos, sed & stimulos esse actionum Christianarum, partim ex superioribus constat, partim infra docebitur.

(*e*) Dividuntur haud raro in actus *Oris* & *Operis*: quanquam & Gestus aliqui huc pertineant.

(*f*) Notandum tamen, quod non solum actus positivi; sed & omissiones actuum, hic spectandi sunt: prout mala omittere, boni operis rationem habet; præsertim, quatenus supponit actum voluntatis positivum de omittendo malo: ideoque *declinare* malum, *cavere* sibi à malo, dicuntur renati. Vid. II. *Cor.* VI, v. 14. & 17. II. *Tim.* II. 19. *Luc.* XXI. 34. I. *Joh.* V. v. 21.

§. IV.

Objecta actionem illarum sunt: *Deus* (*a*), *Renatus* (*b*) ipse, & *Proximus* (*c*).

NOTÆ.

(*a*) Secundum Essentiam, Personas, Attributa, actiones & beneficia; circa quæ versantur actus religionis seu pietatis.

(*b*) Quod animam & corpus, atque bona & mala animæ, corporis & fortunæ varia.

(*c*) Sive superior, sive par, sive inferior; amicus pariter atque inimicus: ratione animi: corporis & fortunæ; cui bonum inferri, malum averti ab eo potest ac debet.

§. V.

§. V.

Actiones externæ vel proæreticæ(*a*) sunt, vel saltem aliquid (*b*) spontanei habent.

NOTÆ.

(*a*) Quando prævia consultatione, aut deliberato consilio, voluntas promtè ac plenè fertur in aliquid agendum. Quâ ratione Paulus laudat *Corinthios* suos, actum liberalitatis proæreticum exercentes; quippe qui *non solùm facere sed & velle antè cœperint*: jubet autem absolvere, quod cœperant: *Ut*, inquiens, *sicut adfuit ἡ προθυμία τοῦ θέλειν, promptum illud velle, ita etiam adsit ipsum perficere. II. Cor. IIX, 10. 11.*

(*b*) Nempe actiones *Invitæ*, aut involuntariæ cùm per *ignorantiam* invincibilem, quas pœnitentia sequitur, ubi quod ignoratum erat, cognoscitur: tùm per *violentiam* aut coactionem à principio externo, ita ut is, qui agit aut patitur, nihil ex sua voluntate conferat; vel morales non sunt, vel certò non habent rationem mediorum ad sanctimoniam vitæ. Ac bona Opera sponte fieri debere, aliàs ostensum est: ita ut ne quidem actionum *mixtarum* seu talium rationem habeant, quæ mali alicujus ingentis evitandi causa, fiunt; non futuræ, si metus mali abesset: quippe quod actiones renatorum, quæ ad sanctimoniam vitæ spectant, ita fiant, ut si maximè malum aliquod, omissis illis, subeundem non esset, tamen fierent. Vid. Comp. Theol. Pos. P. III. C. V. §. XX. p. 584. Oppositæ

tæ verò sanctis renatorum operibus actiones, à quibus renati abstinere debent, utique non solùm illæ sunt, quæ ἐκ προαιρέσεως contra legem fiunt; sed & istæ, quæ vel ab ignorantibus, vel motu vehementiore præcipitatis, ac speciatim metu alicujus mali tristis, committuntur.

§. VI.

Posteriore modo, seu formaliter, spectatæ actiones sanctæ renatorum, considerandæ sunt partim in ordine ad normam (*a*) secundum quam fieri debent; partim quoad dependentiam suam a viribus (*b*) spiritualibus, quæ sunt in renatis, ipsaque fide (*c*) in Christum.

NOTÆ.

(*a*) Nempe à convenienti sua cum genuina norma, formaliter habent moralem quandam bonitatem: & licet actiones illæ, quales actu fiunt a renatis, quia non usque quaque respondent normæ, etiam hoc respectu coram DEO non absolutè bonæ censeantur; non tamen ideò negligenda est ipsa norma ad quam conformari debent & quodammodo conformantur.

(*b*) Sic enim non solùm spectantur causaliter seu efficienter, in ordine ad DEUM auctorem & gratiam ejus in renatis efficacem; (vid. h. l. Proleg. §. IX. p. 11.) verùm etiam quatenùs ipsæ hæ actiones aptæ sunt, quæ conferant aliquid

ad sanctimoniam vitæ Christianis propriam, neque adeò per opera viribus naturæ præstanda; sed per alia altioris ordinis & naturæ, obtinendam. (Vid. ibid. §. X. not. (d) p. 12.

(c) Quam esse matrem, uti virtutum Christianarum omnium, ita & actionum secundùm varias virtutes; vulgò constat. Conf. Comp. Th. Pos. P: III. Cap. II. §. X. p. 491. 492. & Cap. V. §. IX. not. (c) p. 574. Et ab hac esse, quòd actiones in se imperfectè sanctæ, tamen DEO placent, & bonæ censentur; constans est nostratium sententia. Vid. l. c. §. XIX. & not. (c) pag. 583.

§. VII.

Norma actionum, homini renato propriarum, prima (a) quidem, sed remota (b) & externa (c), est Lex (d) divina in se spectata: altera, subalterna sed proxima (e) & interna (f) est hominis renati Conscientia (g).

NOTÆ.

(a) Sed quâ cognitâ, ad aliam priorem regulam aut normam ad quam illa revocetur, ascendere non licet. Quod de Lege divina, seu judicio ac voluntate Dei, de his quæ renatis conveniant ac fieri debeant; omninò fatendum est.

(b) Nempe lex divina non fit actu norma nostrarum actionum, nisi quatenùs mente nostrâ agnoscitur, quid illa contineat, & quomodo ad agendum obliget: ideoque antequam hoc fiat, norma, non nisi remota, est, (c)

(*c*) Ipsa enim in se spectata, vel consideratur ut est intra mentem DEI, ejusque sapientia, directiva eorum, quæ â nobis agenda atque omittenda sunt, & cunjuncta cum voluntate ut fiant illa, hæc non fiant: vel quatenùs continetur in Scripturis, quæ nobis extrinsecùs exhibentur.

(*d*) Vid. Proleg. §. XII. seqq. pag. 14. seqq.

(*e*) Quâ positâ, non opus est intercedere aliam normam secundùm quam instituantur actiones renatorum.

(*f*) *In cordibus hominum scriptam legem*, vulgò dicunt cum Apostolo, *Rom. II, 15.* sed hîc quidem non tàm spectari debet scriptio *naturæ digitô*, quod ajunt, facta; verùm revelatio in ordine ad cognitionem renatis propriam, juxta *Jerem. XXXI, 33.* & *Ebr. IIX, 10, 11.* licet nec altera illa sit negligenda.

(*g*) Quæ hoc loco non in respectu ad acta præterita; sed in ordine ad agenda, priusquam fiant, & ut fiant, cognoscenda aut cognita, considerari debet: juxta id, quod monuimus P. I. Cap. II. §. I. not. (*f*) pag. 47.

§. IIX.

Requiritur autem ad actionem hominis renati, legi conformem, non solum ut Objectum, circa quod versatur actio (*a*) rationali naturæ conveniat; sed ut etiam secundum circumstantias (*b*) recte se habeat.

NOTÆ.

(a) Et quidem quatenùs Objectum actionis est. Quâ ratione v. g. fiducia, quæ fertur in DEUM, pro objecto habet ipsum Deum; proinde rem ejusmodi, quâ creatura rationalis, tanquam causâ bonorum impetrandorum rectè nititur. Et actus sublevandi indigentiam proximi, pro objecto habet rem (personam) curâ hâc nostrâ dignam &c.

(b) Scilicet *Bonum nascitur ex integrâ causâ*; id est, actio bona non absolvitur solâ convenientiâ objecti, per quod actus suam speciem habet: sed requirit etiam convenientiam quoad accidentia, quæ supponunt actum jam in sua specie constitutum per relationem ad suum objectum, ideoque sunt extra substantiam actûs, illamque veluti circumstant; (Inde enim nomen *Circumstantiarum* ortum est;) seu attingunt & afficiunt, ita ut moralitatem illius spectent: ne importent aliquid legi adversum.

§. IX.

Atque inter Circumstantias primum locum sibi vendicat (a) Finis (b), qui actionum sanctarum omnium ultimus esse debet DEI gloria (c).

NOTÆ.

(a) Tanquam causa actûs humani: quâ movetur voluntas agentis ad agendum. Unde *Gregorius M.* Lib. XXIIX. Moral. Cap. VI, p. m. 952.

952. C. *Quum perversa intentione quid vel rectum agitur, etsi splendere coram hominibus cernitur, apud examen tamen interni judicis obscuratur.*

(*b*) Non tàm actionis in se præcisè spectatæ, sed quem velut externum, agens liberum intendit: qui varius & multiplex actionis specie unius esse potest.

(*c*) Ita enim Apostolus: *Sive manducatis, sive bibitis, sive quid* (aliud) *facitis, omnia in gloriam Dei facite. I. Cor. X, 31.* Et ad Philippenses: *fructus justitiæ* fieri dicit *ad gloriam & laudem Dei.* cap. I, 11. *Petrus* quoque, cùm varia fidelium officia, communia pariter & Statui Ecclesiastico propria, recensuisset; finem ad quem tendere debeant indicaturus, dicit: *Ut in omnibus glorificetur Deus per Jesum Christum, cui est gloria & imperium in secula seculorum Amen. I. Ep.* Cap. *IV*, 11. Ex Patribus autem *Augustinus* Lib. XIX. de Civ. *D.* cap. XV. *Virtutes*, ait, *quas sibi* (mens) *habere videtur. per quas imperat corpori & vitiis ad quodlibet adipiscendum vel tenendum, nisi ad Deum retulerit, etiam ipsæ vitia sunt potiùs, quàm virtutes.* Atque *ita perpetuò docere* Augustinum; ostendunt *Lud. Vives & L. Coqueus* in Comment. ad h. l. p. m. 836. 837.

§. X.

Cæteræ circumstantiæ sunt ex parte Agentis (*a*), Qualitatis aut conditionis (*b*) objecti, Instrumenti (*c*), Modi (*d*) agendi, Loci (*e*) denique

nique & Temporis (f): quarum si aliqua aliter se habeat, quàm lex postulat, actio alias bona futura, fit mala: quanquam si recte se se habeant, augere aliquando possunt bonitatem (g) actionis, & ex adverso aggravare malitiam (h) actus ex se vitiosi.

NOTÆ.

(a) Quò spectant, quæ de differentiis hominum variis, P. II. Cap. ult. diximus. Et vulgò constat, non omnia omnibus convenire; quæque in se indifferentia sunt, tamen aliquibus cavenda esse: prout v. g. ministris Ecclesiæ dictum est illud *Lucæ XXII, 25. Reges gentium dominantur eis, Vos autem non sic.* Imò & ad bonas actiones non rarò ex conditione agendis major aut singularis quædam obligatio ad agendum oritur, secundum illud Salvatoris; *Cuicunque multum datum est, multum qværetur ab eo; & cui commendaverunt multum, plus petent ab eo. Luc. XII, 48.*

(b) Quæ quidem aliquando specificat actum, & ad malitiam moralem, aut certam malitiæ speciem determinat; (& sic nomine ipsius Objecti haut rarò venit:) prout consuescere cum uxore proximi, adulterium est; cum sua misceri licet: intra genus actuum bona aliena invito Domino auferendi, si ea quæ ad Principem aut Rempublicam pertinent, auferantur, non simplex furtum sed Peculatus est: si bona

Eccle-

Ecclesiæ fuerint, Sacrilegium. Aliàs autem etiam quantitas objecti moralitatem actionis mutare potest; uti *vinum* quidem *bibere*, ministris Ecclesiæ concessum est: vid. I. *Tim.* V. v. 23. non æquè *multum vini bibere.* Vid. I. *Tim.* III, 8.

(c) Quod vulgò dicunt, *quibus auxiliis.* Ac facilè patet, non tantùm intelligi instrumenta physica, sed & moralia, Ita peccatum est, vasis sacris uti ad bibendum in prandiis vulgaribus; non æqvè, vasa domestica adhibere: scuticâ uti ad flagellô ad castigandos liberos ubi virga sufficiebat. Sed & alienum est à moribus Christianis, si matres, quæ suô lacte alere possunt sobolem, aliarum præsertim impudicarum mulierum vicariâ opera utantur: aut si parentes, qui domesticos fidei adhiberi possent ad informationem puerorum, hæreticorum hominum operam magis eligant.

(d) Pertinet huc, quod dicit Ecclesiasticus Cap. XXI, 29. *Stultus in risu extollit vocem suam: vir autem solers vix placidè arrisurus est.* Et incorreptione fraterna plurimùm interest, placidè, an acriter? ea fiat.

(e) Scilicet, quæ domi agere licet, non æque in publico, nedum in sacris locis, æquè conveniunt. *Preces*, quæ *in penetralibus* nostris fieri debent, non tamen *in angulis platearum*, & *in conspectu filiorum hominum* rectè fiunt. Vid. *Matt. VI, 5. 6.*

(f) Ita peccârunt discipuli, comites Christi ad montem oliveti, cùm dormirent; non quod dormire in se vitiosum esset; sed quod eô tempore ipsi dormirent, quô vigilandum & orandum erat. *Matth.* XXVI, 43. seqq. *Marc.* XIV, 37. seqq. *Luc.* XXII, 45. seqq.

(g) Certe cùm studium humilitatis & officiorum aliis præstandorum Christianis omnibus commune esse debeat; bonitas actuum ejusmodi augetur, per circumstantiam ex parte *Agentis*, si, *qui maximus est, fiat minimus, & qui ductor est, sicut qui ministrat. Luc. XXII, 26.* Similiter viduam illam, quæ ex penuria sua, duo æra minuta dedit in gazophylacium, amplius dedisse, quam locupletiores alii dederant, pronunciavit Christus, *Luc.* XXI, 3. Porrò Inimicum pascere, præstantius est, quàm eum, qui non offendit. Quæ circumstantia *Objecti* est. Ex parte *Instrumenti* major bonitas accedit actui caritatis, si quis per literas suâ manu scriptas afflictum absentem soletur aut erigat, quàm si tertii cujusdam operâ utatur. Sed & *Modus* agendi addit bonitatem actui, quando v. g. in officio hospitalitatis non tàm domi expectantur hospites & excipiuntur, quàm occurrendo invitantur, exemplo Abrahami *Gen. XIIX, 2. Locus* quoque commendat probitatem Christianorum, cujus specimina edunt *in medio gentis pravæ & perversæ*, tanquam *inculpati filii Dei; Philipp. II, 15.* Unde & *Temporis* circumstantia addere

addere solet aliquid bonitatis actui alias bono, quando v. g. *Stephanus* eô tempore, quô sua res maximè agi videbatur, pro hostibus suis oravit, Et insignior apparuit Serenissimi quondam Saxoniæ Electoris JOHANNIS FRIDERICI, ad religionis sinceræ conservationem tendens, munificentia, cùm eo tempore, quô res suæ & religionis valdè afflictæ erant, Academiam tamen condere cœpit, *præcipuè ob hunc finem, ut doctrina Cœlestis, sicut eam Lutherus piæ memoriæ professus est, hîc traderetur & corruptelæ ingruentes constanter ex verbo divino refutarentur:* juxta tenorem Statutorum Facultatis nostræ Theologicæ in Procœmio.

(*h*) Quod & ipsum patet per inductionem. Actûs proditionis Christi malitiam sanè auxit circumstantia Personæ *agentis*, seu Proditoris, qui erat *unus de duodecim.* vid. *Matth.* XXVI, 14. *Marc.* XIV, 10. Conf. *Chrysost.* Homil. LXXXII. T. II. Op. fol. m. 656. & *Leonis* M. Homil. de Pass. Domini. Sed & alias graviùs peccare judicantur, qui voluntatem DEI magis, quàm alii cognoverunt. *Luc.* XII, 48. vel qui ipsi se *confidunt esse viæ duces, lucem eorum, qui sunt in tenebris* &c. *de Lege gloriantur, & per Legis transgressionem Deum afficiunt contumelia. Rom. II, 19.* seqq. Ex parte *Objecti, gravius* profectò *est, si quis justis potiùs quàm peccatoribus noceat:* uti *Gregorius M.* docet L. XV. Moral. Cap. XIX. p. m. 503. A. augetur quoque malitia, quando

qui

qui jam ante afflictus est, affligitur; aut qui non solùm innocens est, sed & benè meritus, calumniis petitur. Ex parte *Instrumenti* gravius peccat, qui proximum suo ipsius percutit gladio, quàm qui proprio utitur telo; gravior quoque est injuria, quando v. g. filius adversus Patrem, subditi adversus Principem concitantur, quàm si per alios his malum inferatur. *Modus* agendi frequenter aggravat peccatum; prout e. g. Joabi homicidium, in Abnero commissum, ideò exaggerat David, quod ille sub specie secretioris colloquii hunc invaserit. *II. Sam. III, 26.* seqq. & Judæ peccatum atrocius factum est per hoc, quòd osculo prodidit Jesum. *Luc. XXII, 48. Loci* circumstantia auget malitiam peccati, quando v. g. in loco publico committitur crimen libidinis, quod ne in occulto quidem culpa careret: uti *Absalomi* facinus describitur *II. Sam. XVI, 22.* aut in loco sacro vis iniqua infertur insontibus; prout Judæi in templo lapidibus petierunt Christum *Joh, IIX. 59.* Denique *Temporis* ratio gradum malitiæ adjicit peccato, quando cùm sacris negotiis cultûsve divini exercitiis vacandum erat, intemperantiæ aut odii adversus proximum, vel hostiles actus exercentur: e. g. cùm Corinthiorum aliqui eo tempore (quanquam & eô locô) quô Eucharistia sacra celebrabatur, inebriarentur. *I. Cor. XI, 21.* & cùm

Judæi

Judæi imminente Paschate, Christi mortem procurarent; *Luc. XXII, 1.* seqq.

§. XI.

Itaque si actus renatorum humanos, prout contingunt, videamus, quamvis aliqui secundum speciem *(a)* indifferentes esse possint, & sint: quatenus tamen in individuo *(b)* se habent, certum est, nullum eorum esse indifferentem, sed quemlibet esse vel bonum vel malum *(c)*.

NOTÆ.

(a) Id est, dari actus, qui habitâ ratione objecti, à quo determinantur ad certam speciem actuum, fieri & non fieri possunt, adeoque præscindunt à bonitate & malitia morali: quod exemplis actuum discernendi cibos ac dies docet Paulus *Rom. XIV, 2.* seqq. atque hinc infert, non esse alios temerè judicandos aut condemnandos.

(b) Seu quatenùs spectantur, uti hîc & nunc, ab hoc homine, sic & non aliter, ac certi finis causâ, fiunt.

(c) Semper enim homo habet quod agat, & quô ad finem suum tendat: unde non solùm tunc peccet, quando id agit: quod prorsus agere non licet; sed & quando aliud agit, quàm quod hîc & nunc agendum est; aut aliter, quàm agendum est, aut non ad eum quô par est, finem, refert: prout etiam *verbum otiosum* (ῥῆμα ἀργὸν

ἔργον aut ἄεργον) moraliter malum esse, constat ex *Matth. XII, 38.*

§. XII.

Quoad dependentiã actuũ ad sanctimoniam vitæ *(a)* spectantiũ a viribus spiritualibus, observandũ est, quod, ex parte Intellectꝰ Hominis renati operãtis requiratur, ut actꝰ cognoscendi ea quæ agenda sunt, fundetur in revelatione divina *(b)* de his agendis, tanquam ratione assentiendi propria: ex parte Voluntatis autem, ut hæc feratur in ea, quæ agenda sunt, sub ratione boni per revelationem divinam *(c)* cogniti. Speciatim vero *(d)*, ut Intellectus quidem dictitet, hæc esse agenda, quia ita judicat & vult DEVS *(e)* per Christum reconciliatus; & voluntas velit agere, ideo, quod homini cum Deo per Christum *(f)* reconciliato, ita agere convenit, ac tendenti ad perfectionem Christianam, vitamque æternam, ita agere necesse est. Atque hæc omnia talia sunt, quæ ad sui productionem, altius quoddam principium & causam *(g)* quam vires hominis naturales sunt, postulant.

NOTÆ.

(*a*) De qua h. l. consideranda, suprà dicere cœpimus §. VI.

(*b*) Si

(*b*) Si non ut toties eliciatur actus circa revelationem divinam formaliter occupatus; saltem ut habitualis ejusmodi notitia supponatur in mente agentis, & intellectus in conclusiones, quæ virtualiter & implicitè in revelatione divina continentur (cognitâ aliàs earum ab hac dependentia) suô quasi pondere feratur. Quamvis enim naturale dictamen intellectus practici in homine renato nec expiret, nec negligendum sit: qui tamen is illud cum homine non-renato quoddammodò commune habet; ideò hîc alia & renato propria cognitionis practicæ ratio spectanda est.

(*c*) Sive nunc per actum expressum intellectûs formaliter ita sit repræsentatum; sive aliàs voluntati sub hac ratione sit exhibitum, ut eò sit inclinata, & oblatâ occasione in illud mox feratur.

(*d*) Scilicet ut cognoscatur actuum horum à Fide in Christum dependentia.

(*e*) Juxta id, quod dicit Apologia A. C. p. m. 85. *Cùm auditô Evangelio & remissione peccatorum fide erigimur, concipimus Spiritum sanctum, ut jam rectè de Deo sentire possimus & timere Deum & credere ei.*

(*f*) Quod rursum docet Apologia A. C. p. 83. 84. *Non diligitur Deus, nisi postquam apprehendimus fide misericordiam. Ita demum fit objectum amabile.* Eodemque spectant verba antecedentia: *Postquam fide justificati & renati sumus, incipimus Deum timere, diligere, petere &* ex-

expectare ab eo auxilium, gratias agere & prædicare, & obedire in afflictionibus. Incipimus & diligere proximos, quia corda habent spirituales & sanctos motus.

(g) Patet hoc ex ipsa actuum illorum natura, qui sicuti circa ea quæ sunt Spiritûs Dei, rectè occupantur, ita ab ipso Spiritu Dei per supernaturalem operationem in homine produci postulant; quod ex seqq. patebit.

§. XIII.

Sunt autem actiones hominum renatorum sanctæ & spirituales non solum illæ, quæ per se & proxime circa ea, quæ sunt Spiritus Dei, tanquam circa objectum materiale, ac simul sub ratione illis propria & spirituali (a) occupantur; verum etiam illæ, quarum objectum materiale quidem est lumini naturæ subjecta, ipsæ tamen sub ratione aliqua spirituali in eam tendunt, aut ad ea, quæ sunt Spiritus Dei (b), ordinantur. Utriusque generis actus certum est, a supernaturali operatione Spiritus sancti pendere (c).

NOTÆ.

(b) V. g. quando intellectus dictitat, Deum in personis trinum esse Invocandum; Christum Mediatorem esse Diligendum, Sperandam visionem Dei intuitivam &c. & quando voluntas ipsa elicit actum Fiduciæ in Deo triuno

per

per Christum reconciliato ; actum Dilectionis Christi mediatoris ; Gaudii in Deo placato; Spei visionis beatificæ, aut resurrectionis mortuorum.

(*b*) Quò pertinent e. g. actus Diligendi Deum, non ut per lumen naturæ sibi relictum, sed per revelationem ipsius DEI cognitum; actus Diligendi proximum non præcisè vinculo naturali, v. g. sanguinis aut cohabitationis, sed ut in Christo nobis conjunctum, & quia is vult, ut propter ipsum, nos mutuò diligamus. Similiter, contemnere voluptates corporis, non tàm honestatis civilis studiò, quàm intuitu finis supernaturalis, ne eo excidamus; tristia subire, non tàm humanæ gloriæ, aut alterius lumine naturæ cogniti finis, aut rationis impulsivæ gratiâ, quàm ideò, ne Spiritûs Sancti gratiâ privemur ; aut propter Deum, quem in Christo nobis placatum, offendere metuimus.

(*c*) De prioris generis actibus res clara est; quorum modus productionis ex substantia eorum & ratione objecti patet. Sed & posterioris generis actus, quorum ratio sub qua, aut objectum formale est spirituale quid ; aut qui includunt vel connotant actus circa ea, quæ sunt Spiritûs, directè occupatos ; hoc ipso agnosci debent, non esse animales, aut virium humanarum : sed spirituales, ratione causæ efficientis & modi productionis. Conf. B. *Musæi*

Tract.

Tract. de Converſ. Diſp. IV. §. XXXVI. ad XXXIX. p. 263 ſeqq. D. *Speneri* Libell. Germ. vom Unterſcheid der Natur und Gnade.

§. XIV.

Habent ergo actiones illæ rationem Mediorum (*a*) in ordine ad finem Theologiæ moralis, quia in hac (*b*) præſcribuntur, tanquam homini Chriſtiano (*c*) convenientes, & per Spiritus Sancti concurſum præſtitu (*d*) poſſibiles, quibus præſtitis homines pertingere poſſint & pertingant (*e*) ad vitæ ſanctimoniam.

NOTÆ.

(*a*) Ita ut cognitis his, quæ ſunt Media, nunc denique ipſa ratio formalis, per quam in eſſe Mediorum conſtituuntur, obſervari debeat.

(*b*) Juxta naturam ſcientiæ practicæ: ubi operationes propter finem præſcribere, idem eſt, ac media conſequendi finis præſcribere. Unde ſimul patet, non tàm habitus ipſos virtutum, quam actiones, per quas acquiratur habitus, aut quæ ex habitu proficiſci debeant; ac porrò non tam Leges, quàm per leges aut vi legum, operationes quæ fiant ſecundùm leges, præſcribi ſubjecto ad finem tendenti: ita, ut Actiones potiùs, quam Habitus virtutum aut ipſæ Leges, hoc loco, Mediorum nomine veniant.

(*c*) Et

(*c*) Et hâc ratione Bonæ seu appetibiles: quæ *prima* conditio aut requisitum Mediorum est.

(*d*) Solet enim *secundò* requiri ad Medium, ut sit impetrabile. Unde, quando operatio præscribitur homini ad finem tendenti, requiritur, ut homo ipse possit operari, quod præscribitur. Quanquam verò hîc fatendum est, hominem non posse operationes tàm perfectas edere, quales lex in suo rigore postulat: non tamen ideò negari debet, homines per Spiritûs Sancti gratiam posse eatenùs operari secundùm legem, quatenùs necessarium est, ad sectandam, quæ in hac vita datur, sanctimoniam.

(*e*) Nimirum *tertium* seu postremum Medii requisitum est, ut sit utile ad aliud bonum, aut ut habeat relationem quandam & rationem vel causæ, (efficientis, meritoriæ aut impulsivæ minus principalis) vel saltem conditionis, à parte subjecti implendæ in ordine ad finem intentum. Et hoc loco quidem fortasse dixeris, operationes hominis renati, de quibus agitur, esse id, quô efficitur sanctimonia vitæ, aut efficienter ad eam tenditur.

CAPVT II.

De LEGIBUS, TANQVAM NORMA ACTIONUM HOMINIS RENATI.

§. I.

Cum constet (a), actiones, quas Theologia Moralis homini renato præscribit, ad Legem, tanquam normam conformari debere: sciendum est, Legem illam primario & originaliter esse ipsum Dei (b) judicium de his, quæ homini renato, qua tali (c) conveniant, vel non; conjunctum cum (d) voluntate, ut illa fiant à renato, hæc non fiant: & signo quodam externo (e) homini renato per modum imperii declaratum.

NOTÆ.

(a) Ex dictis Cap. præc §. VI. & VII.

(b) In omni enim lege primùm occurrit ex parte Legislatoris judicium practicum de præcipiendis aut prohibendis: prout Philosophus dicit, legem esse λόγον ἀπὸ νοῦ & φρονήσεως καὶ νοῦ, orationem *à prudentia & mente profectam. X. Eth.* ult. Unde Renati primùm attendunt ad Dei sapientissimi judicium de suis officiis.

(c) Partim quatenùs homo est, partim præcisè quatenùs renatus est: ut mox dicemus.

(d) Seu

(*d*) Seu voluntate obligandi ad actuum aliorum exercitium, aliorum omissionem: quam itidem in omni Lege observant auctores. Ita Paulus *I. Thessal. IV, 3. Hæc est voluntas Dei, ut abstineatis à fornicatione.* Et *Petrus I.* Ep. *II, 15. Sic est voluntas Dei, ut benefaciendo os obturetis hominibus stultis.* Confer. *Matth. VII, 21. XII, 50. Marc. III, 35. Joh. IX, 31. Ephes. VI, 6. Ebr. X, 7. 9. 36. XIII, 21. I. Joh. II, 17.* ubi *facere voluntatem Dei* idem est; ac legi divinæ conformiter agere: facere aut servare præcepta Dei. vid. *I. Joh. II, 3. 4. III, 22. 24. V, 3. Apoc. XII, 17. XXII, 14.*

(*e*) Vulgò *promulgandi* voce utuntur auctores: eòque referunt illud *Michææ VI, 8. Indicat* (Deus) *tibi, ô homo, quid bonum, & quid Dominus requirit à te. &c.*

§. II.

Spectat autem judicium & voluntas atq; adeo Lex divina renatos, partim ut homines, seu creaturas rationales (*a*), partim præcisè ut renatos (*b*)

NOTÆ.

(*a*) Seu quoad officia hominibus communia; quæ renatis non minus, imò fortasse magis, quàm aliis incumbunt. Neque enim Gratia, quâ renati sunt, tollit naturam, sed perficit. Et res ipsa loquitur, homines renatos, in his, quæ decent, cedere non debere aliis, quî renati non sunt; quæ verò turpia sunt, tantò

minùs illis licere, qui excellere debent: juxta illud, *Non vocavit nos Deus ad impuritatem, sed ad sanctificationem. I. Thessal. IV, 3. & 7.*

(*b*) Non quòd Deus aut Christus θεάνθρωπος Christianis propriè loquendo novam Legem moralem dederit, sed quod officia quædam renatorum quoad specialem & determinatam rationem suam in beneficio regenerationis ac statu renatorum proprio fundantur: prout v. g. fiduciam collocare in DEO, cuivis homini præceptum est; sed in DEO per Christum reconciliato confidere, renatis proprium est: Deum, hominesque benefactores diligere, hominum ut hominum est, sed Mediatorem θεάνθρωπον diligere, renatorum esse constat. Plura §. XII. dicemus.

§. III.

Priore modo Lex Naturæ (*a*) aut naturalis appellatur, estque de his, quæ ex se honesta aut turpia sunt, atque ideò (*b*) præcipiuntur vel prohibentur (*c*)

NOTÆ.

(*a*) Quia naturam rationalem in se consideratam, aut quatenùs talis natura est, attinet.

(*b*) Non autem contrà: quasi hinc demùm bonæ sint actiones illæ, quia præceptæ; aut malæ, quia prohibitæ. Hoc enim legis positivæ est, quæ naturali contradistinguitur. Naturali autem lege quæ præcipiuntur, talia sunt, quæ

quæ non potuerunt non præcipi; & quæ prohibentur, non potuerunt non prohiberi: propterea quod illæ tali naturæ non possunt non convenire; hæc necessariò disconveniunt.

(*c*) Nempe actus intellectûs divini de his, quæ homini, quatenùs homo est, conveniunt, objecto ita conformis est, ut cognitio ipsa ab objecto determinetur. Et quod Deus creaturæ rationali, quà tali, aliquid necessariò convenire aut disconvenire cognoscit; supponit convenientiam aut disconvenientiam illam à parte rei & necessariò, locum habentem.

§. IV.

Itaque hæc lex Immutabilis est (*a*), non solum quoad principia practica (*b*) generalia, verum etiam quoad (*c*) conclusiones, ut neque illa neque hæ abrogentur unquam, aut abrogari (*d*) possint (*e*).

NOTÆ.

(*a*) Ex parte ipsius DEI legislatoris; & vi sapientiæ, bonitatis ac justitiæ divinæ: quæ non possunt non esse in DEO, neque ullam sui mutationem aut vicissitudinem admittunt: prout certum est, quod *Deus seipsum abnegare non possit. II. Tim. II, 13.* Unde licet Deus summum & absolutum habeat in Creaturas suas dominium; quia tamen creaturas non potest aliter, quàm sapienter & benè justèque regere, fatendum est, eum non posse eas non obligare ad

agenda, quæ per naturam conveniunt, & prohibendo arcere ab his, quæ disconveniunt.

(b) V. g. Deum esse colendum; Proximum esse diligendum.

(c) Quæ necessarium nexum cum principiis illis habent; ideoque eandem veritatem & vim obligandi habent cum suis principiis, ex quibus pendent: qualia sunt præcepta Decalogi.

(d) Ita ut cessent obligare, ac hinc culpa negligi possint, atque aliter agere liceat. Multò minùs putandum est, fieri posse, ut oppositum statuatur per legem aliam ab eodem legislatore, DEO.

(e) Cavendum autem est, ne confundantur *mutatio Objecti*, quod nisi mutaretur, lege naturali afficeretur; & *mutatio* ipsius *Legis naturæ*. Potest enim Deus pro suo in creaturas jure facere v. gr. ut bona Ægyptiorum, ipso supremo Domino decernente, non habeant respectu Israëlitarum rationem rei alienæ, quam auferre aut sibi vendicare non liceret? sed habeat rationem mercedis hactenùs inique retentæ, & à summo judice assignatæ. Unde non ideò mutatur lex naturæ de non faciendo furto.

§. V.

Similiter Indispensabilis (a) est lex naturæ (b), ita ut nemo hominum renatorum ab obligatione ejus (c) excipiatur aut excipi possit (d).

NO-

NOTÆ.

(*a*) Non solùm ratione potestatis humanæ, verùm etiam ut ne Deo quidem dispensatio in jure naturæ tribui à nobis possit.

(*b*) Ac rursus non solùm quoad principia, sed & conclusiones inde necessariò fluentes.

(*c*) Hoc enim de ratione formali Dispensationis est, ut obligatio legis, in aliquo casu, ratione certæ personæ & actionis unius aut plurium relaxetur, quæ aliàs obligatura esset; atque ita non peccet, qui contra id, quod lex continet, agit.

(*d*) Iterum verò notanda differentia, inter Dispensationem & Tolerantiam. Hæc enim est rei molestæ aut ingratæ. Et sic DEUS potest, nec rarò solet, tolerare, quæ revera sunt contra legem naturæ; nec solùm quando semel fiunt, sed cùm frequentantur aut continuantur: non solùm, quatenùs actu non punit delinquentem, quem tamen reum pœnæ habet, & tanquam sub ira, aut extra statum gratiæ, velut puniendum, spectat: verùm etiam quatenùs hominibus renatis contra jus naturæ, non tamen ex proæresi agentibus, peccatum ipsum, licet ex se dignum pœnâ, non tamen actu imputat ad pœnam. Quod, quemadmodum quoad actum unum fieri solet, nec tantùm, quando actualis & distincta seu explicita agnitio peccati, indeque dolor ac pœnitentia peculiaris accedit: ita nec negandum est,

fieri posse in casu delictorum, quæ ab ignorantibus commissa, etiam postquam admissa sunt, non advertuntur ab iis, qui commiserunt: præsertim, quòd legis præcepta generaliora ad specialiores casus aut circumstantias applicare nesciunt. Quibus proinde etiam, in tali peccato, quod est contra legem naturæ; sed non malo animo, perseverantibus, potest à Deo non imputari peccatum: ut tamen non ideò dicendum sit, Deum propriè loquendo dispensâsse. Aliàs enim peccatum planè non esset. Quod si ab aliquibus dispensationis nomen adhibetur, laxior & minùs propria est vocis acceptio. Similiter, quando Magistratus Christianus aliquando tolerat, quæ reverà sunt contra jus naturæ, directè quidem contra conclusionem quandam, à primis principiis aliquantò remotiorem; hominesque in tali statu perseverare, atque actus juri naturæ adversos iterare, vi externâ non prohibet: non ideò in jure naturæ dispensare propriè loquendo dicendus est.

§. VI.

Promulgata (*a*) autem est lex naturæ olim quidem primis (*b*) hominibus per ipsam creationem ad imaginem (*c*) Dei; posteris autem per relictas post lapsum & cum natura propagatas connatasque notitias principiorum (*d*) practicorum. Sed ut magis innotesceret (*e*), placuit Deo, pluribus actibus externis

nis eam repetere & cognoscendam exhibere hominibus, in Scriptura (*f*) Prophetica & Apostolica.

NOTÆ.

(*a*) Factum est, inquam, ab ipso Legislatore Deo, ut judicium & voluntas sua de his, quæ hominibus, quatenùs homines sunt, conveniunt aut disconveniunt, in notitiam omnium, qui culpabili ignorantia non laboraverint, veniret. Et sic publicè proposita aut denunciata est lex illa.

(*b*) Sanè origo legis naturæ inter homines in primis hominibus ac primævo eorum statu rectissimè quæritur.

(*c*) Quatenùs imago illa DEI ex parte intellectûs practici humani spectatur; juxta ea, quæ in Scholis Theologiæ Positivæ traduntur.

(*d*) Per quas fit, ut homines, *legem* actu externo sibi propositam *non habentes*, tamen *sibi ipsis sint lex. Rom. II, 14.*

(*e*) Quidam distingvunt inter *promulgationem* & *divulgationem*, quarum hæc sit applicatio primæ promulgationis ad notitiam subditorum, qui primam illam promulgationem non perceperunt aut percipere non potuerunt. Vid. *Svarez. L. III.* de *Legg. cap. XVI. n. 3. f. 192.*

(*f*) Quam in rem *Theodoretus* de curandis Græc. affect. *T. IV. f. 381. Divina lex novas tra-*

ditiones non affert, sed naturæ leges in memoriam revocat; & scripturas naturæ, quas temporis diuturnitas hominum negligentiâ corrupit (ἃ διέφθειρεν ὁ χρόνος διὰ τὴν τῶν ἀνθρώπων ῥᾳθυμίαν τῆς φύσεως γράμματα) naturæ conditor per præcones suos reſcribit. Conf. *Theoph. Antioch.* ad Autolycum lib. II. ante med. & Auctor Qq. V. & N. T. quæ Tomo IV. Opp. Auguſtini inſeruntur. Q. IV.

§. VII.

Itaque nemo hominum eſt, qui citra culpam (*a*) ignoret legem naturæ. Et principia quidem prima nunquam è cujusquam mente penitus deleri (*b*) poſſunt: concluſionum autem, quæ per conſequentias inde fluunt, cognitio (*c*), practica (*d*) cumprimis, vitio hominum (*e*) proprio & alieno abeſſe poteſt & aliquando ſolet.

NOTÆ.

(*a*) Vid. *Rom. I, 18. 20. 21. 28.* Et ſanè, poſitâ promulgationis univerſalitate & perſpicuitate, oportet ignorantiam eſſe vincibilem: & quia abeſt notitia, quæ adeſſe poterat ac debebat, ſimul apparet, ignorantiam eſſe homini diſconvenientem.

(*b*) Quoad notitiam habitualem ſaltem & in actu primo. Quanquam & actualis notitia nonnunquam apud homines vel maximè ſceleratos ſe exerit; & Auguſtinô teſte, *non usque adeò*

adeò in anima humana imago Dei terrenorum affectuum tabe est detrita, ut nulla in ea velut lineamenta extrema remanserint: unde meritò dici possit, etiam in ipsa impietate vitæ suæ facere aliqua legis vel sapere. Lib. de Spir. & Lit. c. XXIIX. T. II. Op. fol. m. 315. a. D.

(c) Quod Paulus ipse tradit *Rom. I, 21. seqq.* & *Judas Ep. v. 10.* Historiæ autem vereres ac recentiores de conculcatis inter gentes variis legibus naturæ & graffantibus ex adverso manifestissimis criminibus, idololatriæ, libidinis variæ, furtorum, ἀνθρωποθυσίας &c. prolixè loqvuntur. Atque hoc sensu quidam dicunt, Jus naturæ ex parte hominum mutationes aliquas pati. Quod tamen fatendum est non aliter fieri, quàm ut illi sint & maneant legi naturæ reverà & insolubiliter obligati.

(d) Potest enim fieri, ut quis speculativè pro vero habeat, quod tamen in praxi non observat: prout exemplô hominis incontinentis docet Philosophus VII. Eth. c. XI.

(e) V. g. pravæ educationis, & præjudiciorum, humanâ auctoritate vel exemplis aut discursibus fallacibus ingeneratorum; sed & consvetudine malè agendi, quâ certum est etiam intellectum ipsum corrumpi.

§. IIX.

Renati vero, quamvis legem naturæ per naturâ (a) quodammodo in seipsis habeant; tamen

tamen non solum in his legem naturæ agnoscunt & sequuntur, quorum evidentem sive ut principiorum, sive ut conclusionum ex principiis evidentibus deductam, cognitionem per ipsum rationis lumen & usum (*b*) habent: verum etiam, ubi Scriptura aliquid tanquam jure naturæ præceptum aut prohibitum tradit, ipsi quoque eodem censu habent, licet alias sub hac ratione cognituri non fuissent (*c*)

NOTÆ.

(*a*) Et sic demùm, quatenùs in hominibus per naturam est, *Lex naturæ* ab aliquibus appellatur, & tanquam radius aut rivus aliquis ab *æterna Dei lege* distingvitur. Qua ratione *Justinus* Martyr scripsit Apol. I. pro Christ. p. m. 176. ex interpretatione *Sigism. Gelenii*: *Scriptores omnes per inditum sibi nativum rationis semen nonnisi obscurè potuerunt veritatem videre. Aliud enim est semen quoddam & imitamentum, quoad fieri potest* (μίμημα κατὰ δύναμιν δοθέν): *aliud id, à quo gratia hæc & facultas promanat*: (in Græco est, ὃ κατὰ χάριν τὴν ἀπ' ἐκείνου ἡ μετουσία καὶ μίμησις γίνεται: quod *Sylburgius* reddidit: *per cujus gratiam inde provenientem participatio illa & imitatio existit.*

(*b*) Quousque etiam gentilium præstantiores mentem suam excolendo pertigerunt, aut pertingere potuerunt. Quò spectat, quod *Rationem*

tionem tanquam *rem Dei* prædicant *Tertullianus* sub initium lib. de Pœnit. f. m. 551. & *Justinus* Martyr. l. c.

(*e*) Quia enim ratio nostra non solùm in mysteriis cœca est; sed & per lapsum quoad cognitionem rerum naturalium valdè debilitata & corrupta: fatendum est, DEUM multa agnoscere & posse docere, quæ rationali naturæ per se conveniant aut disconveniant, quæ tamen ratio nostra corrupta & sibi relicta non æque assequitur. Unde huc spectant leges illæ in Scripturis traditæ, quarum fundamentum in ipso objecto aut rei natura ponitur: de quibus aliàs disputari solet, utrum sint juris naturæ? vel non? Tales sunt leges de gradibus quibusdam consangvinitatis aut affinitatis in quibus conjugium hominibus inire non liceat. *Levit. XIIX.* & *XX.* lex de conjugio non nisi *duos*, marem unum & unam fœminam, admittente: cujus oppositum, aut polygamia simultanea quævis, adulterium importet. *Matth. XIX. v. 9.*

§. IX.

Inter plures legis naturæ revelationes divinas, ad (*a*) Decalogum per Mosen (*b*) promulgatum (*c*), tanquam ad (*d*) normam (*e*) adæquatam, Christiani quoque meritò attendunt, ut actiones suæ illi sint conformes:

quam-

quamvis juxta explicationem illius (f) ex aliis Scripturæ locis petendam.

NOTÆ.

(a) Conf. Proleg. §. XIII. p. 9. 10. Quod enim ibi sub notione principii cognoscendi tradidimus; hic sub ratione normæ actionum hominis renati, omninò valet.

(b) Tanquam per ministrum: Non enim propriè loquendo Legislator ipse fuit: sed præco, tabellarius aut interpres legislatoris.

(c) Non tàm quatenùs à Mose homine, sed quatenùs à Deo per Mosen, adeoque à Mose ut DEI servo, atque auctoritate divinâ instructô, profectus est Decalogus: certè ita, ut ratio, quamobrem quod in præceptis Decalogi continetur, in praxi observant renati, non ea præcisè sit, quòd hi evidenter agnoscunt convenientiam eorum, quæ ut agenda præscribuntur, cum natura rationali; sed etiam ac vel inprimis, quòd ipsum Dei judicium, voluntatem atque imperium, in verbis Mosis tanquam parte Scripturæ θεοπνεύστου contineri, supernaturaliter agnoscunt.

(d) Nullum enim est præceptum legis naturæ, quod non in præceptis Decalogi, rectè intellectis, saltem virtualiter contineatur. Intelligimus autem h. l. Decalogum quoad moralia: alias enim latiùs patet, quàm sphæra actionum, homini per naturam convenientium; eò quod legis

legis ceremonialis aliquid continet in præcepto tertio.

(*e*) Sanè ad legis Mosaicæ observationem, quatenùs Moralis est, omnes homines obligatos esse, Paulus *Gal. III, 10.* demonstrat ex *Deut. XXVII, 26.* Christianos autem apertè ad Decalogum, tanquam normam agendorum, spectare jubet, *Rom. XIII, 9. Ephes. VI, 2. 3.* Cui accedunt *Jacobus* Ep. *Cap. II, 8. 11.* & *Petrus*, quando *ad sermonem Propheticum* (qui suo ambitu utique etiam sermonem Mosis in Decalogo complectitur) tanquam ad lucernam lucentem attendere jubet. *II. Epist. I, 19. 20.*

(*f*) De qua vid. h. l. Proleg. §. *XIII.* not. (*c*) p. 10. simul *Chemnitium* & *Gerhardum* ll. cc.

§. X.

Præcipue observandum est, quod & olim Lex Mosaica Decalogi (*a*) perfectam obedientiam, quoad actus interiores (*b*) atque exteriores omnes postulaverit, & hodie eadem Christianos ad (*c*) eandem obedientiam (*d*) obliget.

NOTÆ.

(*a*) Cùm enim summa ejus sit, *dilectio Dei ex toto corde, tota anima & omnibus viribus*, juxta *Deut. VI, 5.* & *Matth. XXII, 37. ad 40.* facilè patet ἀκρίβεια actuum, quos lex illa præcipit: & oppositorum omnium prohibitio severissima.

(*b*) Ita

(b) Ita ut etiam actus aut motus primi & indeliberati pravæ concupiscentiæ prohiberentur; & ex adverso actuum cujuslibet facultatis, ipsiusque adeò appetitûs sensitivi, rectitudo exigeretur. *Exod. XX, 17.* & *Deut. V, 21.* Conf. *Psal. LI, 12.* & *LXII, 11.* Atque hac ratione etiam præceptum de *Abnegatione sui* in lege veteri contentum fuisse constat.

(c) Non solum ut caveamus peccata contra conscientiam seu proæretica; sed ut omnes internæ & externæ actiones nostræ sanctæ sint. Hactenùs enim lex illa est immutabilis. Atque huc spectant *Matthæi Cap. V. VI. & VII.* præcipuè *Cap. V. v. 22. 28. 47. Joh. XV, 13.* Conf. B. *Musæi* Tract. de Pœnit. contra J. M. *Stenger. P. III. cap. VI. p. 599. seqq.*

(d) Quamvis enim Lex Mosaica non sit pars fœderis novi, propriè loquendo; est tamen fœderatorum regula vitæ. Conf. B. *Mus.* l. c. p. 580. Et licet, deficientibus his in præstanda tàm accurata obedientia, ex humana infirmitate ac citra proæresin; lex illa actu secundo non attrahat obligationem ad pœnam: non tamen ideò cessat ipsa legis obligatio ad obsequium: sed ex aliena Mediatoris obedientia, quam renati fidi amplexi sunt, ac Deus ipsis imputavit ad justitiam; accidit, ut ipsi ad obsequium obligati, non tamen ob defectum proprii ac pleni obsequii, pœnæ reatum actu incurrant.

§. XI.

§. XI.

Ad renatos, quatenus renati aut Christiani sunt, spectat judicium & voluntas DEI & CHRISTI, non ut peculiares (*a*) leges morales, in lege naturæ non contentas ferat: sed ut partim ad ea, quæ legis naturæ sunt, novam obligationem (*b*) ex statu renatorum proprio nascentem imponat; partim, accedente Evangelii doctrina, ad specialia sub generali lege contenta (*c*) præcepta descendat, à renatis observanda (*d*).

NOTÆ.

(*a*) Est enim lex naturæ perfecta & adæquata regula morum humanorum: ut modò ostendimus. Et Christum non esse novum Legislatorem; sed legem veterem Mosaicam repetiisse, vindicasse, & inculcasse, passim à Nostratibus docetur: præcipuè ex *Matth. V, 16 seqq.*

(*b*) Quò manifestè spectant verba Pauli, quibus obligationem renatorum ad bona opera inde deducit, quòd ipsi sint *conditi in Christo Jesu* (per actum spiritualem regenerationis, operi creationis analogum) *ad bona opera Eph. II, 10.* similiter ex eo, quòd *liberati à peccato, servi justitiæ facti sint. Rom. VI, 13. seqq.* Johannes quoque obligationem renatorum ad charitatem fraternam inde petit, quòd sint *in luce*, seu spiritualiter illuminati, *I. Ep. II, 8.* quòd *Christus*

ex mera *dilectione* pro iis sit *mortuus*. Cap. III, 16. quòd à *Deo* omnes *diligantur*. cap. IV, 11. &c. Imo abundat talibus Scriptura : atque infrà, ubi de officiis renatorum distinctiùs agendi locus erit, multa occurrent.

(*c*) Quale est præceptum de Imitatione Christi : nempe quoad actus fiduciæ erga Deum, charitatis, humilitatis ac perseverantiæ in precibus, patientiæ calamitatum, ipsiusque mortis, præsertim pro nomine aut doctrina Christi. Quæ quidem omnia in præceptis, primo & secundo, Decalogi continentur virtualiter, vi generalium verborum atque obligationis : quoad specialem autem & determinatam rationem suam, supponit præceptum istud doctrinam Evangelicam de Christo & officio ejus. Talis quoque est lex, quæ Christianos omnes ad opera Sacerdotii spiritualis obligat : scilicet opera sacrificiis aliisque actibus sacerdotum veterum ἀναλογα ; quæ quoad rem ipsam in actibus primæ & secundæ tabulæ Decalogi consistunt : quoad determinatam vero operum sacerdotalium rationem, supponunt doctrinam Evangelicam de statu, privilegiis & præstantia renatorum.

(*d*) Quâ ratione non est metuenda Legis & Evangelii confusio : quando non statuitur, Evangelium propriè loquendo, directè & formaliter præcipere aut mandare opera. Unde nec *legis Evangelicæ* appellatio nostratibus, ita in

in usu est: sed vel, ob ambiguitatem, vitatur; vel certè sine declaratione non adhibetur.

§. XII.

Positivas leges divinas ex mero (*a*) beneplacito Christi divino profectas, renati in N. T. non habent, nisi (*b*) ceremoniales (*c*), quæ sacramentorum (*d*) usum attinent.

NOTÆ.

(*a*) Quæ proinde in hoc differunt à lege naturali, quòd non æquè spectent ea, quæ hominibus, ut talibus, necessariò conveniunt aut disconveniunt: sed de his, de quibus in alterutram partem lex naturæ nihil determinavit; ideòque poterant hæ leges positivæ non ferri, ac citra peccatum aliter agere licuisset, nisi Deus pro suâ liberrima voluntate sanciviſſet. Sancivit autem, quia vidit, expedire renatis in ordine ad finem suum, ut aliquid in alterutram partem determinetur. Quanquam necesse non sit, ut hominibus ipsis manifestè semper appareat, quem illa peculiarem usum habeant.

(*b*) Quas enim Doctores aliqui Leges *Morales positivas* agnoscunt; has ad ipsam naturæ legem alii referunt: quibus & nos accedimus.

(*c*) Equidem leges ceremoniales Mosaicæ, sua multitudine, sumtu & labore onerosæ, in N. T. abrogatæ sunt. Sed tamen non ideò statuendum est, quòd Christiani nullâ lege ceremoniali divinâ teneantur. Forenses autem

Leges positivas, Ecclesiæ N. T. à Christo datas, non novimus.

(*d*) Ita B. *Jos. Stegmannus* in Photinianis. Disp. XIX. Q. VIII. p. m. 320. ad quæstionem: *An præcepta quædam specialia à Christo promulgata sint?* respondsurus: *de præceptione ad Ceremonias pertinente, qualis est Cœna, nullum esse dubium*, dicit. Conf. Disp. XLV. Q. 1. p. 724. Et Theologi Wittebergenses in Refut. Catech. Racov. Art. V. Cap. III. p. 380. *institutionem S. Cœnæ præceptum Evangelicum* dici posse, monent: quia sit de medio gratiæ, (& velut appendice Evangelii,) in usu constituendo: unde addunt, non esse pro nuda ceremonia Ecclesiastică, quæ per Ecclesiam mutari aut abrogari potest, habendam. Vim autem præcepti petunt ex *I. Cor. XI, 26.* Atqui etiam de Baptismo constat, quamvis ante susceptum à Christo ministerium, à Johanne, (*misso* divinitùs, *ut baptizaret, Joh. I, 33.*) administrari cœperit; tamen ad ejus usum homines præceptô Christi expressô, velut solenniter obligatos fuisse. *Matth. XXVIII, 19.*

§. XIII.

Dantur autem etiam leges positivæ (*a*) humanæ, renatis, (*b*) tanquam norma (*c*) actionum suarum, observandæ, eæq; partim Ecclesiasticæ, (*d*) partim Politicæ (*e*).

NOTÆ.

(*a*) Humanâ, inquam, auctoritate sanctæ, de his, quæ secundùm se indifferentia sunt, ita

ita tamen, ut alterutrum in partem aliquid determinari, interſit aut expediat ſocietati, ad certum finem.

(*b*) Non quaſi omnes renati omnibus ejusmodi legibus teneantur: ſed pro ratione ſocietatis, in qua ſunt, & ſtatûs ſui intra ſocietatem.

(*c*) Licet non primaria, ſecundaria tamen, aut ſubalterna; ut poſt paulò videbimus.

(*d*) Societati Chriſtianorum, quà tali, latæ, in ordine ad felicitatem Chriſtianis propriam.

(*e*) Quæ ſpectant ad ſocietatem civilem in ordine ad felicitatem naturalem.

§. XIV.

Eccleſiaſticæ Leges, quæ res (*a*) religionis & ſacrorum exercitia (*b*), concordiam, diſciplinam, ordinem ac decorem attinent, aliæ ſunt (*c*) univerſæ Eccleſiæ, (*d*) aliæ particularis (*e*) unius aut plurium.

NOTÆ.

(*a*) Uti enim Eccleſiam h. l. deſcribunt cœtum hominum, Chriſtianæ religionis & ſacrorum cauſa convenientium: ita lex Eccleſiaſtica inde appellationem habet, & intelligi poteſt.

(*b*) V. g. publicam prædicationem doctrinæ & adminiſtrationem ſacramentorum, quoad ſtata tempora, & locos, aliasque circumſtantias, quibus devotio Chriſtianorum excitetur aut adjuvetur: porrò diſtinctionem officiorum, & poteſtatem aliorum in alios, coercitionem aut

castigationem heterodoxorum & flagitiosorum, matrimonia &c.

(c) Non quòd à totius Ecclesiæ Christianæ visibili Capite, Christi vicariô, pro plenitudine potestatis sint latæ: tale caput enim non agnoscimus; aut quòd in Concilio quodam, quod totam Ecclesiam Christianam perfectè repræsentaret, communibus votis consignatæ & promulgatæ sint: (nam & Concilium ejusmodi nullum habuimus post Apostolorum tempora:) sed quòd à parva fidelium congregatione ex usu communi Ecclesiæ sancitæ, deinceps omnium Ecclesiarum particularium liberô consensu receptæ & approbatæ fuerunt. Atque has Juri Gentium κατ' ἀναλογίαν respondere, quidam docent.

(d) Tales vulgò habentur Canones quatuor Conciliorum, quæ Oecumenica vocantur; Nicæni, Constantinopolitani, Ephesini & Chalcedonensis; simul autem & particularium, interim habitorum, Ancyrani, Neocæsarienſis, Gangrensis, Antiocheni & Laodiceni: qui omnes numerô CCVII. unum quasi *corpus* aut *codicem* (tali quoque nomine appellari solitum) conficiunt. Quamvis successu temporis etiam fictitii *Canones Apostolorum* istis accensèri cœperint. Vidd. de Collectione Canonum Dn. Geb. Th. *Meieri* Historica Relatio, Codici Canonum à Christ. Justello edito præmissa: B. *J. Strauchii* Amœnit. J. Can. Semestr. I. Eclog. VI. Cap. 1. p. 105, 106. Dn. *C. Ziegleri* Dissertat. de Orig. & In-

Increm. J. Canon. quam Juri Canon. notis ad Institutiones I. P. Lancelloti à se enucleato præmisit, §. VII. seqq. p. 4. seqq. &, *Gerh. von Maastricht* Historia Juris Ecclesiastici §. XXVIII. seqq. pag. 17. seqq.

(*e*) Quæ vel in conciliis Nationalibus, Provincialibus aut Diœcesanis, pro statu Ecclesiarum illarum, quoad regimen aut disciplinam, aut ritus, liberè sancitæ; aut aliàs ab his, qui Jurisdictionem Ecclesiasticam tenent, auctoritate publicâ, latæ sunt, & nomine *Agendarum Ecclesiasticarum* haud rarò veniunt. Quarum legum, Canonum & Constitutionum magna est varietas. Dicitur autem respondere Juri civili positivo aut statutario.

§. XV.

Politicæ leges (*a*) ad societatem (*b*) humanam & respublicas, harumque rectores, cives atque incolas, eorumque bona temporalia (*c*) spectant, & pro diversitate ipsarum societatum, præsertim formæ earum (*d*), variant.

NOTÆ.

(*a*) Quò fortasse referre licebit Jus gentium, non prout aliquando hoc nomine quædam veniunt, quæ reverà sunt Juris Naturæ; sed quatenùs intelligitur id, quod de his, quæ juri naturæ determinata non erant, gentes inter se plures aut moratiores omnes, quasi ex compacto constituerunt: De quo tamen, an Legis

nomen propriè loquendo sustineat? aliqui dubitant. Interim Christianis illud servandum esse, dubitari non debet.

(b) Nempe leges voluntate humanâ latæ non obligant, nisi in respectu ad societatem.

(c) Quæ verò hoc ambitu continentur, tàm multa atque varia sunt, ut h. l. recenseri nequeant.

(d) Sunt enim *leges omnes ad Remp. accommodandæ, non autem Respublica ad leges:* uti Philosophus monuit IV. Polit. c. I. Et Christus ipse atque Apostoli leges Romanas à Christianis observari voluerunt potiùs, quàm ut vel veteres Mosaicas urgerent; vel novas imponerent. Quanquam legum quarundam forensium Mosaicarum usum liberè revocari posse, non sine Ecclesiæ Christianæ commodo, pridem monuerunt ex nostris B. *Æg. Hunnius* Exposs. Ep. ad Rom. c. XIII. Loc. com. III. & B W *Franzius*, de Interp. Script. Orac. LVIII. p. 517 De collatione autem Legum Romanarum & Ebræarum videri possunt *Justus Calvinus* Themide Ebræo Romana, *Guilielmus Zepperus* in Explanatione Legum Mosaicarum Forensium. *Guilielmus Velrot* in parall. Juris Judaici & Romani. *Molinæus* in Collatione LL. Roman. & Ebræarum. *Josua Arndtius* in Manuali Legum Mosaicarum.

§. XVI.

Habent autem Leges illæ non solum divinæ,

næ, verum etiam humanæ, quæ injustæ non sunt; omnes quidem rationem (*a*) normæ actionum hominis (*b*) renati, sed non eodem (*c*) modo. Divinis enim legibus, præsertim naturali, normæ primariæ (*d*) vis & ratio competit: sed positivæ humanæ, Ecclesiasticæ & politicæ, quam etiam in conscientia (*e*) obligent, attamen non nisi per modum normæ secundariæ (*f*) sese habent (*g*)

NOTÆ.

(*a*) Postquam enim vidimus, quæ sit norma actionum illarum, jam porrò ostendendum est, quomodo ratio formalis normæ, in his, quæ pro norma habentur, appareat.

(*b*) Ita scilicet, ut ad has revocari debeat, si quid agendum occurrit, & quod conforme est agatur, tanquam rectum & renato conveniens: quod non conforme est, omittatur, tanquam pravum & dedecens: seu ut necessitas quædam moralis homini renato incumbat, ad agendum, quod lex præscripta jubet, & omittendum, quod illa vetat.

(*c*) Aliæ enim aliis subordinantur: neq; omnes æquè latè patent; uti mox manifestum fiet.

(*d*) Quam *Varinus* definivit, Μέτρον ἀδιάψευστον, πᾶσαν πρόσθεσιν καὶ ἀφαίρεσιν μηδαμῶς ἐπιδεχόμενον. i. e. *Mensura infallibilis, nullam*

additionem vel detractionem admittens. Talis autem utique est lex divina; præsertim naturalis. Positivæ enim leges divinæ, etsi infallibiles omninò sint, tamen particularis potiùs, quàm universalis normæ rationem habent; ac fundatur obligatio illorum in illo legis naturæ præcepto: Quicquid Deus jubet, faciendum est.

(e) Satis apertè Paulus *Rom. III, 5. Oportet esse subditos* magistratui, ejusque edictis, *non solùm propter iram; sed etiam propter conscientiam:* scilicet, quòd salvâ conscientia non possimus illis denegare obsequium, ideoque parendum sit, quamvis fortè ira aut pœna à Magistratu expectanda non foret, cùm secùs egerimus. Loquitur autem Apostolus non solùm de eo casu, quando Magistratus præcipit, quæ sunt ipsius Legis naturæ; sed generaliter, quoad omnia, quæ non sunt contra Legem naturæ aut divinam. Itaque, *quæ ab ecclesia bonis de causis introducta & servata sunt adiaphora, in his nemini pro lubitu agere licet, sed ad ecclesiæ consuetudinem* (multò magis ad legem ejus,) *adstricti sunt omnes Ecclesiæ cives:* ait B. *Balduinus* Instruct. fut. min. verbi cap. XXII. §. 5. Similiter promulgatis per voluntatem Majestatis civilis legibus, sua quemque conscientia, recta quidem, convincit, illas peccati cavendi causâ esse servandas his, qui Majestati subsunt, quoad usque nihil naturali vel divinæ legi adversum præcipitur.

(f) Ni-

(*f*) Nimirum ex lege Dei æterna originem trahit vis illa normandi aut obligandi, in eamque ultimò redit: ita ut actiones, quæ legibus humanis conveniunt, ideò bonæ sint, quia simul legi Dei æternæ conveniunt, quæ præcipit *obedire præpositis* ac *magistratui*: (*Ebr. XIII, 17. Rom. XIII, 1. seqq. I. Pet. II, 13. 14.*) prout ex adverso, quæ legibus illis humanis repugnant, non ideò præcisè sunt peccata, quia contra illas fiunt, sed quia simul repugnant legi Dei æternæ.

(*g*) Facile etiam cognoscitur, leges humanas non esse regulam *universalem* sed *particularem*, non normam *adæquatam* sed *inadæquatam*: neque enim de omnibus actionibus nostris decernunt, sed de aliquibus. *Mutabiles* quoque esse, ac *dispensabiles* propriè loquendo, facilè constat, quia non agunt de his, quæ per se necessaria sunt.

§. XVII.

Ad illam itaque normam legis, (*a*) necesse est, id omne (*b*) referatur, quicquid est actionum hominis renati sanctarum, & quantumcunque (*c*) perfectarum. Neque enim Consilia (*d*) quædam supra (*e*) Legem Divinam, quibus respondeant opera perfectiora renatorum, agnoscimus.

NOTÆ.

(*a*) Divinæ cumprimis ac naturalis: juxta ea, quæ hactenùs diximus.

(*b*) Exigit enim omnium actionum summa-

Universitäts Bibliothek Rostock http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn821935313/phys_0175 DFG

mam perfectionem: juxta §. X. p. 143. Sanctitatis autem corruptela est, quando negatur, solam legem esse normam bonorum operum, ut hæc multiplicari possint.

(c) Actiones profectò hominis renati ne quidem assequuntur eam perfectionem, ut exactè respondeant legi: tantum abest, ut dentur aliquæ perfectiores ultra legem.

(d) Quæ cum legibus in eo conveniunt, quod & ipsa spectant actus humanos liberos, eosque ut exercendos aut non exercendos proponunt: differunt autem à legibus, quod hæ obligant, aut necessitatem moralem imponunt; illa non item.

(e) Aliàs agnoscimus, dari posse, uti Leges positivas, de exercitiis quibusdam in se indifferentibus, sed ad pædagogiam aut adminicula externa devotionis cultusque Divini spectantibus; ita etiam Consilia, quibus hæc tanquam utilia suo modo commendentur, quando nondum sunt, Lege aliquâ, sancita. Sed in ordine ad opera, quæ per se ad cultum Dei spectent, nec tamen lege Dei præcepta, sed præceptis perfectiora sint; falsum est, dari consilia, quæ talia opera svadeant.

CAP.

CAP. III.

DE CONSCIENTIA PRACTICA.

S. I.

UT actiones hominis renati singulares sanctæ sint, requiritur, ut non solum in se sint licitæ & legi conformes, sed ut proficiscantur à dictamine intellectus practici ipsius hominis (*a*) renati, judicantis, quod hic & nunc illud sit agendum. Quam vulgo vocant Conscientiam (*b*) practicam (*c*).

NOTÆ.

(*a*) Ita Paulus *Rom XIV, 5.* Ἕκαστος ἐν τῷ ἰδίῳ νοὶ πληροφορείσθω. i. e. *Unusquisque in animo suo plenè certus esto:* scilicet ut sciat, se rectè agere, aut acturum, quod agit aut acturus est.

(*b*) Συνείδησιν ipsa vocat Scriptura. *Rom. XIII, 5.* Apud *Plutarchum* etiam in Publ. & *Stobæum* Serm. XXIV. appellatur τὸ συνειδὸς. Ebræi nomine לֵב, quod *Cor* significat, utuntur: quô & ipsam mentem, & actus ejus, cogitationes, studia, consilia, atque ita etiam Conscientiam designant. Vid. *Genes. XX, 7.* Denotat autem Conscientia, vi vocis, scientiam seu notitiam, quam quis cum alio, aut aliis, communem habet. Ac præsente in loco, cùm de conscientia homi-

hominis renati in ordine ad actiones exercendas agitur, non abs re dixeris, intelligi scientiam ejusmodi, quâ homo renatus persvasus est, Deum ipsum judicare, hoc esse hîc & nunc agendum, istud non esse hîc & nunc agendum: ita ut hanc notitiam habeat cum ipso Deo, humanarum actionum arbitro aut æstimatore accuratissimo, communem.

(*c*) Formaliter scilicet. Nam Conscientiam, quæ circa actiones præteritas versatur, aliqui *speculativam* aut theoreticam vocant, quia has actiones, quæ præteriæ sunt, non præscribit; sed an benè aut malè gestæ sint, cognoscit: alii *speculativè practicam* appellant; quia sic cognoscit actiones, ut earum intuitu vel absolvat vel condemnet, lætari aut dolere jubeat. Hæc autem, quam nunc spectamus, directè fertur in actiones, præscribendo gerendas & non gerendas. Unde quidam hoc judicium intellectus esse *practicè practicum*, dicunt.

§. II.

Differt itaq; Conscientia à Lege, (*a*) quod hæc generales agendorum regulas continet; illa spectatis circumstantiis actionis singularis (*b*), cujus occasio adest, velut ex vi generalis asserti legis (*c*), concludit. (*d*)

NOTÆ.

(*a*) Quamvis enim aliquando Conscientiæ vox ita latè accipiatur, ut ipsam principiorum practicorum & legis naturæ cognitionem quam

quam Græci Συντήρησιν vocant, suo ambitu complectatur; hîc tamen strictior significatio valet.

(*b*) Prout in Syllogismo practico, Majorem esse Legem aut Jus; Minorem esse Notitiam facti seu actionis, quidam statuunt.

(*c*) Seu applicando principia universalia, tanquam regulam, ad actionem aliquam singularem, quæ normanda est. Quâ ratione Conscientiam non tàm esse regulam, quàm usum aut applicationem regulæ, quidam monent.

(*d*) Est sanè dictamen conscientiæ Conclusio ejusmodi. Atque hinc etiam nomen Conscientiæ arcessit *Rob. Sanderson* Tract. de Oblig. Conc. pag. 8. quòd sit quasi conjuncta scientia, universalis & particularis. Et videtur præiviſſe *Thomas* P. I. Q. LXXIX. art. XIII. in concluſ. Quæ tamen alluſio potiùs, quàm etymologia, aliis videtur.

§. III.

Atque hac ratione (*a*) Conscientia non tam habitus est aut potentia, quam actus secundus intellectus practici: quamvis alias, juxta Scripturas (*b*), Conscientiæ nomen etiam aliquid in homine permanens, tanquam vim aut facultatem vel ἐνέργειαν (*c*) aliquam importare videatur.

NOTÆ.

(*a*) Quando significat conclusionem mente

te formatam, aut, si consideremus vim verborum, *judicii, dictaminis &c.* quæ actus secundos important.

(*b*) v. g. Quando Conscientia dicitur *pollui. Tit. I, 15. cauteriô inuri. I. Tim. IV, 2. emundari. Ebr. IX, 14.* Nec diffitetur *Thomas* l. c. *consvetum esse, quod causæ & effectus per invicem nominentur:* id est, principium actûs seu dictaminis practici, & ipse actus, eodem aliquando nomine veniant.

(*c*) Quæ in homine manere potest, etsi non semper se exerat. Confer. B. G. *König* Prooem. Cas. Consc. pag. 3.

§. IV.

Dividi solet (*a*) Conscientia in *Rectam* & *Erroneam:* quarum *Illa* est actus intellectus practici (*b*), quo quæ revera juxta legem agenda sunt, agnita circumstantiarum cum lege conformitate, hic & nunc agenda esse, (*c*) judicantur; aut, quæ revera talia sunt, ut legi, quæ obligat, repugnent, cognitis circumstantiis, judicantur (*d*) non esse agenda. *Hæc* autem consistit in actu intellectus, quo is judicat, aliquid hic & nunc esse agendum, quod tamen legi alicui, qua ipse obligatur, repugnat, ideoque omitti (*e*) debebat: aut, judicat, aliquid hic & nunc non esse agendum, quod tamen fieri (*f*) debebat.

NO-

NOTÆ.

(*a*) Ratio divisionis petita est à diversitate terminationis actuum intellectus practici ad sua objecta. Quanquam enim Conscientiam hominis renati semper oportebat esse rectam, & legi ac rebus agendis conformem : fit tamen, ut is in cognitione hac practica nonnunquam fallatur, & erret : quemadmodum Mariæ, matri Christi, accidit, cum filium puerum Hierosolymis commoratum, reprehendendum judicaret. *Luc. II, 48. 49.*

(*b*) Philosophi conscientiam rectam describunt, quòd sit judicium rectæ rationis, quà talis: hanc autem docent versari circa res naturaliter cognoscibiles, uti sunt. Sed quia renati ex parte intellectus etiam luce supernaturali pollent; eaque non tantùm circa credenda, sed & circa agenda, sub ratione quadam spirituali cognoscibiles, versatur; (ut suprà monuimus:) ideò conscientia illorum recta ad rationem, non sibi soli relictam, sed lumine gratiæ illustratam referri debet. Certè cùm de Conscientia hîc loquimur, cavendum est, ne conclusiones naturaliter notas tantùm spectari putemus.

(*c*) Talis erat conscientia Mosis, cùm *potius eligeret simul malis affici cum populo Dei, quàm temporariis peccati commodis affici. Ebr. XI, 25.*

(*d*) Sic *Joseph* ab uxore heri sui ad concubitum lacessitus, judicavit, id sibi non licere. *Genes. XXXI, 9.*

(*e*) Quâ ratione Paulus de se nondum conversо; *Ego quidem*, ait, *existimabam, me adversùs nomen Jesu Nazareni multa oportere facere contraria. Act. XXVI, 9.*

(*f*) Exemplo esse possunt veteres Judæi sub Mathathia Duce, qui die Sabbati, ab hostibus impetiti, non licere sibi se defendere putârunt: posteà verò, errore agnitô, aliud statuerunt. Vid. *I. Macab. II. vers. 34. seqq.*

§. V.

Porro Conscientia dividitur (*a*) in Certam & Opinativam: quarum illa importat dictament intellectus, de actione singulari, exercenda aut omittenda, certo argumento (*b*) nixum, atque ita formidinem oppositi excludens. Hæc consistit in dictamine Intellectus de actione singulari committenda vel omittenda, ex probabili quadam (*c*) ratione, qua animus in unum oppositorum determinatur, etsi formidinem oppositi omnem (*d*) non excludat.

NOTÆ.

(*a*) Pro diversa ratione assentiendi, quæ in eo dictamine intellectûs locum habet. Alii Conscientiam primo statim distingvunt in Rectam, Probabilem & Erroneam: quibus proinde recta conscientia idem est ac certa; Probabilis etiam ab erronea distingvitur, quòd ipsa non

non erret, etsi fortassis errare posset. Alii Rectam conscientiam in certam & opinativam subdistingvunt; ideoque opinativam eam intelligunt, quando non fallit mentem opinio, etsi fallere possit. Erroneam verò eam dicunt, quando ipso actu fallitur, opinione quadam aut ψευδοφαινομένῃ intellectûs.

(*b*) Ita ut in Syllogismo practico major & minor certò constent: & major quidem, quæ jus ipsum, ut diximus, continet; vel naturaliter sit evidens, vel per revelationem divinam, aut legem humanam non injustam, perspicuè propositam cognoscatur: minor autem vel per sensum vel per revelationem, vel per discursum necessarium ex necessario principio; vel etiam testimoniô indubitatô aliorum de re aut facto singulari in sensûs incurrente, constet: v. gr. cùm Davidi conscientia sua dictitaret, Saulem inimicum sibi oblatum non esse occidendum: *I. Sam. XXVI. vers. 8. seqq.* nitebatur dictamen illud partim generali principio, de non occidendo uncto Domini; *vers. 9.* partim notitiâ de persona Saulis, quod esset Rex; quam evidentem ex sensu habebat, quia inauguratum & Regiô munere fungentem viderat. Cùm Lutherus, à Legato Pontificis jussus, revocare doctrinam suam, conscientiæ dictamen sibi obstare obtenderet; discursus huc redibat: Doctrina quæ revera Christi & Apostolorum est, confitenda est, non abneganda. Ea verò, quam

ego, Lutherus, in scriptis hactenùs propositi, est Christi & Apostolorum. Ergò confitenda est, non abneganda. Præmissarum utraque per divinam revelationem certa erat : inde conclusio habebat certitudinem. Cùm Paulus Corinthios velut exortis contentionibus corrigendos judicaret ; argumentô hôc nitebatur : Fratres, inter quos contentio orta est, maturè monendi aut corripiendi sunt. Corinthii sunt tales. Ergo maturè sunt monendi. Major juris divini erat. Minor indubitatô testimoniô *familiarium Chloes* constabat. Vid. I. *Cor.* I, 10. 11. seqq.

(*c*) Quando videlicet præceptorum Legis naturæ generalium, in ordine ad specialiores casus, habitudo necessaria non apparet : seu, quando nexus legis generalis & legis specialis probabiliter tantùm cognoscitur ; idque vel propriô hominis judiciô, per argumenta Topica, quæ vocant ; vel quatenùs aliorum hominum auctoritate & arbitrio nititur. Similiter, quando legis positivæ sententia non tàm certò, quàm probabiliter cognoscitur : Imò etiam quando circumstantiæ actionis gerendæ non absque formidine oppositi cognoscuntur ; licet veræ potiùs quàm falsæ videantur ; Unde conclusio, de actu singulari suscipiendo, præmissarum utrâque, vel unâ, probabili nitens, non nisi probabilitatem habet. Ita probabilis est conscientia, si quis apud animum suum statu-

tuat, non esse hanc fœminam, quæ uxoris suæ defunctæ soror est, à se uxorem ducendam, non, quòd necessarium nexum legis specialis, de non ducenda sorore uxoris, cum lege generali de non ducenda propinqua carnis, animadverterit; aut, quòd legis *Levit. XVIII, 18.* hanc esse sententiam, certò intellexerit: sed quòd ratione aliquâ probabili, aut auctoritate humanâ Doctorum nixus, conjugium ejusmodi dedecere hominem ac displicere Deo, magis credat, quàm, non esse prohibitum. Est etiam probabilis conscientia, si quis consortium certi hominis, tanquam hæretici, vitet; non, quòd certò novit, eum in fundamento fidei pertinaciter errare; sed, quod testimonio alicujus viri gravis, fallibilis tamen, persvasus, putet, eum esse hæreticum.

(*d*) Quod si verò ingens sit formido oppositi, quæ animum distrahat; non ampliùs nomen & ratio conscientiæ probabilis locum inveniunt: ut statim dicemus.

§. VI.

Conscientia scrupulosa, quam vocant (*a*), qua fit, ut intellectus hominis in alterutram partem oppositorum de actione singulari à se gerenda ita feratur, ut tamen argumento pro oppositâ parte objecto non parum solicitus reddatur, ne peccet; non æque Conscientiæ nomen (*b*) meretur. Multo minus

Dubia, quam appellant, qua mens hominis circa actionis singularis (c) exercitium & omissionem, ita versatur, ut in neutram partem se determinet; Conscientia proprie dici (d) potest.

NOTÆ.

(a) Scilicet, quòd quemadmodum scrupulus, pedem progressuri urgens, remoram facere solet; sic argumentum, quod pro alterutra parte militat, mentem hominis in alteram partem tendentis moratur & impedit, quo minus se rectiùs determinet.

(b) Conscientia enim propriè loquendo est judicium determinatum in alterutrum oppositorum. Sed hæsitatio illa judicium ejusmodi aut minuit aut tollit. Ac de differentia Conscientiæ scrupulosæ ac dubiæ, disquiritur: annon illa ad hanc reduci possit?

(c) Nempe dubitationem, à qua Conscientia denominatur dubia, practicam esse oportet: cùm dubitatio speculativa vel circa actionem in universali; vel circa rem ab actione distinctam, stare possit cum conscientia veri nominis, saltem probabili.

(d) Est enim potiùs suspensio judicii, quàm judicium.

§. VII.

Vis Conscientiæ obligans (a) hominem Christianum ad actionis singularis exercitiũ vel

vel omissionem, variat pro diversitate (*b*) ipsius Conscientiæ: fundatur autem in auctoritate ipsius Dei (*c*) suprema.

NOTÆ.

(*a*) Seu imponens homini necessitatem moralem exercendi illud, quod agendum dictitat; & non agendi, quod omittendum proponit: Quam aliqui vocant obligationem *activam*, eamque distingvunt à *passiva*; cujus nomine intelligunt obligationem, quæ homini incumbit, ut conscientiam suam, seu judicium de actione suscipienda, legibus conformet: de quâ ibidem suo loco videbimus.

(*b*) Quamvis enim homini nunquam agere liceat contra conscientiam: non tamen ideò homo semper obligatus est ad agendum, & rectè acturus, si agat illud, quod sua conscientia, qualitercunque affecta, dictitat.

(*c*) Non autem auctoritate sibi propriâ, in qua sisti possit. Concludit enim dependenter à Lege divina. Vid. B. *Musæi* Dissert. de Insuff. Lum. Nat. ad salutem contra Ed. Herbert. de Cherbury. §. LXIX.

§. VIII.

Conscientia recta quæ simul certa est, gravissime (*a*) obligat hominem, cum ad omittendam actionem, quam non esse exercendam (*b*) concludit; tum ad committendam actionem, quam necessario suscipiendam es-

se (c) dictitat; idque sub præsentissimo periculo iræ ac pœnæ divinæ (d)

NOTÆ.

(a) Ita enim vis ipsa legis, per determinatam cognitionem atque applicationem ad actum singularem sese tanto magis exerit.

(b) Agnovit eam vim obligandi Joseph, cùm ad adulterium ab hera expetitus, diceret: *Quomodo facerem malum hoc maximum? Gen. XXXIX, 9.* quasi hoc sibi ne possibile quidem factu esset, reluctante conscientiâ.

(c) Quò fortasse referas illud Pauli: *Si Evangelizem, non est, quod glorier: necessitas enim mihi incumbit. Væ autem mihi est, nisi evangelizem, &c. I. Cor. IX, 17.*

(d) *Nempe Servus, qui novit voluntatem Domini sui, & neque se comparavit, neque fecit ex ejus voluntate, cædetur multis plagis. Luc. XII, 47.* Qui verò non agit, quod recta conscientia agendum esse dictitavit; aut agit, quod illa non agendum esse judicavit, hoc ipsò sciens & volens agit contra id, quod aperte definitum est voluntate Domini.

§. IX.

Quod si Conscientia actum aliquem non ut necessarium, sed ut commodius, quam alium, exercendum (a) dictitet; quamvis non æque, uti prior (b), obligare videatur;

reve-

revera tamen itidem sub reatu culpæ & pœnæ (c) obligat.

NOTÆ.

(a) Quâ ratione non tàm præcipere, quam svadere, aut consulere, quibusdam putatur.

(b) Quæ directè jubet: juxta §. præced. VIII.

(c) Nimirum, quia homo obligatus per legem ad id, quod præstat, semper eligendum & sectandum: Hic autem supponitur certa cognitio, quòd hic actus sit melior aut commodior, quàm alter.

§. X.

Conscientia erronea obligat hominem renatum, ne contra (a) eam agat: non tamen revera obligat, ut secundum eam (b) agat. Homo autem obligatus est, ut ab errore (c) se liberet.

NOTÆ.

(a) Id est, ne velit id agere & agat, quod ipse judicat esse contra legem. Nam qui contra conscientiam erroneam agit, si maximè illud, quod agit, si in se spectetur, non sit contra legem; habet tamen voluntatem agendi contra legem, & quando secundùm hanc voluntatem agit, utique contra legem agit. Quo spectat illud Pauli *Rom. XIV, 14. Nihil est impurum per se, ei qui reputat, aliquid esse impurum, ei est impurum:* nempe si vescatur homo certo quodam cibo, quo sibi vesci non licere

judicat; etsi in eo erret, cùm non sit lex prohibens constitutionem ejus; tamen reverà polluitur, seu reatum peccati contrahit: volens enim comedit, quod sibi non licere comedere persvasus est.

(*b*) Seu, ut alii loqvuntur: Non obligat positivè ad sui sequelam, sed negativè tantum ad non agendum contrarium, quamdiu ipsa durat. Et certum est, nullam posse esse obligationem ad malum formaliter: actus autem qui oritur ex conscientia erronea, non rarò esse potest & solet formaliter malus: videlicet, si conscientia dictitet aliquid esse agendum, quod lege naturali aut positiva prohibitum est; aut dictitet, non esse agendum, quod lex naturæ aut positiva præcipit: quò utroque casu qui secundùm conscientiam erroneam agit, non potest non peccare: quemadmodum *Origenes* peccavit, cùm seipsum castraret, judicans, licere & ad castitatem prodesse, quod præcepto quinto Decalogi adversabatur. Peccârunt etiam in veteri Ecclesia, qui, quamvis digni & vocati ad ministerium Ecclesiasticum, tamen illud non susceperunt, persvasi, non posse se sine peccato fieri Episcopos: quales *Ammonius* & *Evagrius* apud *Socratem* Lib. IV. Hist. Eccl. c. 23. Aliàs autem, si error sit de re indifferente, ita ut conscientia vel dictitet esse necessariò agendum, quod reverà non est lege præceptum; aut necessariò omittendum, quod

quod tamen reverà prohibitum non est; absque peccato agere poterit homo Christianus secundùm conscientiam erroneam: quemadmodum Apostolorum tempore, qui persvasi fuerunt, non licere vesci cibis quibusdam, etsi liceret, non tamen peccârunt, cum abstinerent.

(*c*) Nempe conscientiâ erroneâ ejusmodi laborantes, quæ dictitat, esse agendum, quod tamen lex aliqua reverà prohibet: aut non esse agendum, quod tamen lex jubet; quamdiu tali errore occupati sunt, necessariò peccabunt, sive secundùm sive contra conscientiam illam agant: e. g. homo Pontificius, à sacerdote persvasus, doctrinam Augustanæ Confessionis esse hæreticam & anathemate damnandam, necessariò peccabit, sive damnet eam, sive non damnet. Itaque ut ex hac peccandi necessitate se extricet; ab errore, quem tenet, liberandus est. Atqui ita conscientiæ erroneæ.

§. XI.

Conscientia opinativa non obligat (*a*) quando in oppositam partem conscientia certa (*b*) fertur, aut saltem (*c*) probabilior & tutior. Quando autem utrinque adsunt rationes probabiles, obligat conscientia in partem probabiliorem (*d*), aut saltem (*e*) eam, quæ cum minore periculo peccandi con-

conjuncta est (f). Unde aliquando (g) aliorum potius sectanda est sententia, quam probabilis nostra.

NOTÆ.

(a) Scilicet positivè : ut suprà monuimus.

(b) Sanè plurima sunt peccata, quæ speciem honestatis induere solent, & suâ quadam specie se commendant. Quòd si verò ab una parte stet conscientia recta, necesse est, eam, quæ stat à parte opposita, esse erroneam, (etsi probabilis sit,) neque adeò posse obligare. Unde Lutherus, cùm, exorto religionis certamine, sibi objiceretur dissensus tàm multorum doctorum ac prudentum virorum; quorum inter se consensus, argumentum veri, probabilitatem certè habeat: etsi non negaret probabilitatis notam; certa tamen suam, quam ex verbo Dei habuit, secutus est conscientiam.

(c) Idem enim esset, ac si leviores rationes sequi malit, quàm firmiores; proinde majori se periculo peccandi exponere, quàm minori.

(d) Ubique enim eligenda sunt, quæ præstant; quando optio datur. Et quando plena certitudo per demonstrationes haberi non potest; tamen, quoad licet, sectanda sunt certiora, quæ magis excludunt formidinem oppo-

oppositi. Nec malè huc refertur, quod Paulus *Phil. I, 10.* vult, renatos δοκιμάζειν τὰ διαφέροντα, *probare quæ differunt*: non solùm, quæ differunt ut bona & mala; sed etiam, ut magis aut minùs probabiliter eligenda; *ut sint sinceri, & inoffenso cursu pergant &c.*

(e) Fieri enim posse putant, ut rationes ab utraque parte æquè sint probabiles; altera tamen tutior præ altera, ideoque potiùs amplectenda. Tutiorem autem dicunt, non in ordine ad mala externa corporis aut fortunæ, declinanda; sed mala culpæ, quæ animam afficiunt. Rem ipsam h. l. nonnulli illustrant exemplo hominis, qui imperialem possidens, quem homo alius, suum esse, probabiliter ostendit; ipse verò, qui possidet, probabiliter judicat, nihil alteri in hanc suam pecuniam juris esse; mavult tamen ei dare imperialem, quàm sibi retinere: eò quod ibi se minùs, quàm hîc, peccare posse intelligit. Vid. B. G. *Kōnig.* C. Consc. p. 10. Atque ita etiam, si quis, aliorum consiliis postulatis, diversas auferat sententias Doctorum, numerô & auctoritate parium, ea sequenda est sententia, quæ magis favet juri aut religioni & pietati: quod etiam agnovit *Azorius* Tom. I. Instit. Mor. Lib. II. Cap. XV. Ac nescio, annon pars tutior, hoc ipso etiam dici possit probabilior.

(f) Quòd autem recentiores quidam Moralium Doctores inter Pontificios docuerunt, licere

licere cuivis, quamlibet opinionem tutò sequi, quam pauci ac vel unus etiam Doctor foveat, etsi alii plures, non minore auctoritate & rationum probabilitate instructi, diversum sentiant; imò licere cuivis varios adire Casuistas, quoad repererit, qui ad libitum respondeat: ejus doctrinæ impietatem ostenderunt *Ludovicus Montaltius* in Literis provincialibus de Morali & Politica Jesuitarum disciplina; & *Wilh. Wendrockius* in Notis: Dn. *Samuel Rachelius* adjecto Examine Probabilitatis Jesuiticæ novorumque Casuistarum: B. *Thomas Stegerus* in Commentatiuncula ejusdem argumenti. Dn. *J. Ad. Osiander* Theol. Mor. P. General. Cap. X. §. XXII. seqq. pag. 287. seqq. & Theol. Casualis P. I. Cap. III. §. CVI. seqq. pag. 112. seqq. ubi graviter addit verba *Augustini: Pudet me ista refellere, cùm eos non puduerit ista sentire: cùm verò ausi sint etiam defendere, non jam eorum sed ipsius generis humani me pudet, cujus aures hæc ferre potuerunt.* Et extant hæc Tom. II. Op. Aug. Epist. LVI. p. m. 102. b. D.

(*g*) Scilicet homo indoctus, aut saltem negotii, de quo agitur, minùs peritus, quod à se habere non potest, ab aliis rectè petit & sequitur. Unde Salomon: *Via stulti*, inquit, *recta est in oculis ejus*; ita ut consilia aliorum despiciat, quasi non indigeat illorum: *Sed qui obtemperat consilio*, qui propriæ sagacitati diffidens, ac suum potiùs in propria causa judi-

cium

cium suspectum habens, aliorum, quos pios ac prudentes novit, sententias seu expetit seu admittit, & se illi conformem gerit, *sapiens est*, seu hoc ipso sapienter agit & agere censendus est. *Prov. XII, 15.* Facilè autem simul intelligitur, quòd etiam homo doctus ac prudens nonnunquam aliorum hominum eruditorum, sapientum & piorum consilia, suæ conscientiæ probabili præponere possit, quando illos forte plures atque extra tela, quod ajunt, positos, consentire, aut rationes ipsas vel unius viri probabiliores, quàm suas, aut sententiam tutiorem esse, intelligit. Prout *Ambrosium* Sabini, *Augustinum* Hieronymi, consiliis auscultasse constat.

§. XII.

Cum Conscientia per scrupulum, aut dubium ex utraque parte occurrens, impedita est; non alia apparet obligatio, quam [*a*] hominis, ut det operam, qua ratione à dubiis liberari aut scrupulus eximi [*b*] possit. Quod si omne dubium aut scrupulus tolli non possit; sequatur partem [*c*] tutiorem. Scrupulos autem irrationabiles [*d*] damnare [*e*] aut negligere [*f*] consultum est.

NOTÆ.

(*a*) Ea videlicet, quam *passivam* vocari diximus. Quæ enim non est veri nominis conscien-

scientia, vim obligandi activè, quæ Conscientiæ competit, non habet.

(b) Quô factô, conscientia non amplius dubia aut scrupulosa erit, sed vel certa, vel probabilis: ac vim obligandi activam, juxta superiùs dicta, habebit.

(c) Seu cum minori periculo peccandi conjunctam. Atque hâc ratione iterum tollitur quadammodo dubium; saltem dubitationis practicæ seu activæ: quando intellectus judicans, hanc partem esse tutiorem; jam minùs dubitat, eam præ altera esse eligibilem, imò eligendam.

(d) V. g. quos superstitio quædam vana, aut suspicio inanis, aut melancholia, vel affectus aliquis suggerunt: quibus immorandum non est. Unde plurimum refert, scrupulorum, qui nos angunt, originem & causas mox ac studiosè scrutari.

(e) Frangendos fortè dixeris, aut conculcandos, qui eximi nolunt.

(f) Scilicet ut ratio eorum in praxi non habeatur, sed quasi non adessent, ad actionem se accingat, rationibus firmis aut probabilibus innitens, homo Christianus.

§. XIII.

Solent autem dubia, quæ intellectum hominis distrahunt, & firmum conscientiæ dictamen impediunt, vulgo vocari Casus (a) Con-

Conscientiæ : in quibus proinde solvendis valde occupatur opera Theologiæ [*b*] moralis.

NOTÆ.

(*a*) Sunt autem Quæstiones practicæ, quæ occasione eorum, quæ in vita humana accidunt, (unde, à *cadendo*, nomen Casuum ejusmodi tractum videtur) de actione aliqua suscipienda, aut omittenda; sic, aut aliter gerenda, oriri solent, ita ut judicium intellectûs in alterutram partem rectè ferendum, difficile reddatur, ideoque opus sit consultatione aut informatione ulteriore, eâque vel propriâ vel aliorum.

(*b*) Equidem, si Theologiam moralem pro Scientia accipias, & à Prudentia distingvas, Casuum conscientiæ tractatio, quæ ad singularia se porrigit, huic potiùs, quàm illi adscribenda erit. Unde & nonnulli distingvunt inter Moralem & Conscientiariam, quam & Casuisticam quidam appellant, Theologiam. Alii Theologiam moralem duplicem faciunt, Dogmaticam & Pragmaticam; & ad hanc posteriorem referunt evolutionem Casuum Conscientiæ. Illud certum est, non solùm ex usu loquendi nomen Casuum Conscientiæ aliquando generaliùs accipi, ita ut unius nomen plures casus singulares, & hinc nasci solitas quæstiones de actionibus singularibus, complecti possit & complectatur; sed & Theologiam moralem,

ralem, quæ, quatenùs scientia est, in universalibus conclusionibus subsistit, reverà tamen ordinari ac tendere ad rectè formandum judicium hominum Christianorum de actionibus singularibus hîc & nunc exercendis aut omittendis.

CAP. IV.

De

VIRTVTE CHRISTIANA INTELLECTVALI ET MORALI, ET VTRIVSQVE OPPOSITIS.

S. I.

Cum valde interfit ad sanctimoniam vitæ, ut mens hominis renati perfectione quâdam habituali (*a*) polleat, cujus vi actiones ei convenientes rectius effici; & quæ disconveniunt, caveri possunt: facile intelligitur, Virtute (*b*) Christiana pollere eum debere (*c*)

NOTÆ.

(*a*) Decet enim renatos, esse τελείους seu *perfectos*, & quidem διὰ τὴν ἕξιν τῶν αἰσθητήρια γεγυμνασμένα ἔχοντας πρὸς διάκρισιν καλοῦ τε καὶ κακοῦ; ita ut *propter habitum, sensus habeant exercitatos ad discrimen boni & mali*: juxta *Ebr.* V, 14. Ἕξιν autem esse *firmam facilitatem*, ex *Quintiliano* observat *Grotius* ad h. l. Et actio-

nes,

nes, quæ sequuntur virtutis habitum, ab his quæ antegrediuntur, multum differre; etiam Philosophi docent.

(*b*) *Utimur enim virtutis nomine, in cujuslibet rei bonitate & perfectione, suæ naturæ conveniente declaranda: quam habens, actiones suæ naturæ proprias rectissimè efficere & obire potest:* prout de genere virtutis benè & prolixiùs disserit in Regulis vitæ B. *D. Chytræus* p. m. 438. 439. & virtutem *vires agendi* denotare ostendit. Quamvis non ideò omnis aut δύναμις sit virtus.

(*c*) Paulus certè, cùm varia Christiano homini sectanda officia commendâsset (ἀλήθη, σεμνὰ, δίκαια, ἁγνὰ, προσφιλῆ, εὔφημα) addit hæc verba: *Si quæ virtus,* εἴ τις ἀρετὴ, *& si quæ laus, hæc cogitate. Philipp.* IV, 8. Confer. II. *Pet.* I, 5. ubi jubentur fideles *fidei* suæ *adjicere* τὴν ἀρετὴν, virtutem. Quanquàm hîc paulo specialior significatio locum habere videtur: ut mox docebimus. Aliàs, licet virtutum species variæ haud rarò suis nominibus appellentur in Scripturis; tamen generale illud nomen sæpiùs non occurrit; ea verò, quibus officia ipsa indicantur, crebriora sunt. Confert B. *Chytræum* l. c.

§. II.

Nec dubium est [*a*], Virtutis Christianæ Causam efficientem esse [*b*] Deum, & per appropriationem Spiritum [*c*] sanctum: suo

modo etiam hominem (*d*) Christianum ipsum: Subjectum Quod esse hominem (*c*) eundem: Objectum esse Deum, Renatum ipsum & proximum, ac res & actiones eorum (*f*): Formam (*g*) esse conformitatem habitus cum lege, atque adeo voluntate divina (*h*): Finem denique, proximum quidem esse sanctimoniam vitæ (*i*); ultimum, Dei gloriam (*k*).

NOTÆ.

(*a*) Imò haud difficulter constat, si, quæ de ipsa sanctimonia vitæ, deque actionibus renatorum suprà, & in Comp. Theol. Posit. de Renovat. diximus, huc accommodentur.

(*b*) Inde enim est, quòd Paulus pro Ephesiis suis *orare* se dicit, ut *impleantur omni plenitudine Dei:* i. e. virtutibus, quæ sunt dona Dei. Cap. III, 19. Confer *Rom.* XV, 13. *Philipp.* I, 8. 9.

(*c*) Unde ipsi habitus virtutum dicuntur *fructus Spiritus. Gal.* V, 22. *Ephes.* V, 9. Conf. *Rom.* XV, 13.

(*d*) Nimirum per vires gratiæ, in regeneratione acceptas, & cum assistentia Spiritûs sancti. Certè quando Paulus *Philipp.* IV, 8. & *Petrus* II. Ep. I, 5. jubent operam dare virtuti, hôc ipsô jubent eos aliquid efficienter conferre ad obtinendam virtutem. Patet autem, hominem renatum esse causam *secundam* aut *subordina-*

dinatam, quam quidem dicunt *causam sub Deo*, hujus effectûs.

(*e*) Sunt enim qualitates, hominem perficientes. Conf. l. c. II. *Pet.* I, 5.

(*f*) Nimirum uti actiones virtutum, ita virtutes ipsæ, circa hæc objecta versantur. Unde peculiariter hominis renati affectus, moderandos ac dirigendos, non minùs quàm actiones externas & internas alias, huc spectare constat.

(*g*) Seu rationem formalem virtutum illarum, quatenùs sunt hominis renati perfectiones intrinsecæ.

(*h*) Nempe in Scripturis revelata, de his, quæ hominem Christianum, quà talem, deceant ac perficiant.

(*i*) Habitus enim sunt propter actiones. Et eleganter Petrus, II. Ep. I, 8. postquam Catalogum quendam virtutum texuit; *Hæc cùm vobis adsint, & abundent, non inertes nec infructuosos efficient*; ait. Itaque hujus finis causâ tendere eos vult ad acquirendas virtutes, ut secundùm eas aut ex iis operentur.

(*k*) Fines enim istos subordinari, aliàs constat. Et confer *Philipp.* I, 9. 10. 11.

§. III.

Distingvuntur autem virtutes hominis Christiani, primum (*a*) quidem pro diversa ratione subjecti Quo (*b*), ita ut aliæ sint Intel-

lectus [e], aliæ Voluntatis [d], & suo modo Appetitus sensitivi [e]. Priores dicuntur intellectuales [f]: Posteriores, Morales [g] frequenter [h] appellantur. Et coincidit [i] distinctio inter virtutes Dirigentes & Directas [k].

NOTÆ.

(a) Equidem, juxta Pontificios, distinguuntur etiam virtutes ex parte causæ efficientis aut modi productionis, in Infusas & Acquisitas. Sed virtutes Christianas de lege communi omnes acquisiti per actus ipsius hominis, qui viribus gratiæ fiunt; rectiùs docetur.

(b) Seu partium aut facultatum hominis, quæ sunt principia actionum humanarum. Non solùm enim in habitibus naturalibus, verùm etiam in supernaturalibus, fundamentum illud distinctionis & distinctio ipsa locum habet. Vid. *Chytræus* l.c. Nec negligendus est nexus, uti prudentiæ & virtutis moralis; juxta Aristotelem; sic prudentiæ & virtutis moralis Christianæ secundùm Scripturas: de quô post paulò dicemus. Hoc certum est, quod is demùm rectè se in omni vita, vitaque proinde etiam Christiana gerat, cujus & intellectus & appetitus perfectionem suam consecutus fuerit. Nec negaverim, si virtutes morales & intellectuales inter se comparemus, quòd illæ magis propriè, ex usu loquendi, quàm hæ, virtutum

tutum nomine appellentur. Quemadmodum & vox ἀρετὴ à Petro II. *Epistol.* I, v. 5. 6. τῇ γνώσει contradistingvitur.

(*c*) Videantur de perfectione habituali, atque adeò virtute renatorum ex parte Intellectûs, quâ fiat, ut sciant renati, quid facto opus sit, & quomodo quidque rectissimè perfici queat ad suum finem; *Philipp.* I, 9. seqq. *Coloss.* I, 9.

(*d*) Scilicet, ut, quod sciunt Christiani, sibi agendum esse, id promtè exequantur. Quò fortè referas illud Pauli I. *Cor.* IX, 17. *Si volens hoc facio,* (munere meô Evangelium prædicandi fungor) *præmium habeo.*

(*e*) Quatenùs per ipsas virtutes, quibus voluntas promta redditur ad exequenda, quæ intellectûs judicio recto sunt conformia; etiam appetitus sensitivus magis subjicitur & conformis redditur superioribus facultatibus.

(*f*) Græci διατονικὰς appellant. Latini retinent nomen à subjecto petitum.

(*g*) Ἡθικὰς Græci dicunt: & rationem denominandi inde petunt, quòd hîc vel maximè assvefactio (Græcè ἔθος) requiratur, ad promtitudinem habitualem voluntati conferendam.

(*h*) Aliàs Pontificii distingvunt inter Virtutes Theologicas & Morales. Illarum nomine Fidem, Spem & Charitatem; Harum voce eas intelligunt, de quibus in Philosophia morali

agitur. Quia verò & priores illæ tres in Lege morali continentur; & posteriores in Theologia morali non prorsùs eâdem ratione, prout in Philosophiæ scholis, tractantur: rectiùs virtutes morales dicentur omnes, quæ ad voluntatem Christianorum formaliter spectant, eamque perficiunt.

(*i*) Quantum ad rem attinet; licet non quoad synonymiam terminorum.

(*k*) Scilicet Dirigentes dicunt, quæ instar oculi serviunt animæ Christianæ ad eam in sanctitatis cursu dirigendam: Directas, quæ mentis illam illustrationem atque adeò directionem supponunt, & quasi calcar addunt ad cursum.

§. IV.

Intellectuales virtutes hic spectantur, non tam omnes (*a*), quæ quoquo modo mentem hominis renati perficiunt aut exornant; sed quæ & quatenus ad actiones (*b*) vitæ Christianæ, qua talis, spectant, easque dirigunt (*c*).

NOTÆ.

(*a*) Quarum magna est amplitudo & varietas, si res humanas percurramus: multæ etiam gentilibus & Christianis communes sunt, neque his, quà talibus, necessariæ; licet non ideò contemnendæ, ac potiùs suò modò utiles.

(*b*) Sem-

(*c*) Semper enim attendendum est ad limites præsentis disciplinæ practicæ. Conf. quæ de Causa effic. virtutis Christianæ in genere diximus. §. III. notis (b. c. d.)

(*c*) Unde etiam virtutes *directrices* dicuntur.

§. V.

Itaque huc pertinet (1.) Scientia (*a*) Christiana, seu habitualis (*b*) & supernaturalis (*c*) notitia eorum, quæ Deus revelavit salutis hominum causa, quæque homini salvando (*d*) necesse (*e*) est scire, ut actiones (*f*) vitæ Christianæ recte instituí queant (*g*).

NOTÆ.

(*a*) Equidem nomen abstractum Ἐπιστήμη, quod Græcis propriè significat Scientiam, in Scripturis non legitur; & concretum Ἐπιστήμων *Jacobi* III. v. 13. non tàm scientiam Christianis propriam, quàm secularem denotat. Γνῶσιν autem & ἐπίγνωσιν Christianis haud rarò tribuit Scriptura: Dicuntur enim πλουτίζεσθαι ἐν πάσῃ γνώσει, *ditari omni cognitione*, per *gratiam Dei*. I. *Cor.* I, 5. αὐξάνεσθαι εἰς ἐπίγνωσιν τοῦ Θεοῦ *crescere in agnitionem Dei*. *Coloss.* I, 10. Imò ipsum *Gnosticorum* nomen, quod hæreticorum turba famosa sibi arrogaverat, his velut injustis possessoribus ereptum, Christianis veris tribuerunt seculô III. *Clemens Alex.* in libris Stromatum & seculô IV. *Didymus Alexand.* & *Evagrius Ponticus*: quorum loca, ut & Epistolarum

Barnabæ adscriptarum consona B. *Thomasius* indicat in Schediasm. Histor. §. 41. 42. & notis pag. 37. 39. 40. Nec negandum est, quod etiam vox σοφία, quam *Sapientiam* reddunt, pro Scientia rerum ad salutem spectantium, dogmatum & præceptorum divinorum, aliquando accipiatur, v. g. I. *Cor.* II, 6. 7. *Ephes.* I. 8. & 17. *Coloss.* I, 9. & 28. & alibi.

(*b*) Cujus vi distingvuntur perfectiores ab imperfectioribus aut rudioribus: velut adultiores à pueris. *Ephes.* IV, 13. 14. 15. *Ebr.* V, 12. seqq.

(*c*) Dicitur enim ἡ ἄνωθεν σοφία, *quæ è supernis* est. *Jacobi* III, 17. nempe *descendens à Patre luminum*, Cap. I, 17. *Spiritualis*, ob dependentiam à Spiritu Sancto per specialem influxum: (quanquam & ab objecto) *Coloss.* I, 9.

(*d*) Partim ad fidei firmitatem majorem, *Ephes.* IV, 13. partim ad morum culturam præstantiorem. *Coloss.* I, 9. 10. 11.

(*e*) Si non ad esse finis (sanctimoniæ vitæ) simpliciter, saltem ad commodè esse; quam vulgò necessitatem *expedientiæ* vocant.

(*f*) Dum enim in Theologia morali versamur, fatendum est, quòd ipsa *dogmatum piorum accuratæ notitia* in respectu *ad bona opera* considerari debeat: quibus *duobus religionem constare* dixit *Cyrillus* Hierosolym. Catech. IV. Illuminatorum. Atqui hîc Scientiæ nomen ex usu

usu loquendi ita accipitur, ut non solùm credendorum sed & agendorum generalem notitiam; Legis, inquam, non minùs quàm Evangelii cognitionem complectatur.

(*g*) Quâ ratione simul constat, intelligi h. l. scientiam practicam & efficacem: quam & vivam vocant.

§. VI.

Opponitur (*a*) Scientiæ illi Christianæ (1) Ignorantia (*b*) supina vel affectata (*c*) eorum, quæ ad religionem pertinent, & sciri poterant ac debebant. (2) Scientia de iisdem falsa (*d*). Quo speciatim pertinent Atheismus (*e*), Naturalismus (*f*), Paganismus (*g*), Judaismus (*h*), Muhammedismus (*i*), & Hæreses (*k*) omnino omnes. (3) Scientia, quæ vera quidem est, sed mere naturalis & otiosa (*l*).

NOTÆ.

(*a*) Nempè nunc & portò opus est, ut non solùm virtutes, sed & oppositа earum contemplemur: & sic ea, quæ conveniunt homini Christiano, quæque disconveniunt, juxta se posita faciliùs elucescant.

(*b*) Seu Ruditas, qualis non solùm est in hominibus non-renatis atque extra Ecclesiam; sed etiam in renatis nonnunquam, qui, quod didicerunt, dedidicisse cognoscuntur; aut in-

pri-

primis tirociniis hærentes, plurima necessaria & utilia nesciunt: qui cùm *deberent jamdudum esse doctores, contrà opus habent, ut doceantur, quæ sint elementa initii eloquiorum Dei. Ebr.* V. v. 12. Ἀγνωσίαν τοῦ θεοῦ quoque, seu *ignorantiam Dei*, Corinthiis, etsi Christianis factis, exprobrat Paulus I. *Cor.* XV. v. 34.

(*c*) Quam utramque aliàs ignorantiam *privæ dispositionis* vocant, & à simplici, seu quæ est puræ negationis, distingvunt.

(*d*) Ψευδώνυμον γνῶσιν nominat Apostolus I. *Tim.* VI, 20.

(*e*) Quô ipsa Dei existentia aut saltem providentia, seu formaliter seu per consequentiam necessariam & proximam negatur.

(*f*) Quô luminis naturæ ad salutem æternam sufficientia adstruitur; revelationis divinæ verò vel certitudo vel necessitas negatur.

(*g*) Per quem, locô unius veri Dei, multorum Deorum existentia, & colendi necessitas aut utilitas, cultus quoque ipse varius admodum & absurdus, animô concipitur.

(*h*) Discrepans ab antiqua Judæorum veterum ac piorum in V. T. de Deo ac rebus divinis agnitione: quippe traditionibus Rabbinorum nixus, præter & contra veram populo Dei olim communicatam revelationem.

(*i*) Ex hypothesibus Ethnicis, Judaicis & Pseu-

Pseudo Christianis conflatus : Muhammedem verò præferens Christo.

(*k*) Quibus unus aut plures articuli fidei negantur, & dogmata peregrina aut contraria substituuntur.

(*l*) Conformis quidem revelationi divinæ, quoad assertiones de rebus divinis in se spectatis, sed absque accommodatione ad praxin. Quæ proinde speciem veræ scientiæ mentiri quidem, non autem sustinere potest. Cœlestis profectò non est, sed ἐπίγειος, ψυχικὴ, δαιμονιώδης, *terrena, animalis, dæmoniaca.* Jacob. III, 15. Neque practica : sed practicæ repugnans ; quia otiosa.

§. VII.

Deinde (*z*) huc (*a*) pertinet Prudentia (*b*) Christiana, quæ est habitus (*c*) supernaturalis, proposito fine (*d*) Christiani hominis (*e*) genuino, cognoscendi, quæ tanquam media [*f*] aut conditiones [*g*] in actionibus singularibus [*h*] præstari ; & quæ, tanquam opposita, caveri debeant [*i*].

NOTÆ.

(*a*) Scilicet ad virtutes dirigentes.

(*b*) Φρόνησιν Græci vocant : eò quòd accuratam φρενὸς sive mentis attentionem significet. In Scripturis certè concretum nomen, φρόνιμος, frequens est : ac tales esse jubet suos Christus *Matth.* X, 16. similes patribus familiâs, aut servis, aut

aut virginibus (φρονίμοις) prudentibus. *Matth.* VII, 24. c. XXIV, 45. XXV, 2. Sed & γνῶσιν aliquando pro prudentia accipi debere, constat ex II. *Pet.* I, 5. teste *Gerhardo*. Conf. I. *Pet.* III, 7. & II. *Cor.* VI, 6. Σοφὸς quoque idem est ac prudens. *Rom.* XVI, 19. *Ephes.* V, 15. & ἐν σοφίᾳ περιπατεῖν, nihil aliud est, quàm prudenter rem agere. *Coloss.* IV, 5.

(c) Sic enim distingvitur ab ea, quæ est hominum sibi relictorum, & vulgo *civilis* appellatur: quam in *naturalem* & *acquisitam* aliqui distingvunt. Hæc autem, de qua nunc agimus, ἄνωθεν est; uti scientia, de qua priùs diximus ex *Jacob.* III, 17. quamvis de lege communi non infundatur absque studio; sed acquiratur, idque per vires gratiæ.

(d) *Prudentem* enim esse, est, esse *providentem* seu prospicientem, & rationem finis habere: eorum instar, qui ad certum scopum oculos intendunt.

(e) Non tantùm ultimò, qui est, absolutè quidem, Dei gloria; respectu nostri, salus æterna; sed proximo, qui est vitæ sanctimonia. Atque hunc finem utrumque, si non semper directè intendatur, indirectè tamen intendi oportet. Quò spectat in simili à Christo adhibito, quòd Christianus comparatur homini, qui thesaurum aut margaritam pretiosam, suam facere intendit; *Matth.* XIII, 44. seq.

(f) Ita

(*f*) Ita enim dicitur prudentia versari circa ea, quæ homini bona aut mala sunt, non tantùm per modum finis & oppositi ejus, sed & per modum eorum, quibus tenditur ad finem, aut quæ obstant consecutioni finis, ut illa eligantur: hæc verò caveantur.

(*g*) Prudentia nempè non solum spectat media causalia finis, seu ultimi, seu intermedii: sed quæcunque requiruntur ex parte agentis moralis, quatenus tendit ad finem, sive per modum causæ, aut adminiculi, sive in ordine ad removenda Impedimenta. Sic videmus in allato simili, prudentiam mercatoris, vendentis omnia, ut emere posset margaritam: similiter servum bonæ frugis, qui quæ domui conducunt solicitè observat. II. cc.

(*h*) Per hoc enim differt à scientia, quæ circa universales actionum regulas, aut dogmata Christiana hominibus communiter credenda versatur: ipsa verò Prudentia, observatis temporum, locorum ac personarum circumstantiis, quid hîc & nunc maximè accommodatum sit, dispicit & monstrat. Idque ex similibus allatis manifestè patet. Ac notandus est locus, quibus Christiani jubentur ἀκριβῶς περιπατεῖν, *accuratè ambulare, non ut insipientes, sed ut sapientes*, ideoque peculiariter jubentur ἐξαγοραζεσθαι τὸν καιρὸν, id est *tempus opportunum* ad rem agendam *redimere*. *Eph.* V, 16. Aliàs jubentur *vigilare*,

lare, eorum instar, qui in specula constituti quaquaversum circumspiciunt, ad omnes hostium insidias attendunt, ut suæ suorumve securitati consulant. Vid. I. *Pet.* V, 8. ubi à Satana; *Matth.* VII, 15. *Rom.* XVI, 17. 18. ubi ab hominibus seductoribus; *Luc.* XXI, 34. ubi à carne sua cavere sibi jubentur.

(*i*) Agimus autem hîc de prudentia Christianis omnibus communi. Quæ ad status hierarchicos certos peculiariter spectat, & in Ecclesiasticam, Politicam & Oeconomicam dividitur, suô locô considerabitur.

§. VIII.

Opponitur [*a*] Prudentiæ Christianæ partim Stultitia [*b*], seu defectus cognoscendi ea, quæ tendentibus ad vitæ sanctimoniam, & quoad singularum actionum exercitia, conducunt aut obstant [*c*]: partim Astutia [*d*], per quam specie quidem fortasse [*e*] tendendi ad Dei cultum & sanctitatem vitæ, revera tamen ea quæruntur, quæ explendis inordinatis concupiscentiis [*f*] serviunt.

NOTÆ.

(*a*) Ita enim differt à prudentia, ut disconveniat intellectui hominis, præsertim Christiani.

(*b*) Unde homines μωροὶ, ἀνόητοι, ἄσοφοι: *fatui, intel-*

intelligentiâ aut *sapientiâ carentes*, appellantur. *Matth.* VII, 26. *Gal.* III, 1. *Ephes.* V, 15.

(*c*) Non absentia tantùm recti judicii, sed falsarum opinionum aut præjudiciorum congeries, ita ut non inveniant homines, quæ verè prosunt ad talem finem: sed quæ nihil prosunt, imò obsunt, arripiant quasi prodessent, [qualis est imprudentia superstitiosorum, *qui frustrà colunt* Deum. *Matth.* XV, 9.] aut occasionem rectè agendi observare & amplecti nesciant. vid. *Matth.* XVI, 2. 3. 4. *Esaiæ* LVII, 1. *Jerem.* VIII, 7. 8. 9.

(*d*) *Sapientiam carnis* fortè dixeris: juxta id, quod habetur *Rom.* VIII, 7. *Prudentiam filiorum hujus seculi;* qualis erat *dispensator* in parabola. *Luc.* XVI, 8. *Sapientiam mundi*, quæ & πανουργία, seu calliditas, quâ quis omnes dolos aut vias artesque callet, perficiendi, quod corrupto appetitui placet. I. *Cor.* III, 19. conf. *Luc.* XX, 23. κυβείαν, seu versutiam, qualis est aleatorum. *Ephes.* IV, 14. aut cum Ecclesiastico, πονηρίας ἐπιστήμην, vel βουλὴν ἁμαρτωλῶν: quam à vera σοφίᾳ καὶ φρονήσει distingvit cap. XIX, 19.

(*e*) Quamvis enim aliquando aperta sit malitia hominum callidorum; nonnunquam tamen speciem devotionis aut Zeli, aut moderationis sive studii pacis &c. induit. Talis erat versutia hæreticorum, tempore Pauli, qui discrimen ciborum & alia commendabant atque urgebant, λόγον ἔχοντα σοφίας ἐν ἐθελοθρησκείᾳ καὶ

ταπεινοφροσύνη, *quæ rationem habebant sapientiæ in cultu voluntario & submissione animi. Coloss. II,* 21. 23. Antichristi etiam & satellitum ejus ἀπάτη τῆς ἀδικίας, *deceptio injustitiæ* huc spectat, quâ futurum erat, ut homines *crederent mendacio. II. Thess. II,* 10. 11. Nec abludit calliditas eorum, qui hodie sub specie consensûs Augustanæ Confessionis & decretorum Tridentinorum, & propterea haud difficulter ineundæ pacis; id agunt, ut orthodoxam doctrinam nostram absorbeant, & jugo Papali nos subjiciant.

(*f*) Ita seductores illi, quos Paulus tangit *Col. II, 23. fastum carnis suæ* sequi dicuntur. v. 18. Conf. *Rom.* XVI, 18. ubi homines, qui *per blandiloquentiam & ostentationem decipiunt corda simplicium, non Domino nostro Christo, sed suo ventri servire* dicuntur. Adde *Phil.* III, 19. Aliàs describuntur, quòd *religionem pro quæstu*, aut re ad quæstum faciente, habeant. I. *Tim.* VI. v. 5. quemadmodum Scribæ & Pharisæi, quos *comedisse domos viduarum, & orationes longas pratexere* consveviſſe, testatur Christus, *Matth.* XXIII, 14.

§. IX.

Virtus Moralis Christiana (*a*) est habitualis (*b*) inclinatio voluntatis (*c*) ad agēda ea, quæ lex divina (*d*) homini renato convenire docet, & cavendi, quæ illa prohibet, cum habituali obedientia (*e*) appetitus sensitivi con-

jun-

juncta (*f*), ad sanctimoniam vitæ (*g*) ac Dei gloriam (*h*).

NOTÆ.

(*a*) Non enim virtutem gentilibus communem hîc spectamus: neque adeò definitioni Aristotelicæ inhærere cogimur.

(*b*) Equidem, si virtutes spectes, prout actu existunt in hominibus Christianis, dispositiones potiùs sunt, quàm habitus in rigore sic dicti: propter imperfectionem, etiam factâ regeneratione & secutâ renovatione relictam, ac propter crebriores insultus inordinatæ concupiscentiæ. Sed tamen non solùm ab actibus secundis renatorum, ad sanctimoniam vitæ spectantibus, distingvi debet, sed, quod se habet vel per modum principii eorum, vel tanquam effectus aut res acquisita mediantibus actibus: verùm etiam hîc spectanda est qualitas perfectior, quàm quæ in ipsa conversione aut illâ peractâ, mox apparet: ea potiùs, inquam, per quam fit, ut saltem plerumque aut utplurimùm, si non semper; id, quod rectum ac legi divinæ consentaneum est, agamus. Unde habitûs nomine hîc uti maluimus, quàm nimis laxô vocabulo dispositionis.

(*c*) Ita enim Moralis virtus ab intellectuali distingvitur: ἀρετὴ διὰ τῆς γνώσεως. II. *Pet.* I. v. 5. & 6. quam B. *Gerhardus* reddidit *studium bonorum operum*; & consentit B. *Er. Schmidius*:

Quod si hanc inclinationem voluntatis habitualem dicere velis ἕξιν προαιρετικὴν, *habitum electivum*; idem quoad rem dixeris.

(*d*) Ita faciliùs & magis ad captum communem describemus naturam atque adeò formam virtutis moralis Christianæ, per relationem ad legem divinam, quam si de *mediocritate*, quæ aliàs juxta Philosophum ad formam virtutis moralis pertinet, verba faciamus.

(*e*) Seu ita, ut is pareat superiori facultati; & *affectus*, qui sunt in eo, *benè dispositi*, *id facilè exequantur*, *quod ratio præscripserit*: quod ad virtutem Moralem requiri, etiam Aristoteles agnovit & docuit II. Magn. Mor. cap. VII. p. m. 229. C.

(*f*) Imò verò voluntas ipsa, quando ei, quod rectum & sanctum est, studiosius & constantiùs incumbit, atque appetitum subinde moderatur; qualitatem ei aliquam imprimit, ut suo & intellectus dictamini & imperio parere assvescat, ac regi sepatiatur.

(*g*) Quò tanquam ad Finem, Theologia Moralis tendit; atque etiam habitu virtutum, juxta §. præc. II. & not. (*i*). Alii Condecorationem Statûs renatorum, tanquam Finem Virtutis Christianæ hîc adducunt & commendant: velut ex *Matth.* V, 14. *Phil.* II, 15. quod eodem referri potest: modò caveatur, ne nostram hîc intendi gloriam, putetur, sed maneat subordinatio in ordine ad finem ultimum.

(*h*)

(*h*) Εἰς δόξαν καὶ ἔπαινον Θεῦ. *Philipp.* I, 11. ubi mens Pauli est: Volos vos ornari virtutibus earumque exercitiis, non ut vos glorificemini, aut ego in vobis: sed ut per ea laudetur & glorificetur Deus.

§. X.

Nexus inter Virtutem moralem & prudentiam Christianam (*a*) plane necessarius est, ut neutra sine altera (*b*) esse possit.

NOTÆ.

(*a*) Prout in Philosophia morali, inclinationes ad virtutum actus, tùm demùm virtutes appellantur, cùm prudentia accesserit. Virtutes quoque non solùm *secundùm* prudentiam, sed & *cum* ea, operari dicuntur.

(*b*) Nempe prudentia vera non est, sed calliditas, ubi abest studium recti seu sanctitas voluntatis: vid. præc. §. IIX. & not. (*d*). & ex adverso vera virtus non est, uti nec λατρεία λογικὴ, ubi non rectè exploratum est, quæ sit *voluntas Dei bona placens & perfecta. Rom. XII, vers. 1.*

§. XI.

Opponitur Virtuti Morali Christianæ, Vitium habituale (*a*), quo homines (*b*), velut ex consvetudine (*c*), peccandi, valde & pertinaciter (*d*) propendent ad agenda, quæ lege divina prohibentur, & omittenda, quæ præcipiuntur (*e*).

NOTÆ.

(a) Πονηρὸν Græci dicunt; & *Theophylactus* in I. *Cor.* V, 8. aliquid *pejus* esse quàm κακίαν, perhibet: quippe quod de iis tantùm dicatur, *qui cum profunditate ac doloroſa ſententia malè agunt:* ex interpretatione *J. Lonicceri* fol. 46. b *Eraſmus, Schmidius* etiam reddunt, *exquiſitam improbitatem. Rom.* I, 9.

(b) Non ſolùm, qui extra Eccleſiam ſunt, & renati nunquam fuerunt; verùm etiam hi, qui cùm anteà *effugiſſent inquinamenta mundi per agnitionem Domini & Servatoris Jeſu Chriſti, iſtis tamen rurſus implicati ſuperantur:* juxta *II. Petri II, 20.*

(c) Nempe quod *ſecundùm proprias cupiditates ambulant. II. Pet. III, 3.*

(d) Ita enim Πονηρὸς à Πόνος, quod eſt *labor*, deducitur; ac talem denotat, *qui cum labore id eſt omni conamine & datâ operâ malus eſt.* vid. *Schmid.* ad *Matth. V, 37.*

(e) Tale erat vitium Judæorum, tempore *Jeremiæ*, quos Propheta Cap. IX, 5. deſcribit, quod *perversè agendo defatigati* fuerint: id eſt ſummo ſtudio laboraverint, ut pravè agere poſſent, nec deſtiterint, etſi vires agendi defatigatæ viderentur: quod *Lutherus* non malè ſic expreſſit: Es iſt ihnen leid / daß ſie es nicht ärger machen können. Tale etiam erat vitium Scribarum & Phariſæorum; *Matth.* XXII, v. 18. à Chriſtianis autem id procul eſſe jubent Paulus

I. Cor.

I. *Cor.* V, 8. & Petrus in concione Hierosolymitana. *Act.* III, 26.

§. XII.

Signa (*a*) acquisitæ Virtutis Moralis Christianæ sunt: [1] Delectari (*b*), quoties occasio sanctæ actionis exercendæ (*c*) affulget, & actio sancta consummata (*d*) fuit. [2] Dolere, quoties occasio ejusmodi erepta (*e*), aut neglecta (*f*); aut actio non satis accurate ad regulam sanctitatis conformata & exercita (*g*) fuit. [3] Materiam sanctarum actionum undecunq; quærere (*h*) aut captare (*i*). [4] Dei de actionibus suis judicium, & propriæ conscientiæ testimonium ita spectare, ut humani plausus aut censuræ contemnantur (*k*). [5] Nullum peccatum vile putare, sed omnia studiose cavere (*l*). [6] Ad vitam æternam, intuitu ipsius tunc subeundæ impeccabilitatis (*m*), anhelare.

NOTÆ.

(*a*) Quorum notitia valdè utilis, imò necessaria est his, qui profectus facere cupiunt in sanctimonia vitæ. Prout & Philosophi de signis acquisiti habitûs virtutum soliciti sunt: & laudandus Liber *Plutarchi* de profectu virtutis sentiendo.

(*b*) Sanè Voluptatem & Dolorem in actionibus moralibus, pro signis qualitatum animi,

virtutum, semivirtutum, vitiorum aut semivitiorum, etiam Philosophi agnoscunt. vid. *Arist.* II. Eth. III. & alibi.

(c) Seu experiri complacentiam voluntatis circa sanctas operationes, etsi cum labore & molestia quadam perficiendas, occupatæ: quam aliàs προθυμίαν, *animi promtitudinem* aut *alacritatem*, appellant: vid. *Act.* XVII, 11. *II. Cor.* IIX, 11. 12. 19. *Cap.* IX, 2. Eaque hîc spectatur non in respectu ad unam quandam actionem singularem [sic enim etiam cadere potest in eos, qui mox resiliunt;] sed quoties [saltem sæpiùs, quando] occasio adest rectè & sanctè agendi: ubi motus illos credimus indices esse habitualis propensionis. Quanquam & signa plura aut omnia collectivè valere debere, observandum est.

(d) Ita voluptas dicitur sequi *operationem non impeditam habitûs*, qui est *secundùm naturam*, tanquam *superexoriens finis*. Lib. VII. Eth. cap. 12. & X. cap. 4. 5. Unde rectè colligitur, quòd quò meliore modo facultas naturalis & habitus [naturalis, vel, ut hôc locô, supernaturalis,] in objecto convenienti occupatur, eò perfectior hinc sequatur voluptas. Itaque cùm voluptas ejusmodi, quam animus hominis renati sentit ex actionibus virtutis Christianæ, in sua origine aut causa spectantur, arguit sanè habitum ipsius virtutis Christianæ: & quò major est voluptas talis, eò luculentius indicium

est

est virtutis perfectioris. Quò spectat, quòd Christiani læto animo gratias agunt Deo, si quid sancti operis sibi successerit.

(e) Ita ut aliquid *simile fami ac siti sentiant*, si *avellantur* ab opere, qui animum intenderunt: quod juxta analogiam eorum, quæ *Plutarchus* l. c. observat, etiam hîc valet. Ac tales sunt, qui *comeduntur Zelo domus Dei. Psalm.* LXIX, 11. seu qui, exponente *Augustino* in Comment. *gemunt, si emendare non possint, quæ vident perversa*.

(f) Quamvis enim, si virtutem in sua ἀκμῇ & cum prudentia perfecta conjunctam spectes, negligentia in hominem, utrâque pollentem non videatur cadere: potest tamen aliqua & solet locum habere in homine quantumcunque in hac mortalitate perfecto. Unde de Pœnitentia quotidiana Christianorum mox dicendum erit. Exemplum autem doloris ex neglectu occasionis bonorum operum, præbent, qui fortè homini pauperi non illicò subvenisse, aut disciplinam Christianam non eo, quô par est, Zelô ac studiô, promovisse se, queruntur: etsi aliàs se liberales & religiosos ostenderint.

(g) Equidem & hæc supponunt lapsum quendam, aut aberrationem à regula virtutis; sed retractatio ipsa, aut correctio sui seria ac tempestiva, firmam ad actus sanctos inclinationem indicat.

(h) Nempè quò major est propensio voluntatis, eò minùs hæc est otiosa; sed excitat intellectum ad observandam occasionem agendi: & ex adverso, quò magis solicitus est animus, ut talia fiant; eò clarius apparet inclinatio habitualis voluntatis ad ejusmodi actus.

(i) Scilicet oblatam: prout quæritur agendi occasio, quæ non æquè spontè occurrit.

(k) Quod cuique, cùm se & actionum suarum fines causasque impulsivas examinaverit, patere potest. Cognoscitur autem hâc ratione, quàm sincerè & constanter mens dedita sit Deo & obsequio præceptorum ejus: gloriam ejus, non suam, spectans: quæ summa est virtutis Christianæ.

(l) Nam quò major est propensio ad actus sanctos, eò alienior est animus ab omnibus quæ opposita sunt.

(m) Prout auditæ sunt voces fidelium, cupientium mori, ut desinant peccare: hôc ipso autem significantium, se jam tunc ad actiones sanctas absque peccato intercurrente exercendas, quantum fert ratio præsentis statûs, inclinare.

§. XIII.

Contra Vitii Moralis habitualis contracti signa sunt: [1] Placere sibi in operibus malis, callide & cum successu peractis, aut de iis sibi (a) gratulari. [2] Dolere, quãdo impeditur cona-

conatus (*b*) malus. [3] Occasionem peccandi quærere (*c*), aut oblatam quamvis (*d*) amplecti. [4] Dei judicium, & conscientiæ examen, aliorumque monita, fugere atque (*e*) aversari. [5] Peccata, etsi grandia sint (*f*), extenuare. [6] Vitæ alterius desiderio carere (*g*), ac mortem temporalem potius (*h*) horrere.

NOTÆ.

(*a*) Sic enim voluptas impura, vitiosæ arboris fructus est. Et prodiderunt hôc signô malitiam suam habitualem Judæi, quando *peccatum suum sicut Sodomitæ enunciaverunt* [palàm & sine pudore], *non celarunt. Esa.* III, 9.

(*b*) Prout Herodes, cùm à Magis delusus impediretur, quò minùs Jesum recens natum agnoscere & interficere posset, ἐθυμώθη λίαν, *valdè commotus est animo. Matth.* II, 16.

(*c*) Quemadmodum Judas quæsivit εὐκαιρίαν, *opportunitatem, ut traderet* Jesum hostibus. *Matth.* XXVI, 16.

(*d*) Eam saltem, quæ abest à periculo mali temporalis, & cum spe boni temporalis conjuncta. Nam & aliàs *oderunt peccare mali formidine pœnæ*; neque peccatum, quod reverà malum est, nisi sub ratione alicujus boni, jucundi & utilis, appetitur. Sed qui neglectâ turpitudine peccati; amœnitate aut utilitate actûs illiciti tàm facile & frequenter capiun-

tur, ac sine luctâ quadam se ad perficiendum peccatum accingunt; hôc ipsô inclinationem ad peccandum habitualem de se ostendunt.

(*e*) Ita enim declarant, se velle in peccatis perseverare; (quod est, habitualiter peccantium,) & excludere emendationis media. Tales Jobus describit, qui *dicant* (mente saltem, si non lingvâ suâ) *Deo: recede à nobis, nam notitiâ virtutum tuarum non delectamur. Quid est omnipotens, ut colamus eum, aut quid proficiemus, qvum intercedimus apud eum?* cap. XXI, 14. Exemplo esse possunt auditores *Esaiæ*, qui Prophetæ, pœnitentiam prædicandi, dixerunt: *Appropinqua ad tuos, ne attingito me.* Cap. LXV, 5. Item *Amosi* auditores, cap. VII, 12. 13.

(*f*) Nimirum *veluti risus* (ludus aut jocus) *est stulto*, (homini *improbo*, qui beatitudinem animæ suæ negligit,) *facere abominationem* (scelus ingens, & judicio sanæ rationis planè adversum, deliberatâ voluntate committere.) *Proverb.* X, 23.

(*g*) Quippe quæ non est ad palatum animæ, vanis terrenarum rerum cupiditatibus & deliciis deditæ: qualem, cum *Persio, curvam in terra* dixeris, *cœlestium inanem. Sat.* I, 1.

(*h*) Quamvis enim homines mali, excussâ ex animô cogitatione ac metu secuturæ post mortem pœnæ, mortem contemnere; quin imò, si res minùs ex voto succesſeriut, appetere eam, aut accelerare sibi possint; & aliquando soleant;

quia

quia tamen plerique, nec rarò, vellicantur morsibus conscientiæ, ac nihilominùs à peccatis abstrahi se non patiuntur; adversa illis est mortis ac novissimorum cæterorum memoria: prout *Felici* Præsidi Judææ, *Actor.* XXIV, 25. aut si maximè non tàm pœnam, quam ipsam vitæ & bonorum hujus vitæ (præsertim si prosperiora fuerint tempora,) privationem spectent, nihilominùs vel hôc ipsô horrorem quendam sibi incuti sentiunt, eôque suam improbitatem produnt.

§. XIV.

Cæterum Virtutes Morales renatorum dividuntur [*a*] pro ratione Objectorum, circa quæ directe [*b*] versantur; ita ut aliæ circa Deum, aliæ circa Hominem renatum ipsum, aliæ circa Proximum [*c*] occupentur. Quibus ex adverso respondent Vitia, quæ circa eadem objecta oppositò modo [*d*] occupantur.

NOTÆ.

(*a*) Habet enim se virtus moralis, etiam Christiana, vel per modum generis in ordine ad species; vel per modum totius potestativi in ordine ad suas partes.

(*b*) Nam indirectè virtutes Christianæ omnes circa Deum occupantur, quatenùs ad cultum Dei pertinent.

(*c*) Quæ

(c) Quò spectat, quod Paulus *Tit.* II, 12. jubet Christianos vivere Ὁσίως, σωφρόνως, δικαίως: id est, *piè* erga Deum, *sobriè* circa se ipsos, & *justè* erga proximum. Unde si nomina habituum substituas, habebis Εὐσέβειαν, Σωφροσύνην, Δικαιοσύνην: *Pietatem, Temperantiam, Justitiam:* quò deinde cæteræ virtutum species, aut virtutis partes, reduci potuerunt. Quod si juxta Decalogi præcepta virtutes dividere velis, prima ex allatis speciebus aut partibus ad tabulam priorem, ejusque præcepta tria; altera & tertia ad posteriorem, ejusque præcepta septem, pertinebunt.

(d) Prout Pietati Impietas; Temperantiæ Intemperantia; Justitiæ Injustitia, opponitur. Quanquam & vitia ipsa inter se non rarò opponi constet: uti Atheismus & Superstitio; Cura corporis nimia, & minima aut nulla: Adulatio & Morositas, circa eadem objecta, adversis frontibus pugnant.

§. XV.

Virtutum vero illarum plurium hæc indoles est, ut qui unum [a] habet, cæteras [b] quoque, licet non eodem [c] gradu, habeat [d].

NOTÆ.

(a) Veram, inquam, ex gratia supernaturali pendentem, & gloriæ divinæ causa, ad actus lege præceptos, circa certam objectorum speciem occupatos, juxta ductum prudentiæ, firmis

miter & constanter inclinantem perfectionem: qualis præcipuè est vera & constans Dei dilectio.

(*b*) Objectis licet propriis distinctas, tamen ex eodem principio pendentes, ad eandem normam eundemque finem spectantes: eundem quoque cum prudentia Christiana nexum habentes, juxta analogiam Ἀντακολουθίας virtutum moralium; quam Philosophi observant. Videatur *Aristot.* VI. Eth. §. XIII. & *Cicero* II. Tuscul. Qq. ad M. Brutum. §. 32. & Lib. III. §. 17. Agnoverunt autem in renatis etiam *Hyeronimus* L. XV. Comment. in Jerem. Cap. LVI. Tom. IV. Opp. fol. m. 382. *Gregorius* M. Lib. XXII. Moral. Cap. I. p. m. 730.

(*c*) Potest enim in aliquo objectorum genere & actionibus, magis esse exercitatus, in aliis minùs: adeoque ibi facilitatem majorem, quàm hîc experiri. Ac si virtutes, prout actu sunt in renatis [imperfectæ scilicet] spectemus; fieri potest, ut concupiscentia prava homini renato, quoad aliqua objecta plus negotii faceſſat, imò ipsum in sanctitatis studio cursum faciliùs impediat, quàm in aliis. Quod renati ipsi, quantumcunque perfecti, penes se experiuntur, & aliquando conqueruntur.

(*d*) De his, qui minùs profecerunt, res paulò aliter se habet: etsi ipsa fides, ut mater est omnium virtutum, inclinationem quandam communem ad obedientiam toti legi præstandam de se gignat,

§. XVII.

§. XVI.

Accidit etiam virtutibus Christianorum, ut aliquando [a] Intensiores [b] sint, alias Remissiores [c]: imo ut amitti prorsus [d] possint & ab aliquibus [e] amittantur [f], ita, ut nunquam [g] recuperentur.

NOTÆ.

(a) Non solùm in diversis subjectis, verùm etiam in eôdem supposito, temporibus diversis.

(b) Scilicet ex inhabitante spiritu robur quoddam capientes, & splendidiùs elucentes.

(c) Ita ut velut langvorem quendam patiantur; & excitatione, velut calcari opus habeant: quod multa Pauli ad suos monita ostendunt. Pulcrè etiam *Thomas à Kempis* L. III. de Imit. Christi Cap. LVI. sub persona Christi ita alloquitur *animam fidelem: Fili, non vales semper in ferventi desiderio virtutum stare; sed necesse habes interdum ob originalem corruptelem ad inferiora descendere, & onus corruptibilis vitæ etiam invitus & cum tædio portare. Quamdiu mortale corpus geris, tamdiu senties & gravamen cordis.*

(d) Secus ac Philosophi de virtute, à se hominibus adscripta statuunt. Vid. *Piccolom.* Phil. de Mor. Grad. IV. cap. XLI. p. m. 353. Christianis

nis enim dictum est illud Apostoli: *Qui se existimat stare, videat, ne cadat. I. Cor. X, 12.*

(e) Quemadmodum multos confessores in ipso persecutionis æstu defeciisse fide historica olim & nuper constat. Conf. *Cypriani* sermonem de Lapsis. & quæ de *Libellaticis*, ac *Sacrificatis* ibi memorantur.

(f) Observandum autem, quod unâ ex virtutibus Christianis amissa, simul omnes, ipsaque fides, amittatur: ob connexionem earum.

(g) *David* quidem & *Petrus*, è lapsibus conversi, virtutum exempla denuò & illustriora de se dederunt. Sed non eadem omnium sors est. Multis id accidit, quod *Petrus* ait *II. Ep. II. v. 20.* Γέγονεν αὐτοῖς τὰ ἔσχατα χείρονα τῶν πρώτων. *Facta sunt postrema pejora primis.*

§. XVII.

Vitia autem nec necesse (a) est, omnia simul esse in eodem subjecto: neque ea, quæ opposita sunt, se mutuo ferunt (b). Ac satis triste est, uno præsente, excludi totam (c) vitæ sanctimoniam: & quamvis non statim omnis (d) ad assequendam virtutem reditus sit exclusus; difficilem (e) tamen valde esse, & raro (f) contingere: Nam & quo diutius durat in homine vitium, eo tenacius fit, & homo pejor (g).

NOTÆ.

(a) Potest enim unum aut pauca sine comitatu reliquorum esse in homine, licet Fide & Charitate destituto: quando nec in omnia mala mali omnes sunt proclives.

(b) Equidem multa simul esse possunt in eodem homine v. g. Intemperantia, Prodigalitas, Fastus, Iracundia. Mirum tamen esse non debet, si idem homo eodem tempore in actus oppositos, v. g. avaritiæ & prodigalitatis, non sit habitualiter inclinatus.

(c) Nam sicut peccata contra conscientiam, ita ipsi habitus vitiorum, privant hominem influxu gratioso Spiritûs sancti: ac proinde, cum fidem, virtutum matrem, excludant, non possunt non virtutes Christianas omnes tollere de subjecto. Ac nexus ille, quem ostendimus, virtutum Christianarum inter se; id omninò probat, quod una expulsa, per oppositi vitii habitum, omnes absint à subjecto.

(d) Prout enim peccatoribus, qui post agnitam doctrinam Evangelicam ex habitu peccati denuò contracto, ac deliberatâ malitiâ peccant; tamen, per gratiam Dei in novo fœdere oblatam non intercluſum esse; sed patere reditum ad pœnitentiam & fidem ac remissionem peccatorum; contra Socinianos probant Nostri, ex *Ezech. XIIX, 21.* Cap. *XXXIII, 11. I, Johann. II, 12.* & exemplis *populi Israelitici*, *Exod. XXXII, 4. Manassis II. Reg. XXI, 11. II. Paralip. XXXIII, 7 11. 12. ad*

12. ad 19. Ita etiam ad gratiam renovationis, atque adeo virtutes Christianas consequendas eis patere aditum, fatendum est.

(e) Scilicet res ipsa loquitur, habitus, atque eos præsertim, qui naturali corruptioni affines sunt, ægrè expelli; ac si difficile est cavere, ne vitia in nobis oriantur, multo gravior erit labor, tollere, quæ pravâ consvetudine robur acquisiverunt. *Quoties diuturna quæpiam ac dura inflatio corporibus inhæsit, tùm & longo tempore, multoque labore & multa sapientia in admovendis remediis est opus, ut collectus tumor, absque vitæ periculo dissolvatur. Idem videre est in anima. Quoties enim aliquis morbum, qui jam radices agit in anima, multoque tempore concretus sit, radicitus evellere voluerit, non satis est ad correctionem unius duorumve dierum admonitio: verùm oportet frequenter ac diebus compluribus in hac cura versari:* Tom. I. op. fol. m. 608.

(f) Ita enim & aliàs, quæ difficilius fiunt, hôc ipsô minùs frequenter evenire deprehenduntur. Ac si numerum hominum, ex vitiis ad virtutes Christianas perductorum, cum his, qui in sententia vitiorum pessum iverunt, compares; vix locus relictus erit comparationi.

(g) Ipsa, inquam, vitia, velut callô inductô, hominem indurant, ut ne optimis monitis auscultet aut morem gerat. Nec raro fit, ut Deus peccatores ejusmodi prorsus deserat.

CAPVT V.

DE POENITENTIA, PRÆSERTIM QVOTIDIANA CHRISTIANORVM.

§. I.

CUm homines renati & in ſtatu renovationis conſtitui, non ſolum pravam concupiſcentiam in ſe habeant, ejusque vi (*a*) ad varia peccata vel præter voluntatem ſuam (*b*) trahantur; verum etiam in graviora delicta ſcientes ac volentes (*c*) labi poſſint, & nonnunquam (*d*) labantur: propterea opus habent (*e*) Pœnitentia, (*f*) ne ſanctimonia vitæ (*g*) excidant.

NOTÆ.

(*a*) Vid. quæ de Carne adversùs Spiritum luctante diximus P. II. Cap. II. §. V. ſeqq.

(*b*) Quæ *ignorantiæ* aut *infirmitatis peccata* appellantur.

(*c*) Unde *proæretica* aut malitiæ peccata dicuntur.

(*d*) Quo ſpectant, quæ de amiſſibilitate virtutis moralis Chriſtianæ dicta ſunt h. l. Cap. præced. IV. §. XVII.

(*e*) Egregie *Baſilius M.* Serm. de Pœnit. T. I. op.

op. f. m. 245 Edit. Græcæ J. Cornarii: Μακάριον τὸ μηδὲ διςάσαι δεύτερον μακαρισμὸς, ἡ μὴ τὴν πληγὴν ἴασις. i. e. *Optimum* (beatitudo) *est, nequidem vacillare. Secunda beatitudo est, Sanatio post plagam.* Cui respondent illa *Chrysostomi* Comment. in Matth. cap. IV. homil. XIV. ex versione Erasmi T. II. op. fol. 131. *Primum bonum est, nihil omnino peccare; secundum verò, post peccatum sentire, quod commiseris, atque lugere.*

(*f*) Dicitur aliàs *Resipiscentia.* Græcè Μετάνοια ac Μεταμέλεια. De quibus vocibus vid. B. *Musæus* Tract. de Convers. Jenæ ed. disp. I.

(*g*) Priores quidem, ut maneant in cursu suo, à quo subinde declinant; posteriores verò, ne prorsus & finaliter destituantur sanitate sibi necessaria.

§. II.

Equidem proprie loquendo, Pœnitentia non est (*a*) virtus: quia peccatum (*b*) in homine supponit. Pro statu præsente autem (*c*) Christianorum, abesse non potest, ut virtus moralis (*d*) adsit. Pendet etiam a Spiritu (*e*) S. & viribus spiritualibus homini (*f*) concessis non minus, atque ipsa virtus ejusque actiones (*g*).

NOTÆ.

(*a*) Prout Pudorem non esse virtutem, *Aristoteles* probat IV. Ethic. ult.

(*b*) Atqui peccatum ab homine abesse debo-

bat. Unde, quemadmodum pudor, ita pœnitentia, ex suppositione tantùm res bona dicitur.

(c) De quo dictum est §. præced.

(d) Seu ne caro prævaleat spiritui, eumque extinguat, ac hominem virtute morali ipsâque fide carentem pessundet.

(e) Juxta ea, quæ in Theol. Posit. L. de Conversione habentur.

(f) Quando sermo est de pœnitentia Christianorum, qui adhuc sunt in statu gratiæ; & tamen, quia peccata habent, pœnitentiâ indigent: sed ad eam agendam, uti ad alia spiritualia, viribus supernaturalibus ex parte intellectûs & voluntatis sunt donati: prout, quòd Spiritu mortificare carnem dicuntur, ad pœnitentiæ opus reverà pertinet.

(g) Et profectò nec ipsa pœnitentia per modum habitus sese habet, sed potius per modum actus. Actionibus virtutum proinde similior est, quàm ipsis virtutibus: licet habitualis inclinatio ad pœnitentiam quotidianam, in renatis esse possit ac debeat: quam ad Charitatem erga Deum quidam referunt.

§. III.

Versatur autem pœnitentia hominis Christiani circa peccata, Originale (a) & Actualia (b); quibus agnitis (c) angitur homo, & (d) dolet, se Deum, gratiæ (e) auctorem offendisse; simul

simul fide (*f*) in Christi meritum defixa liberari quærit à (*g*) reatu peccatorum. Unde porro oritur (*b*) novum emendandæ vitæ ac morum (*i*) propositum.

NOTÆ.

(*a*) Præsertim quoad reliquias pravæ concupiscentiæ: quæ tamen intimam & profundissimam naturæ corruptionem arguunt. Et potest ad pœnitentiam de hoc peccato referri querela Pauli renati. *Rom.* VII, 14. seqq.

(*b*) Commissionis, & omissionis: majora non solùm sed & minora; nec solùm recentius admissa, sed & antiquiora: de quo mox clariùs constabit.

(*c*) Juxta id, quod David *Psal.* LI, 5. dixit: *Prævaricationes meas ego agnosco.*

(*d*) Est enim, uti retractatio ac displicentia peccatorum; ita dolor aliquis seu *tristitia secundum Deum*, de ratione formali pœnitentiæ. Vid. II. *Cor.* VII, 9. 10.

(*e*) Loquimur enim de pœnitentia eorum, qui vel sunt, vel certe fuerunt in statu gratiæ.

(*f*) Quæ & ipsa ingreditur pœnitentiam ὁλικῶς acceptam ac Deo placentem.

(*g*) Quem vel in se actu derivavit, per peccatum contra conscientiam; vel certè peccata sua digna esse novit, quæ Deus offensus juste puniat, nisi veniam peccati concedere malit.

(*h*) Distingui rectius potest à pœnitentia,

quàm ut ejus constitutionem ingredi dicatur: quanquam, si seria sit pœnitentia, statim sequitur hoc propositum.

(i) Quod alii nomine *Resipiscentiæ* appellant; velut à Pœnitentia distinctæ.

§. IV.

Ad pœnitentiam ex parte agnitionis peccatorum pertinet (a) Examen (b) Conscientiæ (c), quo homo renatus actiones (d), & inclinationes (e) suas subinde (f), serio (g), pie (h) ac solicite (i), considerat, non solum quoad objecta & circumstantias (k) in se spectatas; verum ita porro quoad habitudinem (l) ad legem: eaque ratione, non solum quod & quam sæpe, sed quam graviter etiam (m) peccaverit.

NOTÆ.

(a) Tanquam necessarium requisitum; si non, ut causa.

(b) *Recognitionem* sui quidam appellant, Alii *Inquisitionem* in sese; quæ sit quasi quædam *Anatome animæ*, quâ penetretur usque ad *divisionem spiritûs, compagumque & medullarum*, *ad dijudicandum cogitationes & conceptus cordis*: phrasi desumta ex *Ebr. IV. 12.*

(c) In ordine ad præcedentes actus, non ad futuros, spectatæ: quod ex contextu patet. Est enim actio animæ reflectentis ad se, & ad ea, quæ à se sunt profecta.

(d) Nec

(*d*) Nec solum, quas perfecit; sed & quas inchoavit, aut animo intendit: proinde non solum externas, sed & internas: Imo & occasiones ad agenda, quæ adfuerunt, sed præterierunt; aliud agendo.

(*e*) Præter actuales, seu motus & affectus; etiam habituales propensiones, connatas aut actionibus nostris contractas; & vel ex motibus cognoscendas.

(*f*) Neque enim satis est renato, cum primùm converteretur, excussisse se: neque postea, semel aut bis inquirere in se & statum suum atque officia. Unde *Ephræm* Syrus Christianum mercatori comparat, qui non rarò sed frequenter, rationes suas ducit; debita, quæ contraxit, sæpius numerat. Tom. III. serm. Ascet. Lib. I. cap. VIII. Confer *Bernard.* Lib. de Interiore domo sive ædificandâ conscientia. De tempore autem huic examini commodo mox dicemus.

(*g*) Veraciter ac rigidè: absque blanditiis, & vel quæsitis vel admissis excusationibus vanis aut extenuatione peccatorum.

(*h*) Tanquam in conspectu Dei, summi Judicis & καρδιογνώστου. Quò spectat vox Davidis ad Deum: *Tibi soli peccavi. Psal. LI, 6.*

(*i*) Ita *Bernhardus* id, quod Lucæ XV. v. 8. dicitur, de muliere scopis dommum verrente; accommodat ad præsentem doctrinam, & rogat fratres, ut *unusquisque intret in cubiculum suam,*

scopet conscientiam suam, se quærat in angulis cordis, circumeat latebras mentis &c. de Cœna Dom. Serm. XI. p. 1351. K. edit. Antverp.

(*k*) De quibus supra Cap. I. diximus: quod attinet ad moralitatem actionum inde cognoscendam.

(*l*) Sed non obiter ac perfunctoriè; verùm juxta pleniorem intelligentiam: de qua vid. Cap. II.

(*m*) Alias enim examen aut exploratio sui latiùs se extendit: quæ hîc tantum spectatur, quatenùs ad pœnitentiam pertinet: ac describitur *I. Reg. VIII, 47. Si reducent in animum suum, dicendo: Peccavimus, & perversè egimus, improbè fecimus.* Requiritur autem examen gradûs peccatorum, ad id, ut tanto magis solicita sit retractatio eorum, & ne dolor, quô opus est, tepescat nimis, aut frigescat.

§. V.

Agnitionem (*a*) peccatorum in pœnitentia Christiana, excipit (*b*) Dolor (*c*) animi (*d*) intimus, quo fit, ut homo peccatorum, tanquam malorum præsentium (*e*), sensu (*f*) excitetur ad aversationem (*g*) eorum, eaque odio habeat, non solùm propter pœnas, quas attrahunt, verum ipsam peccatorum (*h*) fœditatem, Deique offensam.

NOTÆ.

(*a*) Non merè speculativam; sed practicam; quâ

quâ intellectus judicat, in peccatis non esse perseverandum, sed in abolitionem eorum tendere oportere.

(*b*) Indivulsô nexu; tanquam id, quod ipsius pœnitentiæ nomine in casu recto nonnunquam venire solet.

(*c*) Aliàs Mœrorem, Tristitiam, Angorem dicunt. Λύπην expresse vocat ipsa Scriptura, & pœnitentes dicit λυπηθηναι εἰς μετάνοιαν, aut κατὰ θεόν. *II. Cor. VII, 9.* & seq. Λύπην autem animi molestiam aut ægritudinem, passionem, perturbationem, aut inquietudinem, alias appellat. Et λύπην quasi λύσιν, i. e. solutionem totius hominis dictam putant ex *Chrysippo*, *Socrate & Platone* Lexicographi.

(*d*) Quâ ratione pœnitentes dicuntur *corda scindere. Joël II, 13. Compungi corde. Act. II, 37.* Tribuitur eis לֵב־נִשְׁבָּר וְנִרְכֶּה, *cor contritum & confractum:* instar ligni aut lapidis, fulmine aut malleo percussi & dissilientis; aut hominis, cui ossa fracta sunt. *Psal. LI.* vers. *19. CXLVII, 3. Esaiæ LXI, 1.* cap. *LXVI, 2.* Et *Sulpitius Severus* Ep. II. ad Aurelium Diaconum: *Peccatorum meorum recordatio*, ait, *tristem me confectumque reddiderat.*

(*e*) Est enim de natura Tristitiæ, quæ à Metu distinguitur, versari circa mala præsentia. Et quanquam etiam ex recordatione præteritorum oriri dicantur, tamen & præterita fiunt quodammodo præsentia, quatenùs etiam nunc, sal-

saltem moraliter, afficere nos videntur. Quod de peccatis, etsi præteritis, omnino valet. Et sic David de adulterio pridem commisso: *Peccatum meum*, ait, *coram me est semper. Psal. LI, 5.*

(*f*) *Sensum* hunc à notitia & recordatione peccatorum quidam distinguunt. Tunc demum enim *sentiri* peccata putant, quando ea *sunt oneri*: quod Davidi accidit *Psal. XXXVIII, 5.* & qui illa sentiunt, dicuntur κοπιῶντες καὶ πεφορτισμένοι: *laborantes* ad defatigationem usque instar operariorum, aut viatorum: & *onusti* onere gravi, difficulter abjiciendo pariter, & portando. *Matth. XI, 28.*

(*g*) Displicentiam, fugam, detestationem peccatorum alias appellant. Scilicet quòd quis ea, quæ commisit, si fieri posset, reddere velit infecta; & ab aliis similibus posthac patrandis abhorreat: Sed & ob adhærentem pravam inclinationem aut concupiscentiam, ipse sibi displiceat; eorum instar, qui faciem suam deformem in speculo contemplati, sibi ipsis infensi sunt.

(*h*) Equidem intuitu pœnæ peccando contractæ dolere, æquum est ac necesse: verùm hæc neque unica nec præcipua causa esse debet. Nam & oderunt peccare mali, formidine pœnæ: dolent peccasse, inflictâ aut imminente pœnâ. Sed in pœnitentia Christiana dolor pro objecto aut motivo genuino aut primario habere debet ipsam peccati rationem formalem,

lem, quæ est violatio legis, &, quam hæc involvit, offensam Dei Optimi Maximi. Unde & *pudor* peccatorum pœnitentibus tribuitur; quando v. g. *Ezechiel* Cap. XVI, 61. futuram Judaicæ gentis pœnitentiam prædicens, ait: *Recordata viarum tuarum, pudore suffunderis.* & Cap. *XX. 43. Recordati viarum vestrarum, omniumque actionum vestrarum, quibus vos impuraſtis, fastidio eritis, propter omnia mala vestra, quæ feceritis Daniel* quoque in oratione sua pœnitentiali, quam nomine totius populi edidit, Cap. IX, 8. scribit: (*Domine,*) *penes non est pudor vultus, penes Reges nostros, penes Principes nostros, quia peccavimus* (in te.)

§. VI.

Ad pœnitentiam ex parte Fidei requiritur (*a*) non solum, ut homo (*b*) norit, & pro veris (*c*) habeat ea, quæ divinitus quoad negotium reconciliationis hominum peccatorum cum Deo (*d*) sunt revelata; ac simul desideret (*e*) habere Christum, eoque frui, ad gratiam per ejus meritum consequendam: sed & in ipsum meritum Christi, tanquam causam remissionis peccatorum præsentem & ad se (*f*) pertinentem, pleno voluntatis actu (*g*) feratur, de ipsa peccatorum remissione (*h*) securus.

NOTÆ.

NOTÆ.

(a) Juxta ea, ea, quæ in Scholis Theol. Posit. docentur.

(b) Distinctè scilicet, & Notitiâ *explicitâ*, quam vocant: non quatenùs in fide Ecclesiæ, aut generali providentiæ vel bonitatis divinæ consideratione involvuntur.

(c) Vim supernaturalem, quâ ad Assensum moveatur, in animo suo sentiens aut expertus.

(d) Quorum summa habetur *Joh. III, 16. Rom. III, 23 24. 25. I. Tim. II, 4 5 6.*

(e) Quod quasi initium aut primus gradus est Fidei, ex parte Voluntatis spectatæ, & tribuitur illis, qui *esuriunt* ac *sitiunt justitiam*, *Matth. V, 6.* eam scilicet, quæ coram Deo valet. *Sitiunt* potum spiritualem, qui animam reficiat. *Joh. VII, 37. Quærunt Deum manè*; quærunt *faciem Dei. Hoseæ V, 15* quærunt *toto corde* & *ex toto animo. Deut. V, 39. Jerem. XXIX, 13.*

(f) Ut sit fides homini propria, & meritum Mediatoris, tanquam bonum in se commune atque indeterminatum, ipsi in individuo uniat aut conjungat.

(g) Hoc est *accedere ad Christum*, velut introeundo ad eum, *Joh. VI, 37.* quasi in domum, in arcam (qualis Noachi erat,) in asylum, aut urbem refugii, in castellum munitum ac planè tutum & salutare Est etiam, sitientem *venire* ad Christum & *bibere*. *Joh. VII, 37.* conf. cap. IV, 34.

Di-

Dicitur etiam προσέρχεσθαι ἐν πληροφορίᾳ πίστεως, *accedere* nempe *ad sacerdotem magnum, præfectum domui Dei: cum vero corde, in certitudine fidei*; aut *per certioratam fidem*, uti *Beza* vertit. *Ebr. X, 22.*

(*b*) Nempe recumbens aut acquiescens in illa certa causa remissionis peccatorum, per actum Fiduciæ.

§. VII.

Propositum vitæ emendandæ, quod ex pœnitentia (*a*) nascitur, importat non solum desiderium (*b*), aliter & rectius, quam (*c*) hactenus, vivendi, adeoque faciendi omnia (*d*), quæ Deo placent, & omittendi (*e*), quæ ei adversantur; sed & decretum (*f*) voluntatis de conatu & opera constante, excolendi magis (*g*) magisque vires spirituales, ad actionum sanctarum frequens exercitium, & supprimendi (*h*) concupiscentias carnis.

NOTÆ.

(*a*) Ideoque hic spectatur, tanquam effectus necessarius; licet pœnitentiæ constitutionem non ingrediatur.

(*b*) Quo voluntas fertur in bonum, quô hactenus caruimus: intentione vero non inefficaci, quâ tantum placeat, si fortè ita vivere contigerit; sed efficaci, quâ in actus, ut nostro studio perficiendos feramur.

(*c*) A-

(*c*) Alias enim datur propositum sanctè vivendi, etiam in statu integritatis: hic autem spectatur, quatenùs pœnitentibus proprium est, adeòque supponit peccatum antecedens, aut quodammodo relictum.

(*d*) Debet enim se extendere ad totum hominis officium, lege divina præscriptum.

(*e*) Atque adeo exeundi è servitute peccati.

(*f*) Actus, inquam, ejusmodi, quô, considerata accuratius voluntate Dei revelata, & officii nostri amplitudine ac difficultate; (causa proinde cognita,) non solum sententiam ferimus, aut judicamus, ita omnino agendum nobis esse; sed & nobis ipsis quasi irrevocabiliter imperamus, aut necessitatem imponimus, hoc non alio modo, & sine exceptione, vivendi.

(*g*) Quod est ἀναζωπυρεῖν χαρίσμα τῦ θεῦ: *suscitare*, velut ignem, *dona Dei, II. Tim. I, 6.*

(*h*) Seu *mortificandi, crucificandi* carnem, *Gal. V 24. Coloss. III. 5. abnegandi* se ipsum. *Matth. XVI. v. 24.*

§. IIX.

Exerit se (*a*) Pœnitentia Christiana per Confessionem (*b*), qua homo inprimis (*c*) Deo, mente ad ipsum (*d*) directa, forte etiam per signa externa (*e*), se, ut peccata (*f*) agnoscentem, deq; illis (*g*) dolentem (*h*), simul in Christum (*i*) credentem, spectandum exhibet: denique emendationem vitæ (*k*) pol-

(*k*) polliceatur. Cui nonnunquam accedit Confessio peccatorum coram (*l*) ministro Ecclesiæ, aut etiam coram (*m*) proximo, præsertim (*n*) offenso.

NOTÆ.

(*a*) Unde Confessio, Pœnitentiæ signum aut interpres, aliquando vocatur.

(*b*) Stylo Ecclesiastico acceptam; non tamen hîc in ea latitudine sumendam, quâ & Confessionem Beneficiorum, quæ ad gratitudinem spectat; & Confessionem Fidei, extra statum pœnitentium, fortè tempore persecutionis, aut aliàs, ubi gloria Dei & salus proximi postulat, & Confessionem Peccantium, quâ talium, continet. Nempe hîc in tertia significatione acquiescimus: cui respondet germanica vox, die Beicht.

(*c*) Scilicet Confessio triplex constitui solet, quatenùs fit *vel* Deo, *vel* Ecclesiæ, aut Ministro ejus, *vel* Fratri: ut ex seqq. in thesi constat. Manifestum autem est, præcipuam esse, quæ fit ipsi Deo. Hæc enim non solum locum habet, quando reliquæ non requiruntur: verùm etiam quia ipsum auctorem legis & gratiæ spectat, potissima ejus ratio habenda est.

(*d*) Nam aliàs ipsa agnitio peccatorum & dolor hinc ortus, una cum cæteris, quæ antè spectavimus, fiunt coram Deo, seu Deo, qui omnia videt, cognoscente. Hîc autem spectamus o-

pus pœnitentiæ & confessionis, quatenùs non solùm pœnitentis animus ea, quæ ad Deum & ad se pertinent, tractat; verùm etiam Deum ipsum alloquitur, ac vel solam mentem, vel mentem & signa actuum mentis, ad Deum dirigit.

(*e*) Qualia sunt: Suspiria, Lachrymæ, Voces articulatæ, Genuflexio, velut supplicantis, & alia his similia: juxta Exempla Davidis, qui se *defatigatum* dicit *in gemitibus* suis. *Psalm.* VI, 7. *Psalm.* XXXVIII, 10. CII, 6. *Publicani*, τύπτοντος εἰς τὸ στῆθος ἀυτοῦ; *tundentis pectus*, & dicentis: *Deus propitius esto mihi peccatori. Luc.* XVIII, 13. *Petri*, πικρῶν κλαίοντος; *acerbè flentis. Matth.* XXVI, 75. Peccatricis, quæ *stans ad pedes Christi retrò, flens cœpit lacrymis rigare pedes ejus, & capillis capitis sui abstergere, & deosculari pedes ejus. Luc.* VII, 38.

(*f*) Prout David. *Psal.* XXXII. v. 5. hæc duo conjungit: *Peccatum meum notum tibi facio*, ait; & *non operui.* Addit: *Dixi, confitebor defectiones meas Jehovæ.* Et comparant interpretes Davidem homini ægro, diu quidem pudibundo, sed qui vel tandem morbum suum, ejusque causas & adjuncta aperit medico: aut filio, qui patri, jam conscio peccatorum, tamen vel post moram quandam, ultrò & candide rem omnem exponit. Hoc enim est peccata sic agnoscere, ut quòd agnoscas, alterum scire velis, aut ab alio te respici, tanquam peccatorum non solùm reum, sed conscium. Rectè Hilarius in *Psalm.* CXXXVII.

CXXXVII. p. m. 595. *Confessio peccati, non est tanquam rerum aliis ignoratarum professio; ut si fur de furto, aut homicida de cæde interrogatus confitetur. Neque tanquam ignorans, qui scrutatur corda & renes, Deus esset, ad scientiam suam confessione tuâ indiget: cui promtum est, non solùm cogitata, sed cogitanda perspicere. Confessio autem peccati ea est, ut id, quod à te gestum est, per cognitionem peccati confitearis esse peccatum.*

(*g*) Omninò quòd peccata nostra nobis displiceant, Deo exponendum est: alioqui nuda peccatorum recensio, jactantiæ potius similis erit, quàm retractationi: nisi, tanquam nobis molesta, indicemus. Unde *Esdræ*, suo & populi pœnitentis nomine Deum alloquens, dixit: *Deus mi, pudet me & erubesco attollere, Deus mi, faciem meam ad te: nam iniquitates nostræ creverunt supra caput, & reatus noster magnus est in cœlum usque.* Cap. IX, 6. Eadem apparent in precibus *Danielis*, Cap. IX, 8. & Psalmis pœnitentialibus variis Davidis: v. g. *Psal.* XXXVIII, 5. 6. Deum alloquentis: *Iniquitates meæ*, ait; *transcendunt caput meum; ut onus grave graviores sunt quàm perferre queam. Putruerunt, contabuerunt tumices mei, propter stultitiam meam. &c.*

(*h*) Facilè autem patet, alia quidem peccata, quæ, institutô diligenti examine, distinctè cognovimus; etiam distinctè esse confitenda; cætera saltem in radice sua, & corruptionis nostræ profunditate, generaliter esse confitenda;

aut coram Deo, qui ipse ea accuratè noverit, seriâ displicentiæ contestatione retractanda. Atque hanc, quam hucusque in thesi & notis spectavimus, Confessionem *Contritionis* quidam appellant.

(*i*) Hæc confessio *Fidei* à quibusdam dicitur, non tàm eô sensu, quô fideles doctrinam fidei, cui addicti sunt, coram hominibus, præsertim in statu persecutionis, profitentur: conf. h. l. not. b. quæque confessio aliquando *formalis* aliàs *materialis* est: sed quatenùs homo de peccatis suis dolens, fidei suæ specialis signum edit, mente ad Deum directâ, & exhibente ei meritum Mediatoris, tanquam fide à se apprehensum. Quem actum quidam illustrant simili ex historia seculari petito; seu facto quodam *Themistoclis*, qui exul ac supplex regem Molossorum Admetum, à cujus ira sibi aliàs metuerat, aditurus, *filium ejus adhuc puerum prehensum tenens, ad focum ejus procidit,* τάυτην μεγίστην καὶ μόνην σχεδὸν ἀναντίῤῥητον ἡγουμένων ἱκεσίαν τῶν Μολοσσῶν, *quod hunc supplicandi modum maximum & solum ferè repulsæ non obnoxium Molossi reputarent.* Vid. *Plutarchus* in vita Themist.

(*k*) Vocant hanc Confessionem *pii propositi*, quæ est instar Voti, quô Deo rem gratam & ejus gratiâ præstandam, liberè promittimus. Quanquam hîc promittantur, quæ jam ex se Deo debentur & sine culpâ omitti non possunt.

(*l*) Scilicet in respectu ad remissionem peccato-

catorum seu absolutionem à Deo per Ministrum impertiendam, ac vel in casu impositæ ab Ecclesia pœnitentiæ publicæ; vel ante accessum ad S. Eucharistiam, sive cum aliis pluribus, sive seorsim: vel etiam in casu planè peculiari, ubi peccatum, quod mentem inprimis angit, confitemur Ministro: ut conscientiam exoneremus: de quibus infrà suo loco plura dicemus.

(*m*) *Fraternam* confessionem aliqui appellant: quâ coram alio, præsertim amico, cujus familiariore conversatione utimur, non solùm quod peccaverimus, sed quod & quantoperè affligamur animo ex sensu peccati; declaramus: ac forte consolationem petimus vel expectamus.

(*n*) Scilicet, quando qui *peccavit in fratrem, revertitur ad eum, dicens: Pœnitet me.* Lucæ XVII, 4. ut *reconcilietur* cum fratre. *Matth.* V, 24.

§. IX.

Oportet autem Pœnitentiam hominis Christiani coram Deo [*a*] non solum periodis [*b*] amplioribo repeti; præsertim tempore immissarum divinitus, aut imminentium calamitatum [*c*], morborum [*d*] aut [*e*] mortis appropinquantis, fieri; verum etiam esse [*f*] quotidianam: quæ præsertim mane & vesperi [*g*] recte fit. Quanquam & interdiu, [*b*] cum occasio est: ubi semper cum exami-

ne (*i*) sui & agnitione peccatorum, dolorem (*k*) serium conjungi necesse est; ita tamen ut animus fide (*l*) in Christum erigatur, atque ad vitæ emendationem (*m*) tendat.

NOTÆ.

(*a*) Ea enim, quæ coram ministro aut proximo fit; cùm peculiares habeat sui causas, non tàm sæpè requiritur: etsi cùm causæ & occasio adsunt, negligi non debet.

(*b*) Quod *Periodicum* à quibusdam dicitur: & circa accessum ad S. Cœnam instituitur: quô tempore, solennis quædam pœnitentia requiritur, vi illius δοκιμασίας, quam Paulus exigit ab his, qui de Sacramento sunt communicaturi. I. *Cor.* XI, 28.

(*c*) Tempora *judiciorum* divinorum aliàs vocantur: quorum intuitu institui potest solicita excussio sui, & pœnitentia *Thren.* III, 40. I. *Cor.* XI, 31. ut de gratia Dei, si non ad declinanda mala temporalia, saltem ita superanda, ne prorsùs & æternùm pereamus, certiores reddamur.

(*d*) Qui, licet ex naturalibus causis oriri possint & soleant, monitores tamen sunt corruptionis naturæ & peccatorum. Conf. I. *Cor.* XI, v. 30.

(*e*) Scilicet ut homines peccatores præparent se ad judicium ultimum, particulare pariter & universale, divinum.

(*f*) Ita B. *Lutherus* in Catech. Min. Q. IV. de Bapt. *veterem Adamum, qui adhuc in nobis est, subin-*

subinde per quotidianam mortificationem ac pœnitentiam in nobis submergi & extingvi debere, scribit. Et jam olim *Joh. Chrysostomus*: *Si pecces quotidiè*, ait, *quotidiè pœnitentiam agas. Quod in antiquis domibus facere solemus, cum fuerint putrefactæ, putrida subtrahimus, & supponimus nova, à continua cura nunquam desinimus.* Homil. LXXX. ad Populum Antioch. Tom. V. Op. f. m. 474. D.

(g) Benè *Bernhardus*: *Manè præteritæ noctis fac à temetipso exactionem, & venturæ diei tu tibi indicito cautionem. Vespere dici præteritæ nationem exige, & supervenientis noctis fac indictionem.* de Vita solit. p. m. 1029. D. Confer *Ephrem* Syri l. c. Lib. I. cap. VIII. Fortasse autem inter ista duo tempora, vespertinum commodissimum est, quô vix transactæ diei opera facilius mens repetere potest. Unde *Chrysostomus* hoc inprimis tempus commendat, *Homil. II. in Psal. L. Tom. I.* Op. p. m. 931. B. seqq. *Per diem*, ait inter alia, *non habuisti tempus, sed observasti judicio tuo, & injunctum negotium, & confabulatio amicorum & domestica necessitas, & filiorum cum, & uxoris solicitudo, & militiæ timor, & cæterarum mille rerum circumdederunt te causæ. Quando in lectulum tuum veneris, ut sopori membra concedas ad tranquillum portum, nemo tibi molestius est, nemo pulsat, reminiscens peccatorum tuorum effunde lacrymas* &c.

(h) Nempè simul ac fortè peccatum aliquod

admissum est, retractari quàm citissimè oportet pœnitentiam: cui omne tempus commodum est, neque vel ad occasum solis hæc differri debet.

(i) Quò *Pythagoræorum* morem referunt; quem & *Hieronymus* commendat Lib. III. Apol. adversùs Ruffinum cap. X. T. II. Op. f. m. 261.

(k) Sanè ubi pœnitentia vera est, dolor de peccatis abesse non potest: qui est de formali ratione pœnitentiæ. Doloris etiam materia ac motiva haud dubiè adsunt, quando peccatum adest. Unde *Chrysostomus* etiam in quotidianæ pœnitententiæ negotio mentionem facit *lacrymarum* l. c. Et paulò post: *Quid grave, aut quid molestum est, positum in lecto quotidiana deflere peccata? Cùm reputare tibi cœperis, tanquam in equuleo suspende cogitationes tuas, & ungula timoris Dei radito eas. &c.* Et *Augustinus* Epist. CIIX. ad Seleuc. Tom. II. Op. fol. m. 192. b. C. *Est etiam*, ait, *pœnitentia bonorum & humilium, fidelium pœna* [alii legunt, *penè*] *quotidiana, in qua pectora tundimus, dicentes: Dimitte nobis debita nostra. Hieronymus* quoque de S. Paula scribit in ejus Epitaphio: *Ita levia peccata plangebat, ut illam gravissimorum criminum crederes ream.* Tendit enim profectò pœnitentia quotidiana ad mortificationem carnis: hæc autem non fit sine dolore. Et quando displicentia peccatorum, quantumcunque levium, seria est; qualem esse haud dubiè oportet; fieri non pot-

potest, quin sensu rei adversæ, adeoque mœrore aut dolore, animus afficiatur: quòque magis Deus diligitur, eò magis nobis triste & acerbum est, admisisse, quæ Deo sanctissimo non possunt non displicere. Neque est, quòd putes, gaudium spirituale fidelium, quod assiduum est, obstare dolori illi, quem pœnitentia quotidiana includit. Uti enim gaudium illud tentationes varias non excludit, quibus anguntur fideles; ita nec mœrorem ex sensu peccatorum proficiscentem. Imò gaudium ipsum spirituale, tantò majori & pleniori sensu experimur, quantò magis affecti sumus dolore de peccatis; simul autem per fidem in Christum de gratia divina facti certiores.

(*l*) Nempe ut pœnitentia hæc sit salutaris, oportet contritionem, etiam quotidianam, habere comitem fidem in Christum: per quam in abolitionem peccatorum ex parte offensæ Dei ac reatûs inde contracti, tendamus. Atque ita quotidiè petimus, *dimitte nobis debita nostra*, nempè propter Christum mediatorem.

(*m*) Oportet enim quotidiè renovari sanctum Propositum, & fœdus illud cum Deo, à quo declinavimus: ita ut quoad omnes facultates, omnibus præceptis Dei, atque omni tempore, obsequi statuamus aut decernamus.

§. X.

Opponitur pœnitentiæ Impœnitentia (*a*), qua fit, ut homines (*b*), neglecto peccato-

rum suorum examine & (c) agnitione, de peccatis non (d) doleant, sed in iis sibi (e) placeant; & sic vera in Christum fide (f) destituti, deque emendatione vitæ suæ non (g) soliciti, in peccatis potius perseverare (h) studeant. Quo etiam suo modo spectat Pœnitentia (i) Hypocritica, qua homines externis quidem (k) signis simulant dolorem (l) de peccatis, & desiderium (m) liberandi ab his per Christum; imo acquiescentiam in Christo per (n) fidem, ac studium (o) emendandæ vitæ: revera autem intra animum (p) non dolent, neque (q) credunt, & emendare sese (r) conantur.

NOTÆ.

(a) Ἀμεταμέλητον καρδίαν, *cor pœnitere nescium*, aut *pœnitentiæ expers*, appellat Paulus. *Rom.* II, v. 5.

(b) Non solùm, qui nunquam renati fuerunt, sed & ex statu gratiæ suâ voluntariâ malitia relapsi; & *inquinamentis mundi rursum involuti*, ita ut *postrema sint pejora primis*. II. *Pet.* II, 20. quibus facilè accidit, ut *non renoventur ad pœnitentiam*. *Ebr.* VI, 6.

(c) Vel quòd hanc operam ipsi subire detrectant, vel quòd alios monentes non fuerunt: exemplò auditorum *Jeremiæ*; qui *tangi* [verbo, quod pœnitentiam urget] *noluerunt*.

(d)

(*d*) Ἀπλυνηκότας dixeris, qui *dedoluerunt:* ex *Eph.* IV, 19. aut occalluerunt, ut sensu fœditatis & noxæ peccatorum careant. Confer *Apoc.* IX, v. 21.

(*e*) Tanquam in bono jucundo, aut temporaliter utili.

(*f*) Etsi præsumtionem quandam falsam de gratia Dei & merito Christi ad se spectantibus, habere possint.

(*g*) Nempe, quia mala, quæ tollenda sunt, non revocant ad animum.

(*h*) Ita ut *feratur equis auriga, neque currus audiat habenas.*

(*i*) Quæ hoc ipso, quòd simulata aut falsa est, non est pœnitentia, etsi videatur; sed Impœnitentia.

(*k*) Sed fallacibus, quæ homines fortassis decipere possunt; Deum omniscium fallere non possunt.

(*l*) V. g. *jejunant, tetricô vultu* [σκυθρωποί] *& deformant facies suas* [ἀφανίζουσι τὸ πρόσωπα αὐτῶν] *Matth.* VI, 16. *lacerant vestes suas, imponunt cilicium carni suæ, cubant etiam cum cilicio, & ambulant lentè:* exemplo Achabi I. *Reg.* XXI, v. 27.

(*m*) V. g. precibus, suspiriis; imitando aliorum verba aut gestus; imò receptæ à se ipsis consuetudini inhærendo.

(*n*) Ita ut se ipsos valdè & præclarè solari posse videantur.

(*o*)

(o) Sive coram ministro Ecclesiæ; sive coram aliis profitendo propositum, quod habeant de sanctius vovendo.

(p) Vel ita, ut nullum habeant verum animi dolorem; qualis Pharisæorum & multorum hodiè est: vel, propter pœnas peccati tantùm doleant, non propter peccata ipsa; qualis Achabi pœnitentia fuit. l. c.

(q) Quanquam enim possint habere desiderium simplicis complacentiæ, tanquam boni, fide humanâ cogniti, & in ordine ad declinandum malum aliàs metuendum utilis futuri: carent tamen desiderio efficaci, quo ferantur in illud, ut suum faciendum, modô divinitùs revelatô: ideòque etiam carent verâ animi fiduciâ, in Christi merito defixa, quæ non nisi in animo verè contrito nascitur.

(r) Vel quòd prorsùs non intendunt animô, deserere jucunda ac temporaliter utilia, atque ita mutare vitam, vel quòd voluntas tantùm simplicis complacentiæ est, non efficax; quæ statim resilit, occurrente negotii difficultate: vel quod finis actionum non est gloria Dei, sed suum quoddam commodum, & causa impulsiva agendi non amor Dei sed φιλαυτία.

§. XI.

Rationes [a] aut motiva [b] pœnitentiæ sunt: I. Præceptum [c] summi Numinis [d] universale [e]. II. Approbatio Dei [f] benigna;

gna; etiam promissione (*g*) gratiæ declarata. III. Peccati, tanquam rei malæ (*h*) adeoque omnino pœnitendæ, ratio. IV. Bonorum pœnitentibus propriorum (*i*) apparatus; qualia sunt; reconciliatio (*k*) cum Deo, & remissio (*l*) peccatorum aut (*m*) justificatio; inhabitatio (*n*) Spiritus S; hinc solatium (*o*) & gaudium mentis (*p*) intimum, exauditio (*q*) precum, ablatio (*r*) pœnarum proprie dictarum, ac salus (*s*) æterna. V. Impœnitentiæ (*t*) oppositæ turpitudo (*u*) & noxa (*x*), quoad malorum in hac (*y*) & futura (*z*) vita inevitabiliter (*aa*) & forte mox (*bb*) subeundorum (*cc*) gravitas (*dd*).

NOTÆ.

(*a*) Quibus agnitis intellectus practicus hominis certò concludit, agendam sibi esse pœnitentiam.

(*b*) Quæ ab intellectu exhibita voluntati, impellunt eam ad suscipiendum & exequendum opus pœnitentiæ, partim ut excitet intellectum ad examen peccatorum, partim ad eliciendos actus displicentiæ peccatorum fideique & propositi vitæ sanctionis.

(*c*) Sic ea, quæ *honestum* aut *justum* esse docent, agere pœnitentiam; primo loco spectari possunt. Præcepta autem multa occurrunt v. g. *Esa.* I, 16. *Joël.* II, 13. *Matth.* III, 2. *Marc.* I, 15.

(*d*) Prout

(*d*) Prout *Hoseæ* XII, 6. 7. dicitur: *Jehovah Deus exercituum, Jehovah est nomen* [memoriale] *ejus. Tu ergò ad Dominum Deum tuum convertere.*

(*e*) Respectu omnium hominum peccantium, πάντων ποσαχῶς, qui aliquando sunt judicandi, *Act.* XVII, 30. & omnium delictorum; seu ut avertant se *ab omnibus defectionibus* suis. *Ezech.* XVIII, 30. 31.

(*f*) Placent enim Deo, quæ fiunt ad mandatum ejus. Et testatur beneplacitum suum; *Ezech.* XVIII, 23. XXXIII, 11. Cumque peccatum non possit non odisse, vi sanctitatis & justitiæ suæ; placet ei ex adverso retractatio aut abolitio ejus, quod odit, per pœnitentiam.

(*g*) *Revertimini ad me & revertar ad vos: ait Jehovah exercituum. Malach.* III, 7.

(*h*) Uti enim, quæ revera bona sunt, prosequi & amplecti; ita mala fugere, & quantum in nobis est, removere aut abolere convenit.

(*i*) Unde *utilitas* pœnitentiæ apparet; quamvis, si partes pœnitentiæ earumque habitudinem ad bona illa spectes; contritio quidem, seu dolor & displicentia peccatorum, per modum conditionis, non causæ; fides autem tantùm ut causa se habeat.

(*k*) Juxta locum *Malach.* III, 7. *Revertitur* enim Deus ad homines, quando se patitur re-

con-

conciliari; & recipit in gratiam, quos hactenùs ut alienos à se spectaverat.

(*l*) Ita Petrus *Act.* III, 19. *Pœnitentiam agite*, inquit, *& convertimini εἰς τὸ ἐξαλειφθῆναι ὑμῶν τὰς ἁμαρτίας; ut deleantur peccata vestra:* tanquam debita, à creditore consignata, quæ repeterentur; nunc autem expungentur, velut condonata. Et aliàs frequens est nexus pœnitentiæ & remissionis peccatorum. Vid. *Psalm.* XXXII, v. 5. *Jerem.* XXXVI, 3. *Marci* I, 4. *Luc.* XXIV, 47. *Act.* III, 19. cap. V, 31. I. *Joh.* I, 9.

(*m*) Quæ cum remissione peccatorum coincidit. Confer exemplum publicani pœnitentis & justificati. *Luc.* XIIX, 14.

(*n*) Vid. *Act.* II, 38. ubi sicut dona miraculosa, ad plantandam Ecclesiam, his, qui primi convertebantur, offeruntur; sic dona sanctificantia communia pœnitentibus omnibus sunt parata.

(*o*) Quô obfirmemur adversùs tentationes, anne gratia Dei ad nos spectet?

(*p*) Tanquam ereptorum è potestate Satanæ, & collocatorum in regnum, & quasi in sinum Dei: congaudentibus etiam ipsis angelis. *Luc.* XV, v. 10.

(*q*) Juxta I. *Joh.* III, 21. 22. *Si cor nostrum*, quod nos condemnaverat, antequam pœnitentiam egerimus, jam, actâ pœnitentiâ, *non* ampliùs *condemnet nos*, fiduciam habemus erga Deum: *Et quicquid petierimus, accipimus ab eo.*

(*r*) Ni-

(*r*) Nimirum ablatâ culpâ. Et sic ad *Semajam* Prophetam dicit Deus de Israëlitis pœnitentibus : *Depresserunt se ipsos, non perdam eos. II. Paralip. XII, 7.* Confer *Jerem. XIIX, 7. 8. Jonæ* III, 10. Quando autem homines pœnitentes nihilominus mala tristia, intuitu præcedentium peccatorum suorum divinitùs immissa, patiuntur; pœnæ tamen propriè dictæ non sunt, sed castigationes ex affectu paterno, bono hominum illorum destinatæ.

(*s*) Unde dicitur Μετάνοια εἰς ζωήν. *Actor.* XI, v. 18.

(*t*) Seqvuntur rationes *à contrario* fugiendo.

(*u*) *Deformitas* à quibusdam dicitur, velut retinentium maculas, quas abluere oportebat: aut infamia, tanquam pergentium servire Satanæ.

(*x*) Etsi enim homo impœnitens pergat Deum offendere; Non tamen Deo, sed sibi nocet: quando Deum ad vindictam offensarum lacessit, & quasi trahit.

(*y*) Vid. *Luc.* XIII, 3. 5. *Matth.* XXIII, v. 38. *Amos.* cap. IV.

(*z*) Nimirum *accumulant* sibi impœnitentes & quasi in futurum reponunt, Θησαυρίζειν *sibi ipsis iram in die iræ.* &c. *Rom. II, 5.*

(*aa*) Propter immutabilitatem justitiæ, & infinitatem potentiæ, simul veracitatem comminationis divinæ. Et sic oportet homines

vel

vel invitos, & ex pœnis, *agnoscere & videre, malum & quidem amarum esse, quòd dereliquerunt Jehovam Deum suum. Jerem. II, 19.*

(bb) Juxta illud *Psalm.* II. v. 12. *Osculamini filium, ut non irascatur, & pereatis in via*, in medio cursu consiliorum vestrorum, antequam pertingatis ad metam: *quum exarserit vel minimum ira ejus.* Atque huc spectat fragilitas vitæ humanæ, quâ fit, ut multi citiùs abripiantur ad pœnas, quàm putaverant.

(cc) Iram Dei enim nemo quisquam sustinebit. *Ebr. X, 31. Apoc. VI, ult.*

(dd) Atque ita etiam *necessitas* agendæ pœnitentiæ cognoscitur.

§. XII.

Speciatim ad pœnitentiam sincere *(a)* & studiose peragendam movere possunt, Omniscientiam *(b)* Dei, Scrutatoris *(c)* cordium: adeoque pœnitentiæ hypocriticæ stoliditas *(d)* & noxa *(e)* cavenda.

NOTÆ.

(a) Quanquam enim rationes & motiva illa generalia, §. præced. & notis indicata, ad eam deducant pœnitentiam, quam Deus in verbo suo descripsit, tanquam seriam & sollicitam: non tamen negligenda sunt, quæ pœnitentiam, quatenùs non tantùm Impœnitentiæ, verùm etiam simulatæ pœnitentiæ opponitur, peculiariter commendant aut svadent.

(*b*) Qui, sicut omnia peccata exactè cognita & numerata habet ; sic etiam rationem actuum pœnitentiæ nostræ accuratissimè cognoscit.

(*c*) Vid. I. *Reg.* VIII, 39. *Apoc.* II, 23.

(*d*) Neque enim Deum, sed seipsos fallunt hypocritæ.

(*e*) Partim, quando pudebit agnitæ stoliditatis : partim cum pœnæ *hypocritis* destinatæ contingent : v. g. desertio à Deo, denegatio exauditionis precum &c. *Job.* XIII, 16. XXVII, 8. 9.

§. XIII.

Ad pœnitentiam autem quotidianam (*a*) peculiariter moveri possunt Christiani [1] Præcepto de quotidiana (*b*) renovatione. [2] Peccatorum suorum, inhabitantis & actualium (*c*), consideratione : adeoque [3] Indigentia & periculo (*d*) suo. [4] Utilitate quotidianæ pœnitentiæ ad incrementum (*e*) sanctitatis, & perpetuam de sua in statu gratiæ existentia (*f*) certitudinem.

NOTÆ.

(*a*) Quatenùs talis est, seu ratione suæ frequentiæ, etiam extra casus lapsuum graviorum & notabilium agendæ, consideratam.

(*b*) Nempe renovatio, quatenùs importat *mortificationem carnis*, *Gal. V*, 24. consistit in aboli-

abolitione veteris hominis aut reliquiarum peccati; ea verò fieri non potest, nisi mediante agnitione & displicentiâ earum, & sic mediante pœnitentiâ. Itaque renovatio quotidiana importat pœnitentiam quotidianam.

(*c*) Neque enim solùm peccata proæretica, aut regnantia; sed, qualiacunque sint, & quantumcunque levia putentur, omnia homini, præsertim renato, disconveniunt, & sunt res pœnitenda. De solis enim bonis lætandum est, & acquiescendum in eis. De malis turpibus quibusvis dolendum est.

(*d*) Nam quæ habemus aut admisimus peccata, non desinunt nos afficere moraliter, nisi displiceant. Et peccata etiam parva facilè degenerant in grandia, nisi per pœnitentiam inhibeatur progressus. Imò sæpè aut frequenter peccare, nec de talibus dolere, gradus est ad securitatem carnalem, aut indicium ejus. Pulchrè J *Chrysostomus* in Ep. I. ad Corinth. Homil. IX. *Corpus* ait, *si parum ab ense dividatur, corrumpitur; & ædificium si parum fatiscat, dissolvitur: & si vel minimùm palmes à radice abscindatur, inutilis redditur. Itaque id parum non est parum, sed ferè totum existimandum est. Cùm igitur parum peccaverimus, vel desidio torpuerimus; nolimus ut exiguum despicere. Siquidem ut neglectum quamprimum in immensum evadet. Sic & vestis, quæ scindi cœperit, neglecta totà discinditur; & tectum paucarum tegularum casu contemto, totam*

domum diruit. Hæc nos reputantes nunquam parvum contemnamus, ne procidamus in majora. Tom. IV. Op. f. m. 387. A. B.

(*e*) Remotis videlicet quotidiè, quæ cum sanctitate pugnant, ita ut in iis removendis ipsæ vires spirituales nostræ se exerceant, & exercendo crescant. Simul enim, dum ad abolendum terminum à Quo Renovationis tendimus; tendimus etiam ad acquirendum terminum ad Quem ejusdem.

(*f*) Scilicet fidem quidem hypocriticam à vera & divina vix licet aliâ ratione rectiùs dignoscere, quàm si attendamus, anne ea in corde contrito, seu peccatorum sensu anxio facto, per verbum Evangelii accensa sit, & studium emendandæ vitæ post se trahat? Itaque qui sua fide vera & salutari certus esse vult, eum exercere se oportet in scrutinio, agnitione ac displicentia peccatorum; ac, si ei ex Evangelio nascatur desiderium gratiæ & acquiescentia in merito Christi, poterit falsam de fide præsumtionem à suâ fide rectè distingvere.

§. XIV.

Media (*a*) pœnitentiæ Christianæ sunt [1] Lectio sive auditio & meditatio verbi (*b*) Dei, præsertim concionum (*c*) legalium, passionis Christi (*d*), psalmorum pœnitentialiū (*e*) & precationum similium (*f*), Historiarū seu

seu exemplorum (*g*) hominum pœnitentium [2] Consideratio bonitatis ac (*h*) beneficiorum justitiæ (*i*), omniscientiæ (*k*) & (*l*) potentiæ divinæ. [3] Consideratio judiciorum (*m*) divinorum, in singularibus (*n*) exemplis. [4] Meditatio (*o*) novissimorum. [5] Reminiscentia peccati alicujus (*p*) gravioris, olim aut nuper (*q*) commissi. [6] Preces ad Deum (*r*) pro gratiosa operatione ad immutationem cordis spiritualem.

NOTÆ.

(*a*) Quæ adjuvant hominem in negotio pœnitentiæ, ex se arduo & difficili.

(*b*) Quod ipsum medium conversionis aut pœnitentiæ vulgò & rectè appellatur: hîc ergo spectari debet, ut constituendum in usu.

(*c*) Quæ perfectam vitæ & actionum nostrarum sanctitatem rigidè postulant; & his, qui deficiunt, pœnas gravissimas minantur. Quales præter Mosaicam *Devt.* XXIIX. & Propheticas plurimas; etiam in N. T. *Matth.* V. & seqq. & epistolis Apostolorum variæ deprehenduntur. Exemplum promoti hoc modo Operis pœnitentiæ. vid. II. *Chron.* XXXIV, 14. seqq.

(*d*) Propter peccata hominum susceptæ atque exantlatæ: unde vis peccatorum, tàm graviter luendorum, patet. Et qui Christum insontem propter aliena peccata tàm acerbè doluisse seriò meditantur, hôc ipsô ad dolendum,

eò quòd causam dederint suis peccatis, facilè excitantur.

(*c*) Quibus genuina indoles variique characteres pœnitentium exprimuntur; atque hinc similes in nobis motus produci possunt & solent. Unde operæ pretium est, addere commentarios præstantiores, & ad praxin accommodatiores.

(*f*) V. g. Danielis & Manassis.

(*g*) In Scripturis quidem, exemplum *peccatricis. Lucæ VII. Ninivitarum, Jonæ III.* Ex historia sequentium temporum, Imperatoris *Theodosii*, de quo *Ruffinus* Lib. II. Hist. Eccl. cap. XVIII. Christianorum militum, qui à Juliano decepti, donativo accepto, thus aræ imprudenter imposuerant, sed pœnitentiam egerunt seriam: teste *Greg. Nazianzeno* Orat. I. in Julianum. *Paulæ*, de qua Hieronymus in vita; & *Fabiolæ*, de qua idem in Epitaphio ejus ad Oceanum.

(*h*) Unde ingens imò summa nascitur obligatio nostra, primùm quidem ad scrutanda, hinc ad actu præstanda, quæcunque Deo, erga nos tàm benigno, placeant; mox ad inquirendum, an? & quomodo talia præstiterimus? vel secus? unde cùm constiterit, toties nos defeciisse, ac potiùs Deo tàm bono adversos fuisse; facilè nascitur dolor, & actorum nostrique displicentia, ac desiderium redeundi cum Deo in gratiam: præsertim quòd *misericordia Dei* ipsa *invitat ad pœnitentiam Rom. II, 4.*

(*i*)

(*i*) Partim quatenùs coincidit cum sanctitate, cujus vi Deus non potest non odisse peccata; partim etiam quatenùs est vindicativa, per quam Deus non potest non attendere ad omnes, qui peccant, & actiones, quibus peccant, ut puniantur, tanquam legi suæ immutabili, simul etiam Majestati suæ, adversa. Unde qui ei in statu peccati obversari, periculosissimum esse cognoscunt, facilè excitantur ad retractanda peccata, & quærendam cum Deo reconciliationem.

(*k*) Quæ facit, ut Deum nec peccator nec peccata ejus, sive minima sive maxima, latere possint: cumque peccata nos maculent & pœna dignos reddant: ideò, nosse, quòd Deus peccatorum nostrorum sit conscius, pudorem incutit & displicentiam eorum.

(*l*) Adversùs quem pugnare peccatis, stolidum est, quia non potest non vincere, & opprimere: faventem autem habere, optimum. Quare, qui hæc meditantur, submittunt se & supplices deprecantur offensas.

(*m*) Seu immissarum calamitatum varii generis, publicarum & privatarum: externarum [quales sunt, bella, incendia, inundationes, terræ motus, tempestates noxiæ, pestis, aliique casus tragici] & internarum, [v. g. terrores subitanei, perturbationes animi & consiliorum &c.] quando in iis manifesta apparet relatio ad antecedentia peccata, & vim supernaturalem, tanquam ma-

lorum immissorum causam : Quanquam & calamitates piis immissas spectare conducat, unde peccatoribus solicitudo de suo studio incuti potest ; juxta illud *Lucæ* XXIII, 31. *Si in humido ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?* aut. I. *Pet.* IV, 18. *Si justus vix salvus efficitur, impius & peccator ubi comparebit?*

(*n*) V. g. Diluvii universalis *Gen.* VI. & VII. eversionis Sodomorum & Gomorrhæorum *Gen.* XIX. Exilii Davidis à filio persecutore fugientis. II. *Sam.* XV. seqq. Captivitatis Manassis; Zedekiæ, & populi Israëlitici per annos LXX. destructionis postremæ templi & politiæ Judæorum : quibus alia multa accedunt recentiora ; quemadmodum ex ipsis persecutionibus Ecclesiæ θείαν χεῖρα agnosci potuisse memorat *Eusebius* Lib. VIII. Hist. Eccl. cap. I. & II. p. m. 292. 293. edit. Vales. & de cladibus Imperio Romano per *Gepidas*, *Vandalos*, *Longobardos*, *Gothos*, *Hunnos*, *Saracenos* illatis, tanquam judicii divini documentis, videri possunt *Augustinus* Lib. I. de Civ. Dei, *Orosius* in Libris Historiarum, & *Salvianus* de gubernatione Dei.

(*o*) Mortis, Judicii extremi, Inferni, & Beatitudinis cœlestis. Quæ sicut à peccatis patrandis absterrere possunt homines; ita eis, qui peccârunt, velut somnum excutiunt, ac solicitos reddunt, ut in via sibi consulant, & futura mala declinent ; præparent sese potiùs tanquam ingressuri felicitatem æternam ; quemadmodum

dum, qui in aliis ad pœnitentiam perducendis occupantur, hanc noviſſimorum conſiderationem ſubinde commendant.

(*p*) Unde in notitiam infirmitatis noſtræ perducimur, & ex fructu extantiore uno, de arboris putredine monemur: inde conceptâ ſolicitudine, tantò facilius aliorum plurium peccatorum reminiſcimur; & in uno illo nobis diſplicentes, mox pleniorem animo dolorem concipimus. Præſertim verò ad ea attendere par eſt, in quibus ſcandalum dedimus vel infirmioribus inter noſtros, vel exteris ad religionem noſtram blaſphemandam. Quod ſi caſtigatos nos ideò à Deo noverimus, graviora meruiſſe cogitemus: ſi autem connivendo Deus iſta toleraverit, tantò andentioris & frequentioris pœnitentiæ materiam relictam putemus.

(*q*) Equidem proximè commiſſa magis animum deſcendere videntur: ſed tamen & antiquiora juventutis aut pueritiæ dicta jam ſeneſcentibus cum dolore obverſantia, ad pleniorem amplioris pœnitentiæ operam adminiculo ſunt.

(*r*) Qualis eſt illa formula apud *Jeremiam Converte me, ut convertar: quia tu es Jehovah Deus meus.* cap. XXXI, 18.

§. XV.

Impedimenta pœnitentiæ (*a*) Chriſtianæ ſunt [1] Præjudicia (*b*) de gratia (*c*) Dei, aut

Merito Christi (*d*), peccatoribus quibusvis (*e*) profuturo: Similiter de Prædestinatione aut Reprobatione (*f*), velut ex absoluto beneplacito Dei pendente: de Imperfectione fidelium (*g*) in hac vita &c. (*h*). [2] Ignorantia aut neglectus discriminis sanctarum aut indifferentium actionum à (*i*) peccatis. [3] Exempla & prava consvetudo hominum (*k*) plurimorum, (*l*) securius viventium. [4] Status tranquillioris in hac vita (*m*) possessio ac fruitio.

NOTÆ.

(*a*) Quæ & fomenta oppositæ impœnitentiæ sunt. Quò in genere spectant neglectus mediorum ac motivorum in usu constituendorum.

(*b*) Vel ex neglectu Scripturæ Sacræ, vel ex male intellectis ejus dictis, forte etiam seductorum astu intercedente, contracta.

(*c*) Seu de Misericordia Dei & affectu gratuito, ad dandam hominibus, licet peccatoribus, salutem: velut per nudam peccatorum condonationem.

(*d*) Universali, non solùm ratione valoris sui; sed & ratione intentionis; non sub conditione pœnitentiæ, sed intentionis absolutæ.

(*e*) Actu scilicet aut reipsâ profuturo: non habitâ ratione tàm solicitæ & laboriosæ, præsertim quotidianæ, pœnitentiæ.

(*f*) Sic enim solent aliquando argumentari pec-

peccatores: Si ex absoluto Dei beneplacito electus sum, absolutè certum erit, me salvari, sive solicitus sim de mea conversione aut pœnitentia, sive minùs. Sin reprobatus sum est mero beneplacito divino, frustra erit mea opera, quam ad pœnitentiæ opus impendam.

(*g*) Scilicet minuitur interdum solicitudo de peccatis nostris retractandis, si communem illam vitam nostram, quâ fit, ut peccato non careamus. sic spectemus, ut de corrigenda ipsa imperfectione, in qua tamen detur via ad salutem, non admodum angamur.

(*h*) V. g. de Impotentia nostra naturali ad actus spirituales pœnitentiæ: ex cujus consideratione fieri potest, ut homines vel in actibus pædagogicis externis deficiant, vel internæ gratiæ, dum carni suæ indulgent, repugnent.

(*i*) Quando videlicet vel legis vis & rigor ignoratur; vel alia quavis ratione fit, ut vitia vicinarum virtutum, perfectarum aut imperfectarum, vel saltem adiaphororum nomina induant, aut ex adverso virtutes earumve actiones pro vitiis aut peccatis habeantur: prout e. g. haud rarò permutantur actus devotionis & superstitionis; humilitatis & superbiæ spiritualis; moderationis & assentationis aut lentitudinis; Zeli & vindictæ humanæ. Unde fit, ut aliquando non doleamus de commissis, quia malè commissa esse non putamus; aut non displiceant omissa, quia agi debuisse nescimus: forte de oppositio persvasi.

(*k*)

(k) Quæ magnam vim habet in animis intuentium, ut putent, sibi non opus esse modestia, quam plerique declinent: quos tamen omnes damnatum iri non sit verisimile.

(l) Præsertim verò si doctrinâ, prudentiâ, auctoritate aut potentia civili polleant, qui à pœnitentiæ negotio alieniores videntur: Imò nonnunquam ipsam doctrinam de pœnitentia corrumpant: quales sunt Casuistæ multi inter Pontificios.

(m) Unde homines velut in soporem dantur, de futuro judicio, reddendaque ratione minùs soliciti: ideoque peccata sua non ita, ut par erat, expendentes & retractantes. Quò peculiariter spectat valetudo firmior & spes longioris vitæ: unde facilè differtur pœnitentia.

§. XVI.

Itaque ut removeantur (a) impedimenta illa, opus est, [1] ut sana doctrina de nexu gratiæ divinæ ac meriti Christi cum (b) pœnitentia humana; deque prædestinatione ad vitam in prævisione (c) pœnitentiæ ac fidei nostræ finalis fundata; de reprobatione, quæ prævisionem impœnitentiæ (d) nostræ finalis supponat; de necessitate pœnitentiæ frequentioris, propter (e) imperfectionem fidelium &c. (f) rectius teneatur. [2] Ut actionum virtutumq; & vitiorum limites aut differen-

ferentiæ ex ipso verbo divino (*g*) & consideratione circumstantiarum (*h*) accuratius discantur. [3] Ut ad Dei voluntatem (*i*) & judicium, non hominum (*k*) sententias aut mores attendamus. [4] Ut inconstantiam rerum (*l*) humanarum ipsiusque vitæ nostræ meditemur.

NOTÆ.

(*a*) Nempè & huc spectari debere credimus in doctrina morali Christiana, ut non solùm videamus lapides, ad quos offendi aut per quos cursus in agendis sufflaminari potest: sed & quomodo removere aut declinare eos possimus.

(*b*) Invitant enim ipsa gratia divina & Christus mediator ad pœnitentiam. *Rom.* II, 4. *Marci* I, 15. Impœnitentes autem pro contemtoribus gratiæ & meriti Christi habentur, ac fructu eorum excidunt. Vid. *Esa.* LXV, 12. LXVI, 4. *Jerem.* VII, 13. seqq. *Matth.* III, 2. & 10.

(*c*) Scilicet non solùm ad resipiscentiam destinati sumus; sed nisi prævisi simus, tanquam pœnitentiam acturi, certum est nos non esse prædestinatos. Unde *electionem nostram firmam* nos facere, posse, dicitur II. *Pet.* I, 10.

(*d*) Oppositorum enim oppositа est ratio. Et quales sint οἱ προγεγραμμένοι εἰς τὸ κρῖμα, *Judas* ostendit Ep. v. 4.

(*e*) Prout qui imbecillioris sunt valetudini non

non ideò negligunt medicamenta, sed potiùs tantò diligentiùs iis utuntur, licet amaris.

(*f*) E. g. præjudicium ab Impotentia naturali ad agendam salutarem pœnitentiam, tolli potest observatâ doctrinâ de gratia præveniente, operante & cooperante: quodque licet nostris viribus nihil activè conferre possimus ad actus pœnitentiæ spirituales; possimus tamen eos excludere per repugnantiam malitiosam, ad quam non solùm actuum pœnitentiæ directè oppositorum commissio spectat; verùm etiam occasionis & mediorum neglectus & contemtus.

(*g*) Juxta ea, quæ suprà de Lege, tanquam norma actionum hominis renati diximus: & in progressu, quoad distinctas partes officii humani & renatorum, dicemus.

(*h*) Nam & præter Objectum, circumstantias varias observari debet, ut actiones homini renato reverà conveniant, suprà monuimus: quòdque malum nascatur ex quovis defectu.

(*i*) In Scripturis revelatam; juxta illud: *In præceptis meis ambulate, non in præceptis patrum. Ezech. XX, 18. & 19.* Confer *Deut. IV, v. 1. & 2.*

(*k*) *Multitudinem* peccantium *non esse sequendam*, expressè docetur *Exod.* XXIII, 2. Semper enim pauci & præ mundo contemti sunt, qui

qui Deo placent. *Matth.* XI, 25. & XX, 16. I. *Corinth.* I, 26.

(*l*) Ubi post gaudia sequuntur lacrymæ. Vid. *Jacob.* V, 1. seqq. ac *vita* ipsa *vapor est, qui ad exiguum tempus apparet & deinde evanescit.* Cap. IV. v. 14.

§. XVII.

Signa veræ (*a*) pœnitentiæ, præter ea, quæ ex descriptione (*b*) ejus peti possunt, sunt: [1] Se præ aliis (*c*) peccatorem majorem reputare. [2] Castigationibus ob peccata divinitus immissis aut metuendis se patienter (*d*) submittere. [3] Aspectu aut reminiscentia loci aut temporis, aut instrumentorum aut objecti aliusve circumstantiæ (*e*) veteris peccati, ad mœrorem pudoremve commoveri. [4] Lætari & pro beneficio divino insigni habere, quod à peccato liberari (*f*) contigerit. [5] Aversari auctores & auxiliatores (*g*) veteris peccati; amare contra eos, qui monuerunt (*h*) & emendarunt. [6] Fugere vero occasiones & illecebras (*i*) omnes, quæ ad similia peccata possunt inducere. [7] De convertendis seu emendandis pecatoribus (*k*) aliis; imo monendis aut præservandis, qui peccaturi (*l*) videntur, esse solicitum (*m*).

NO-

NOTÆ.

(*a*) Et ab hypocritica eò diligentiùs distinguendæ, quia hæc sæpè fallit specie illius aut umbrâ.

(*b*) §. III. & seqq. ubi naturam pœnitentiæ, per partes eundo, declaravimus. Nam neque absurdum est, signa rei esse posse, quæ ad essentiam ejus pertinent: quod exemplo doctrinæ de signis Ecclesiæ constat. Vid. B. *Mus.* Vertheigung des unbeweglichen Grundes &c. contra *Jod. Keddium.* p. 134.

(*c*) Hoc enim idem est, ac suorum peccatorum præcipuam habere rationem, eorumque sensu ita tangi & angi, ut aliorum oblivio oriatur. Confer exemplum Pauli I. *Tim.* I, 15.

(*d*) Ex quo constat, non tàm pœnas, quàm peccata ipsa nobis displicere. Et sic *Michææ* nomine populi Israëlitici verè pœnitentis, *Indignationem Jehovæ feram*, ait, *quia peccavi in eum.* Cap. VII, 9. Similiter *Mauritius* Imperator, Phocæ crudelitatem expertus, ingeminavit illud *Psalmi* CXIX, v. 137. *Justus es domine, & rectum judicium tuum.*

(*e*) Quorum admonitu peccatum ipsum redit in mentem & lancinat cor.

(*f*) Hoc enim est, ipsius pœnitentiæ operâ, licet molestâ, oblectari, & odisse peccatum, quà tale.

(*g*) Nimirum, quatenùs tales sunt, fastidiendo familiariorem cum eis conversationem: non

non exclusâ tamen aut denegata charitate eiusque officiis, quæ etiam hostibus & malis debentur.

(*h*) Qui fortè antea tædio nobis fuerunt, cùm peccata amaremus: nunc autem placere cœperunt, dum peccata displicent.

(*i*) Ea enim est seria peccati detestatio, quando, ne posthac vel imprudentibus nobis obrepant, ad causas eorum undecunque occurrentes attendimus, & cavemus.

(*k*) Præsertim si quos forte exemplô, aut dictis nostris corruptos fuisse, meminerimus.

(*l*) Oblatâ vel quæsitâ occasione, quâ doceri aut moneri possunt, & quando ipsi operam nostram non repudiaturi videntur.

(*m*) Ita enim odium hostile adversus peccatum, quantum in nobis est, persequendum & oppugnandum testamur.

Caput VI.

DE OFFICIIS HOMINIS RENATI, IN SPECIE CONSIDERANDIS.

§. I.

Actiones (*a*) hominis renati, quæ vel ad habitũ virtutis tendunt, vel ex eo (*b*) proficiscuntur, Officii (*c*) nomine appellari solent: quippe quod homini illi pro suo statu

ac vita tota (d) conveniant, & ex præscripto (e) Theologiæ moralis (f) sint exercendæ.

NOTÆ.

(a) De quibus videatur h. l. Caput I.

(b) Sic enim actiones & habitus in moralibus relationem ad se invicem habent. Confer Caput IV.

(c) Ita ex veteribus *Ambrosius* libros tres *de officiis* scriptos reliquit: prout *Cicero* Philosophus ad Marcum filium. Atque hic se *officium* appellare monet, quod Græca lingua loquentes Stoici τὸ καθῆκον vel τὸ κατόρθωμα dicebant: nomine tàm latè patente, ut nomen hominis vitam omnesque actiones complecterentur. Sed & nomen τοῦ καθήκοντος usurpant & commendant *Clemens Alex.* Libr. I. Pædag. cap. 13. & *Suidas* in verbo καθῆκον. Confer *Bœcleri* præfat. in lib. officiorum Ambrosii, & *Racheli* Comment. ad Lib. I. Offic. Cic. p. 18. seqq. Latinam autem vocem *officii* ab *efficiendo* seu opificio nomen habere, putat B. *David Chytreus* in Regulis Vitæ p. m. 443.

(d) Quemadmodum τὸ καθῆκον inde dictum esse, quod *ad aliquos veniat* (κατὰ τινας ἱκνεῖ) aut perveniat, seu quod *conveniat*; agnoscunt & monent *Clemens* & *Suidas* l. l. cc. Sic ergo officia hominis renati sunt, quæ ipsi conveniunt, quæque ipsum facere decet ac oportet.

(e) Equidem officium aliquando ita describitur, quòd sit actio, cujus ratio probabilis reddi

di potest; sumpta ex judicio rectæ rationis: imò καθῆκον & κατόρθωμα sibi nonnunquam opponuntur, ita ut hoc sit rectum, perfectum, ἀποδεικτικῶς certum, omnibusque numeris absolutum officium: καθῆκον contrà, cujus curfactum sit, non tàm recta, quam probabilis ratio reddi possit: vid. *Rachel.* l. c. p. 21. verùm hîc officii nomine sic utendum est, ut ea, quæ legedivina prorsus definita atque omninò agenda sunt, eâ voce designari constet. Nam & aliàs officium in sua latitudine quibusdam describitur *Actio hominis pro ratione obligationis ad præscriptum legum rectè attemperata.*

(*f*) Sic enim officia hominis ad forum nostrum restrigimus: & quemadmodum *Simplicius* in Epicteti Enchiridion cap. 37. scripsit: *Moralem & civilem disciplinam circa officia explicanda occupari:* ita Theologia nostra moralis, præmissis præmittendis, jam porrò in tradendis officiis Christianorum occupabitur. Etquanquam *Cicero*, gentilis, doctrinam de officiis *ad sapientes* (Philosophos) *non ad divinos*, (non ad sacerdotes, ad aruspices & similes sacrorum curatores) pertinere, aut quæstiones practicas ad eos *referri solere*, docuit Lib. II. de Divin. p. 381. nobis tamen principium cognoscendi agenda non minùs quàm credenda, divinum ac Theologiæ proprium, sectandum est.

§. II.

Sunt autem officia hominis Christiani non

non solum actiones illæ, quæ alios, (a) in quorum societate vivit, attinent; verum etiam quæ hominem ipsum (b) directè spectant.

NOTÆ.

(a) Prout aliqui, Stoicos secuti, *respectum* seu *relationum ad alium* vocabulo officii inesse, docent; quam καθῆκον dixerit *Epictetus* cap. XXXVI. & *Simplicius* explicaverit; quod sit *obligatio*, quâ quis aliis, cum quibus in societate vivit, pro cujusque societatis natura ac fine est obstrictus, certamque bonorum & officiorum comunionem iis debet. Hæc enim rectè quidem dicuntur, sed non adæquatè ad exhauriendum conceptum officii in sua latitudine.

(b) Est enim hominis quædam relatio etiam ad se ipsum: qui, quæ sua sunt, animum & corpus, quæque utrique accedunt bona, non à se, sed aliunde; non sui solius causa, sed ut auctori & sociis serviat, accepit: inde etiam obligatur ad certos actus circa se ipsum exercendos aut omittendos: in quibus quando καθηκόντως aut decenter versatur, officium sibi ipsi præstare rectè dicitur. Unde jubentur renati ἑαυτὸς παραζῆσαι ζωῆς. *Rom. VI, 13.* τὸ ἑαυτῶν σκεῦος κτᾶσθαι ἐν ἁγιασμῷ &c. *I. Thess. IV, 4.*

§. III.

Prima (a) classis officiorum hominis renati ea est, quâ circa (b) Deum directe (c)

oc-

occupatur: Altera (*d*) hominem ipsum spectat. Tertia homines (*e*) alios.

NOTÆ.

(*a*) Non solùm dignitate objecti, sed etiam ordine doctrinæ tali, quâ ea, in quibus cognitis cognitio cæterorum, fundatur, præmitti; ea, quæ in illis fundantur, subjungi solent ac debent.

(*b*) A quo habet, quòd homo est, quòd renatus est: cui proinde obstrictus tenetur, si vel solus, [nullô aliô homine socio coexistente, aut si nemo alius unquam fuisset vel futurus esset,] viveret in hoc mundo. Neque enim obligatio illa hominis erga Deum in socialitate ipsius hominis cum hominibus aliis ita fundatur, ut non fatentum sit potius, vel ipso lumine naturæ monstrante & convincente; nasci illam statim ex ipsa hominis existentia, quam habet dependenter ab alio, atque ipso Deo.

(*c*) Atque ita societatem hominis cum Deo agnoverunt etiam gentiles; prout διὰ τὴν πρὸς θεὸν συμβουλείαν; *propter concordiam cum Deo*, à malis facinoribus abstinendum esse, *Charondas* monuit in *proœmiis Legum*. Et aliàs dictum est à quibusdam, Religionum ac Theologiam nostram eò tendere, ut *sanctâ societate inhæreamus Deo*.

(*d*) Qui quidem *sibi proximus*, atque ita sibi priùs atque aliis hominibus obligatus est: obligatur autem sibi ab alio superiore, qui eum talem, talibus

partibus constantem, donis talibus ornatum fecit: & cui rationem curæ sui ipsius reddere debet. Unde hæc non prima, sed secunda classis officiorum humanorum est.

(e) Qui *proximi* nomine in Scripturis veniunt. Est autem proximus, Græcè ὁ πλησίον, idem, quod Ebræis רֵעַ atque eum denotat, qui *prope* est, tanquam vicinus habitator aut socius, qui una nobiscum *pascit* aut *pascitur*: unâ certe mensâ, seu creaturarum apparatu fruitur. Atque hæc officiorum classis tertia est; quæ etiam secundam supponit: prout dilectionis proximi regula est dilectio nostri. *Matth. XXII, 39. Marc. XII, 21.*

§. IV.

Officium hominis renati quâ circa Deum versatur, duplex *(a)* est: Vel enim consistit in actibus Internis, *(b)* Intellectus ac Voluntatis, circa Deum rectè occupatis; vel in actibus Externis, *(c)* oris aut operis, circa eundem occupatis, qui ex internis illis actibus proficiscuntur eosque declarant. Illos Cultus *(d)* Interni; hos Cultus Externi nominibus appellare solent.

NOTÆ.

(a) Fundamentum divisionis consistit in diversitate actuum ex parte materialis sui spectandorum.

(b) Qui intra hominem fiunt, neque in sen-

sus

sus incurrunt; attamen non solùm Deum pro objecto habere possunt & solent; sed etiam vim aut rationem officii Deo exhibendi aut exhibiti sustinent: tanquam ex voluntate Dei, ipsoque sciente, quòd fiant, & ad placitum ejus, facti aut faciendi. Quò referri solet illud *Proverb. XXIII. 26. Da mihi, fili cor tuum.*

(*c*) Quanquam enim Deus actibus externis, si absint interni, ex quibus proficiscì & quibus respondere debent, non delectetur; vult tamen etiam corpore ejusque organis nos sibi servire. *Rom. VI, 13. seqq. I. Cor. VI, 20. Ebr. XIII, 15.*

(*d*) Σέβας, Θεμέλια, Θεραπεία Græcis dicitur, & denotat officium ejusmodi quod superiori inferior præstat. Deo autem nihil superius est: nos infra eum longissimè positi.

§. V.

Ad Cultum Dei internum pertinent [1] Agnitio (*a*) Dei. [2] Reverentia (*b*) seu Timor Dei. [3] Fides (*c*) in Christum. [4] Amor (*d*) Dei. [5] Fiducia in Deo collocata. [6] Spes bonorum à Deo conferendorum. [7] Obedientia Deo præstanda. [8] Patientia malorum à Deo immissorum. [9] Invocatio Dei & [10] Gratiarum actio, quæ mente fiunt (*e*).

NOTÆ.

(*a*) Scilicet ex parte intellectûs humani: quem oportet prælucere voluntati.

(b) Ex parte voluntatis humanæ: quæ prout ei Deum, aut quæ sunt Dei, quoad varios conceptus inadæquatos repræsentat intellectus, ita ipsa non unô modo in Deum ac divina fertur.

(c) Ex parte utriusque potentiæ humanæ: quatenus assensum pariter & fiduciam importat: uti alias docetur.

(d) Qui, una cum cæteris quæ sequuntur, ad voluntatem spectat.

(e) Et hæc omnia, ad præceptum primum Decalogi spectant: de quibus singulis distinctè mox agetur.

§. VI.

At externũ Dei cultum (a) pertinent (1) Usus externus verbi & sacramentorum. (2) Confessio Fidei. (3) Glorificatio nominis divini, per preces, laudes & gratiarũ actiones externas. (4) Juramentum religiosum. (5) Votum pium & Christianum. (6) Jejunium religiosum (7) Celebratio Sabbati, & Festorum aliorum (b).

NOTÆ.

(a) Qui partim seorsim & extra conventus publicos fieri potest, partim ad cœtus sacros & publicos peculiariter spectat.

(b) Quæ ad secundum & tertium præceptum Decalogi referri solent: & hic post paulo sigillatim tractabuntur.

§. VII.

§. VII.

Officium hominis renati, quo circa se ipsum directè versatur, partim (a) animā & corpus eorumq; bona naturalia (b); partim bona externa (c) seu fortunæ, inprimis vero (d) spiritualia, custodienda (e) & (f) perficienda, unà cum infirmitatibus & malis (g) oppositis, declinandis (h) aut removendis (i) vel (k) superandis, attinet (l)

NOTÆ.

(a) Scilicet essentia & accidentia hominis, & hæc perfectiva atque corruptiva, interna & externa, objectum hujus officii sunt.

(b) Quæ sunt, vita, sanitas, ingenium, memoria, forma, unà cum virtutibus quibusdam mentis & morum.

(c) Ea sunt, bona fama, honores, opes, auctoritas, & potentia civilis.

(d) Renatis propria, quoad vires gratiæ, inter quas Fides, Spes, Charitas, cæteræque virtutes Christianæ.

(e) Ita ut media, quibus ea conservantur, in usu rectè constituantur: ea vero, quæ obstant, aut quæ nos bonis illis privare, quæ gratiam excutere possunt, caveantur.

(f) Per varios actus, qui cuique dono excolendo augendoque, secundum voluntatem Dei, conveniunt; prout dantur exercitia non

solùm artium, scientiarum & virtutum moralium merè humanarum; verum etiam fidei, pietatis, prudentiæ, charitatis &c.

(*g*) Animæ, corporis, & fortunæ, qualia sunt: peccata, morbi, mors, deformitas, mala fama, contemtus, ignominia, paupertas &c.

(*h*) v. g. vitando occasiones & causas peccandi, subducendo se periculis vitæ, valetudinis, famæ, opum &c. non necessariò subeundis.

(*i*) Quæ jam nos premere aut affligere cœperunt; prout peccata per pœnitentiam abolentur.

(*k*) Aliqua videlicet mala patiendo; alia vires nostras aut alienas opponendo vincuntur.

(*l*) Continetur autem hoc officium implicitè in præceptis Tabulæ secundæ Decalogi.

§. VIII.

Officium Hominis renati erga proximum consistit non solùm in affectu caritatis (*a*) interno erga hominem (*b*) quemvis; verùm etiam actibus externis, circa (*c*) animæ, corporis (*d*) & fortunæ (*e*) bona & (*f*) mala ei accidentia, occupatis: quemadmodum & proximus est (*g*) vel (*h*) amicus, præsertim consors (*i*) fidei; vel (*k*) inimicus.

NOTÆ.

(*a*) Hoc enim primum est, & vel summa, vel fundamentum cœterorum.

(*b*) Pro-

(*b*) Prout omnes in una domo Dei cohabitant, & unâ Dei mensa fruuntur Conf. præced. §. III. not. (*e*).

(*c*) v. g. quoad informationem, admonitionem, correctionem, consolationem fraternam, & bonum exemplum aliis præbendum.

(*d*) Adeoque vitam & sanitatem ejus, servandam ac tuendam imo & hanc ei recuperandam.

(*e*) v. g. famam, honorem, munus, opes proximi.

(*f*) Nempè ut illorum possessioni & incrementis consulamus: hæc arcere, aut aufere, aut mitigare studeamus. Unde huc etiam pertinent contractus varii generis, ut & ὁμιλίαι seu conversationes communes & familiariores.

(*g*) Dantur enim gradus, uti charitatis, ita officiorum ejus erga homines alios, pro diversa ratione eorundem.

(*h*) Hôc ipsô nos magis tenens obstrictos, quòd non solùm consors naturæ est, sed officia sua nobis vel præstitit, vel præstat, vel eorum spem facit.

(*i*) Cohabitator intra domum spiritualem Dei, sive Ecclesiam; & alimentorum spiritualium una nobiscum particeps.

(*k*) Licet adversus nobis, ac fortè ipsi Deo: hîc tamen spectandus ut homo; cui officia exhibere possumus, & ex alia causa debemus.

CAPUT

CAPUT VII.

DE OFFICIO HOMINIS ERGA DEUM, QVOAD CULTUM DEI INTERNUM.

SECTIO I.

De Agnitione Dei, seu Fide generali.

§. I.

PRimum in opere cultus divini negotium hominis renati consistit in (a) Agnitione (b) expressa (c) Dei triunius, (d) Patris, Filii & Spiritus sancti, attributorū (e) item, providentiæ (f) atqe operum (g) & beneficiorum (h) divinorum; denique præceptorum, (i) quæ Deus hominibus, cùm omnibus, tum peculiariter (k) renatis præscribit; divinâ revelatione (l) firmiter nixa, & (m) frequentata: quam Fidem Generalem (n) alias appellant.

NOTÆ.

(a) Quamvis enim aliquando Cognitio Dei & Cultus ejus, inter se distinguantur, ita ut *prius* sit, *Deum scire; consequens, colere;* juxta *Lactantium* Lib. IV. de vera Sapient. cap. IV. tamen etiam

iam ipsum negotium rectæ agnitionis Dei rationem cultûs habet: prout *Religionem duobis istis, dogmatum piorum accurata Notitia & Bonis operibus, constare,* docuit Cyrillus Hierosolymitanus Catech. IV. Illuminatorum.

(*b*) *Contemplationem* aliqui; alii *Considerationem*; quidam *Meditationem* vocant, velut κατ' ἐξοχὴν, circa objectum contemplatione dignissimum occupatam: quam tamen *practicam* simul esse oportere certum est. Pertinet autem huc γνῶσις illa & ἐπίγνωσις, de qua suprà Cap. IV. & §. V. diximus. Quæ enim tunc per modum habitûs, intellectui renatorum convenientis, consideravimus, jam sub ratione functionis aut officii spectare decet.

(*c*) Vulgò *explicitam* appellant, & *implicitæ* Pontificiis probatæ, contradistinguunt. Scilicet non sufficit, credere vera esse, quæ Deus de se revelaverit, aut quæ de Deo credit Ecclesia; etiamsi quænam illa sint, quæ Deus de se revelavit, quæque de Deo credit Ecclesia, minimè cognita habeas, sed ignores. Requiritur potiùs, ut quæ ad fidem producendam & sustentandam, quæque ad vitam sanctè vivendam necessaria sunt, divinæ revelationis aut doctrinæ capita; distinctè cognoscantur.

(*d*) Equidem non negligenda est cognitio illa imperfecta, quâ Dei existentiam, essentiam & quasdam perfectiones ex lumine naturæ agnoscimus: sed requiritur præterea, ut Deum qua-

qualem se secundùm personas esse revelavit, uti colamus, ita colendum cognoscamus. Ac de cognitione Patris & Filii gravis est assertio *Joh. XVII, 3. Hæc est vita æterna, ut cognoscant Te* (Patrem) *solum illum verum Deum, & quem misisti JEsum Christum.* De tribus autem personis valet dictum Christi, *Matth. XXVIII, 19.* jubentis: *Baptizate omnes gentes in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti.* Quorum intuitu rectè *Basilius* M. Epist. LXXVIII. *Oportet nos baptizari, sicut accepimus: credere verò, sicut baptizamur; colere verò & glorificare, sicut credimus, Patrem & Filium & Spiritum sanctum.*

(e) v. g. Spiritualitatis sive immaterialitatis, *Joh. IV, 24.* Æternitatis; *Ps. CII, 28. XC. 2. I. Tim. I, 17. VI, 16.* Immutabilitatis, *Jacobi I, 17. Malach. III, 6.* Omniscientiæ *I. Joh. III, 20. I. Reg. VIII, 31.* Sapientiæ infinitæ, *I. Tim. I, 17. Rom. XI, 33.* Sanctitatis perfectissimæ, *Levit. XIX, 2. I Pet. I, 15. 16. 17. Deut. XXXII, 14.* Justitiæ vindicativæ, *Rom. II, 5. 8. 9. Deut. XX, 5.* Veracitatis, *Ebr. VI, 18.* Bonitatis, *Psal. XXV, 7. 8. Tit. III, 4.* Omnipotentiæ, *Matth. XIX, 26. Lucæ I, 37.* de quibus scholæ Theologiæ positivæ videantur.

(f) Non solùm *generalis*, quæ ad omnes creaturas se extendit; juxta *Psal. CIV.* & *CXLVII. Matth. VI. v. 26. 28. 29.* & *specialis*, quæ genus humanum peculiariter attinet: *Matth. VI. v. 27. 30. Act. XVII, 28.* sed & specialissimæ, circa homines fideles & pios occupatæ. *Rom. VIII, 28.*

28. Hæc enim in praxi morali & Christiana maximum habent usum.

(*g*) Creationis, Conservationis, Redemtionis, Regenerationis, Justificationis, Sanctificationis; ut & futuræ Resurrectionis universalis, Judicii extremi, Glorificationis fidelium, & damnationis impiorum.

(*h*) Quæ intra complexum operum divinorum ferè continentur. Sunt autem ea, quibus vita naturalis, alimenta, animi corporisque dona varia, præsertim vires spirituales, remissio peccatorum, pax cum Deo & inconscientia, inhabitatio Spiritus S., hæreditas & ipsa consecutio vitæ æternæ, interim solatium in afflictionibus & gaudium spirituale &c. hominibus conferuntur.

(*i*) Nimirum non solùm voluntas Dei ad benefaciendum nobis terminata; sed & voluntas obligans nos ad facienda, quæ Deo grata sunt, & omittenda, quæ ei displicent; objectum cognitionis nostræ ad cultum Dei spectantis esse debet.

(*k*) Non, quasi legem moralem novam à Christo renatis latam statuamus: sed legis moralis seu naturæ obligationem peculiarem ex statu renatorum proprio, ultra communem hominum sortem, resultantem: unde homo renatus in ejus meditatione & cognitione, non solùm, ut homo est, verùm etiam ut renatus est, versatur.

(*l*) Ne-

(*l*) Neque enim agnitionis nomine simplicem tantùm apprehensionem objectorum intelligibilium, sed assensum simul certum, & qui sit fidei divinæ; adeoque objecto formali genuino, quod est revelatio divina, innixum, denotamus.

(*m*) Sæpe repetitis actibus considerandi, expendendi, admirandi talia, discurrendi apud animum de talibus: juxta illud *Psalmi* LXXVII. 12. 13. *Recordabor operum Domini: quia* (imò) *recordabor à principio mirabilium tuorum. Et meditabor in omnibus operibus tuis, & de operibus tuis loquar.*

(*n*) *Fidem* quidem, quâ credimus: credere autem ex parte Intellectus idem est, atque judicare ea vera esse, quæ notitia simplici apprehensa tenemus, idque propter auctoritatem asserentis alicujus aut testificantis. *Generalem* autem vocant, quia extendit se ad omnia objecta non solum dogmatica, sed & suô modô ad historica quæ in Scripturis continentur.

§. II.

Opponuntur huic Agnitioni Dei [1] Neglectus cognitionis, ipsaque Ignorantia (*a*) Dei & rerum divinarum. [2] Falsa (*b*) de his cognitio. [3] Curiositas insana (*c*). [4] Dubitatio (*d*) de credendis.

NOTÆ.

(*a*) De qua vid. quæ diximus Cap. IV. §. VI. & notis b. c. Hîc autem consideratur, non tàm præ-

præcisè, ut dicit absentiam habitûs, sed omissionem officii: qualis est eorum, qui *ambulare in ignorantia* aut *cœcitate* mentis dicuntur, *Ephes. IV, 17. 18.* Atque huc etiam pertinet Fides Implicita Pontificiorum.

(b) Qualis est Atheorum, Naturalistarum; Paganorum, (πολυθεότητα, cultusque varios amplectentium) Judæorum, Muhamedanorum,) quos aliquando nomine Infidelium κατ' ἐξοχὴν accepto complectuntur,) Hæreticorum item & ab hæreticis seductorum: juxta Cap. IX. not. d. & seqq. Atque ita etiam comprehenditur Ἰδιογνωμοσύνη, quâ quis suo nititur ingenio, & meliorem doctrinam fastidiens, errores suos pertinaciter tenet potius, quàm ut veritati cedat: imò & Religio Pseudo-politicorum; qui credenda atque agenda ad Regulas statûs potiùs, quàm ad regulam Verbi Divini componunt.

(c) Quâ quæ revelata non sunt, tamen homines investigare ac definire audent: aut quæ nullius usus, imò etiam incerta sunt, aut nihil ad nos spectant, temerè scrutantur & tractant. Vid. *Joh. XXI, 22. Tit. III, 9. Ecclesiastici* cap. III, 21. seqq. Aliàs autem Curiositatem quoque sanam atque utilem dari in rebus sacris agnoscunt nostri: eoque referunt ἐρέυνησιν illam, de qua *Joh. V, 39.* & ἀνάκρισιν Berrhoensium. *Actorum XVII, 11.*

(d) Positâ licet revelatione perspicua, tamen

in dubium vocatis, suspensoque judicio; aut qualicunque probabilitate in utramque partem disputando, Scepticorum more: quæ dubitatio negationi proxima est; certè Assensui atque adeò Fidei opponitur.

§. III.

Rationes & motiva veræ & frequentandæ Agnitionis Dei & cavendorum oppositorum, sunt: [1] Præceptum (*a*) Divinum. [2] Finis creationis (*b*) nostræ, revelationis (*c*) divinæ & regenerationis (*d*) nostræ. (3) Dignitas hujus officii, cujus (*e*) nomine tota nonnunquam religio Christiana appellatur; & homines Deo (*f*) assimilantur: quodque fundamentum est (*g*) cæterorum officiorum: imo (4) tanquam ingens (*h*) bonum, ex divina gratiâ obtingens, & aliorum bonorum (*i*) origo, laudatur. (5) Exempla eorum, qui in hac officii parte seduli & præstantes (*k*) fuerunt. Ignorantiæ (*l*) & errorum (*m*) atque Curiositatis (*n*), denique Dubitationis (*o*) turpido & damnum.

NOTÆ.

(*a*) Quod virtualiter continetur in primis Decalogi verbis: *Ego sum Deus tuus*, scil. quem agnoscas. Expressa autem sunt mandata *Psal.* C. 2. XLVI, n. *Proverb.* cap. I. & II. I. *Chron.* XXIX, 9. *Hoseæ* VI, 6.

(*b*)

(*b*) Quem in agnitione Creatoris consistere docet Paulus *Act.* XVII, 26. 27. cumque lumen naturæ doceat, solis hominibus rationem datam esse, quâ discernantur à brutis; & præcipuè circa Auctorem suum, officia quoque sua & finem cognoscendum occupentur: multo magis homines renatos hujus obligationis suæ meminisse oportet.

(*c*) Quæ ad homines facta est, ut ab hominibus agnoscereturConfer *Exod.* XXIX, 43. Et sic vult Deus homines *venire ad agnitionem veritatis*, nimirum à se revelatæ. I. *Tim.* II, 4.

(*d*) Per eam enim datur lux spiritualis intellectui, sed propter usum; seu *dantur illuminati oculi, ut sciamus, quæ sit spes, ad quam ille nos vocavit* &c. *Eph.* I, 18.

(*e*) Seu status Christianorum, tanquam Φωτισθέντων, *illuminatorum. Heb. X, 32. cognoscentium Deum. Gal.* IV, 9. unde Gnosticorum nomen aliquando Christianis impositum diximus Cap. IV. nota a.

(*f*) Juxta *Col.* III, 10. Quanquam & gentiles quodammodo hoc agnoverunt. vid. B. *Piccarti* Isag. ad Lect. Arist. c. 1. & B. *Dürritis* in notis.

(*g*) *Quomodo* enim *invocabunt, si non credunt? Rom. X, 14.*

(*h*) Inprimis quando felicitatem Ecclesiæ N. T. in luce quadam agnitionis Dei constitutam prædixerunt Prophetæ: *Esaias* cap. XI, 9. LIV, 13. *Jerem.* XXXI, 34. & respondent ex N. T.

loca *Joh. VI,45. Lucæ I,77. I. Thess. IV,9. I. Joh. II, 20. Matth. XVI,17. Ephes. I,18.* seqq.

(*i*) V. g. Certitudo de gratia divina. *Exodi* XXXIII, 13.18.19. *Esaiæ* LIII, 11. inde pax animi interna. II. *Pet.* I, 2. exercitia charitatis fraternæ. I. *Thess.* IV, 9. vitæ piæ aut sanctæ. II. *Pet.* I, 3. ipsaque vita æterna. *Joh.* XVII, 3. conf. *Sapientiæ* XV, 3. ubi cognitio Dei *radix immortalitatis* appellatur.

(*k*) V. g. Davidis, *Psal.* LXXVII, 12. 13. & CXIX. per totum: Berrhoensium *Act.* XVII, 11. Doctorum Ecclesiæ non solùm, sed & Imperatorum Christianorum, Constantini M. & Theodosii, Regum quoque & Principum plurium, inter quos non pauci ex Sereniſſima Ducum Saxoniæ domo, celebrantur.

(*l*) Prout *Hieronymus* in Epist. ad Nepot. *Omnis homo*, ait, *absque notitia sui creatoris pecus est.* Et præivit David. *Psal.* XCIV, 21. Unde ignorantiam, tanquam rem pudendam, exprobrat Paulus Corinth. I. *Cor.* VI, 3. 9. 15. 16. 19. causam etiam gravium peccatorum v. g. actuum hostilium erga Deum & Ecclesiam, Christus indicaturus, *Ista facient*, ait, *quia non norunt patrem, neque me. Joh.* XVI, 3. Miseriam quoque hominum divina ignorantium describit cap. XII, 35. *Qui ambulat*, inquiens, *in tenebris, nescit quò vadat.* Confer *Ephes.* II, 12. IV, 17. 18. II. *Thess.* I, 8. *Psal.* LXXIX, 6. *Jerem.* X, 25. Graviter etiam *Bernhardus* Serm. LXXXVII. in Cantic. *Quod si ignoras Deum, poteritne spes esse salutis cum Dei ignorantia? ne hoc qui-*

quidem. Nec enim potes aut amare, quod nescias, aut habere, quod non amaveris.

(*m*) De Atheorum infamia, vid. *Psal. XIV, 1.* & *II. Pet. III, 3.* seqq. de Paganorum statu infelici, vid. *Rom. I, 21.* seqq. *Eph. II, 1.* seqq. & *IV, 18.* de Judæis *Act. VII, 51. cap. XXV.* seqq. de Muhammedanis, *Dan. VII. v. 8. 20. 25.* seqq. Hæreticos lupis comparat Christus *Matth. VII, 15.* & latronibus, *Joh. X, 8.* Hæreses ipsæ inter opera carnis recensentur, *Gal. V, 20.* dicuntur ἀπωλείας, *exitia II. Petr. II. 2.* itemque αἱρέσεις ἀπωλείας, *hæreses exitii*, id est causæ exitii externi, vers. 1. Confer *II. Thess. II, 11.* de *efficacia illusionis* &c. Eos autem, qui sui ingenii cogitata aut somnia sequi malunt, *quàm accedere sanis sermonibus Domini nostri Jesu Christi*, & ei, quæ secundùm pietatem est, doctrinæ; *inflatos* esse ac *nihil scire*, dixeris ex I. *Tim.* VI, 3. 4. quemadmodum ad Pseudopoliticorum religionem pertinet id, quod v. 5. sequitur de his, qui existimant πορισμὸν εἶναι εὐσέβειαν, *pietatem* aut religionem *esse quæstum*, seu rem, quæ ad quæstum facit.

(*n*) Quam credunt prohiberi divinitus; *Exod.* XIX. ubi Deus vetuit, *ne populus accederet ad montem.* Et huc referunt illud *Proverb. XXV, 27. Scrutator majestatis opprimetur à gloria.* Certè curiositas discipulorum Christi à Magistro reprehensa fuit *Act.* I, 6. 7. & *Joh.* XXI, 21. Inutilium quoque quæstionum studium turpe & damnosum esse, testatur Paulus, I. *Tim.* IV, 7. cap. VI. 4. *Tit.* III, 9.

(o) Ignominiosum enim & periculosum est, *circumferri quovis vento doctrinæ. Ephes. IV, 14. semper discere, & nunquam ad cognitionem veritatis pervenire. II. Tim.* III, 7.

§. IV.

Media agnitionis Dei & profectuum in ea faciendorum sunt: (1) Scripturæ Sacræ (a) & librorum aliorum Scripturæ conformium (b) lectio & meditatio diligens (c) ac pia (d): (2) Exercitiorum publicorum (e) frequentatio: (3) Colloquia sacra (f) & erudita: (4) Oratio (g) devota: atque ipse timor (h) Dei.

NOTÆ.

(d) *Utilis* enim est Scriptura ad cognitionem credendorum, institutionem in justitia &c. II. *Tim.* III, 16. Itaque *bene* (καλῶς ποιοῦντες) *faciunt*, qui *verbo Prophetico attendunt*. II. *Pet.* I. 19. *Benè* etiam *agunt*, qui *scrutantur Scripturas*. *Joh. V, 39.* Confer *Psal.* CXIX. ubi David non solùm operam suam in agnitione Dei & voluntatis ejus occupatam; sed & ut medium, quô usus sit, nempe verbum Dei, significat. *Psal.* I. v. 2, 3. comparat hominem, qui in lege Dei meditatur, *arbori fructiferæ*. Cùmque Scripturam esse principium cognoscendi doctrinam fidei ac morum, constet: oportet utique eam in usu constitui ad cognitionem ejus acquirendam.

(b)

(b) Quibus ea, quæ in Scripturis continentur, paulò uberius ad captum nostrum declarantur, aut methodicè & ostendendo vim ac nervum verborum Scripturæ, proponuntur.

(c) *Die ac nocte Psal.* I, 2. i. e. quoties occasio suppetit, & functiones aliæ concedunt: ita quidem, ut cum attentione & studio discendi fiat lectio, & accedat præcipuarum doctrinarum ruminatio: sed & plurimum locorum inter se colatio: imò quarumvis regularum bonæ interpretationis accurata observatio.

(d) Nimirum ut accipiatur, *non ut sermo hominum, sed, quemadmodum revera est, ut sermo Dei* I. *Thess.* II, 13.

(e) Seu auscultatio in homiliis & Catechesibus publicè habitis. Confer *Ebr.* X, 25. *Act.* VIII, 35. *Ephes.* IV, 20. Neque enim quisquam est, quin aliò Doctore rectiùs erudiri possit.

(f) Facit sanè ad profectum agnitionis sacræ, si homines *doceant & commonefaciant se invicem. Coloss.* III, 16. unde hanc etiam privatorum ac secularis status hominum operam esse posse, manifestum est.

(g) Quemadmodum Paulus suis precibus donum agnitionis illius divinitùs impetrare auditoribus suis studuit *Philipp.* I, 9. *Coloss.* I, 9. Et *Jacobus* Cap. I. v. 5. *Si cui vestrum*, ait, *deest sapientia, petat à Deo, dante omnibus simpliciter, neque exprobrante, & dabitur ei.* Confer exemplum *Didymi* Alexandrini, qui, cœcus licet, precibus

tamen, ascultationi docentium junctis, ad insignem sacrarum rerum cognitionem pervenit: memorante *Ruffino* Lib. II. Hist. cap. VII. p. m. 215. edit. *J. J. Grynæi.*

(*b*) Quem Salomo dicit esse *initium sapientiæ*. *Proverb. I, 7.* *Amicis* enim suis, qui tanquam in conspectu aut à latere ejus, cum solicitudine omnia agunt, arcana sua se *manifestaturum* promisit Christus *Joh. XV, 15.* Confer *Psalm.* XXV, 14. Quanquam vero Deus timeri non possit, nisi quodammodo sit cognitus; tamen ut cognoscatur, quantum homini salvando necesse atque conducibile est ad fidem & sanctimoniam vitæ, timore ejus animus hominis præparandus est. Alii *mentis purgationum* ab operibus peccaminosis hîc requirunt; sensu propè eodem.

§. V.

Impedimenta veræ & supernaturalis notitiæ Dei sunt: [1] Neglectus (*a*) orationis & exercitiorum publicorum ac privatorum. [2] Intempestiva lectio (*b*) librorum heterodoxorum. [3] Conversatio cum adversariis veræ religionis (*c*) familiarior. [4] Rationis in rebus sacris dijudicandis temerarius (*d*) usus. [5] Auctoritatis humanæ, antiquitatis & consuetudinis (*e*) nimia æstimatio. [6] Ambitio (*f*) & voluptatum (*g*) aut opum (*h*) terrenarum inordinata cupiditas.

NOTÆ.

NOTÆ.

(*a*) Prout enim media faciunt ad explendum officium: ita contemtus eorundem impedit illud & excludit.

(*b*) Suscepta ab his, qui solidiore scientiâ rerum sacrarum, ex genuino principio & prolixiore institutione petenda; itemque facultate judicandi maturiore destituuntur, adeòque facilè in errores inducuntur, aut dubitationibus perpetuis vexantur.

(*c*) Facilius enim his fidem habemus, cum quibus famliariter conversamur: & nonnunquam concepta de homine opinio Doctrinæ, prudentiæ & probitatis, plus apud nos valet, quàm firmissimæ rationes. Confer *I. Cor. XV. 32.* & *II. Tim. II. 17.* ubi quantum noceat cognitioni sacræ & fidei, conversatio cum heterodoxis, aperte docetur.

(*d*) Vid. II. *Cor.* X, 5. ubi ratio, tanquam rebellis, quæ nisi captiva ducatur, damnum accersat, describitur. Adde *Coloss. II, 8.* ubi fieri posse & solere dicitur, ut *quis non deprædetur per philosophiam.*

(*e*) Quæ etiam gentiles ac Judæos plurimos à fide Christiana arcuit. *Luc. XXIII, 2. Act. VI, 13.* cap. XIX, 28. seqq.

(*f*) Etiamsi enim ambitio ad voluntatem pertineat; sicut tamen assensus intellectûs ab imperio voluntatis nonnunquam dependet; ita quæ voluntatem corrumpunt, vitium quo-

quæ intellectui inferre possunt. Et obstat utique investigationi veritatis, si quis suo ingenio plurimùm tribuat, aut sententiam semel animo conceptam nimis rigidè teneat.

(g) Nempè *in malitiosam animam non ingreditur sapientia, neque habitat in corpore, quod subjectum est peccato. Sapient.* I, 4.

(h) Vel enim ipsam operam penetrandi in agnitionem Dei impediunt, vel suffocant semen verbi, ne assensus fidei divinæ sequatur, & cognitio sit practica.

§. VI.

Ut ergò removeantur impedimenta, requiritur (1) ut habitudo necessaria (a) mediorum ad hoc officium rectè gerendū cognoscatur. (2) Ut scripta heterodoxorum, & suspecta quævis, non, nisi animo (b) bene præparato, legantur. (3) Ut vitetur, quantum (c) potest, conversatio, præsertim colloquia (d) de religione, cum heterodoxis. (4) Ut rationis nostræ in rebus spiritualibus (e) infirmitas aut ineptitudo, non solùm in genere, sed & in praxi (f) observetur. (5) Ut Dei loquentis auctoritas omnem humanum respectum (g) supprimat. (6) Ut humilitatem, (h) temperantiam (i) atque ἀυτάρκειαν (k) studiosè colamus.

NOTÆ.

NOTÆ.

(*a*) Hâc enim cognitâ fiet, ut non vilescant, aut contemnantur media. Atque operæ pretium est, observare καιρὸν seu tempus opportunum, quando præsentia sunt, quæ fortè mox subducentur media. *Psalm.* XCV, 8. *Hodie si vocem ejus audieritis* &c.

(*b*) Quemadmodum, qui ventriculi imbecillitate laborant, non quibusvis vescuntur cibis: aut qui catarrhis sunt obnoxii, non cuivis sese aëri non munitos committunt. Confer II. *Tim.* II, 14. ubi *profanæ vocum inanitates* caveri jubentur, & *sermo* hæreticorum, qui *instar gangrænæ depascit*, quæ proxima sunt.

(*c*) Neque enim semper omnis conversatio cum heterodoxis declinari potest.

(*d*) Juxta loca I. *Cor.* XV, 33. & II, *Tim.* II, 14. Scriptorum enim legendorum & colloquiorum audiendorum hactenus eadem est ratio.

(*e*) Declarata I. *Cor.* II, 14.

(*f*) Hâc ipsa scil. praxi, ubi ratio versatur circa mysteria: ideoque *captiva ducenda est ad obediendum Christo.* II. *Cor.* X, 5.

(*g*) Prout ejus sapientia omnem intellectum humanum; & potestas omnem humanam potestatem longissimè superat, neque in contentionem venire patitur. Speciatim ad præjudicium antiquæ consuetudinis in tenenda quadam doctrina tollendum notanda sunt dicta Juris Canonici C. *Veritate* Distinct. VIII. ubi

ex

ex Augustino scribitur: *Veritate manifestata cedat consuetudo. Nemo consuetudinem rationi & veritati præponat, quia consuetudinem ratio & veritas semper excludit.* Et C. Consuetudinem. Distinct. ead. ex Gregorio: *Si consuetudinem fortassis opponas ad vertendum est, quod Dominus dicit: Ego sum via veritas & vita: non dixit, ego sum consuetudo, sed veritas.* Confer c. Qui consuetudine, dist. ead.

(*b*) Ad supprimendos quoslibet igniculos ambitionis: & tantò solicitius inquirendum in veritatem.

(*i*) Quâ fiet, ut neglectis voluptatibus terrenis & animalibus; spiritualium rerum scrutiniô delectati, faciliùs proficiamus.

(*k*) Intelligentes ipsam εὐσέβειαν μετ' αὐταρκείας πορισμὸν μέγαν εἶναι. *I. Tim. VI, 6.*

§. VII.

Signa agnitionis Dei veræ (*a*) & supernaturalis (*b*) sunt: I. Convenientia eorum, quæ de rebus divinis (*c*) noveris, cum (*d*) Scriptura; & quando respondent gloriæ (*e*) Dei, gratiæ (*f*) ejus, sanctitati (*g*) morum, & solatio (*h*) animæ. II. Certitudo mentis, etiamsi remotis aut præcisis motivis humanæ credibilitatis, tamen (*i*) perseverans, & conjuncta cum delectatione (*k*) in bonis spiritualibus agnitis, aliisq; moribus (*l*) sanctis.

NOTÆ.

NOTÆ.

(a) Adeoque in oppositione ad falsam cognitionem de Deo.

(b) Quæ distinguenda est à notitia meré humana.

(c) Quemadmodum enim doctrina quorumcunque hominum cognoscitur vera esse aut falsa, quando confertur cum Scripturis; ita & nostra notitia dogmatum divinorum hôc tanquam signô vera esse cognoscitur, quando quæ in Scripturis continentur, & prout ibi extant, nos didicisse & scire, instituta collatione, intelligimus.

(d) Tanquam norma ἀυτοπίςῳ καὶ ἀδιαψεύςῳ. Nam per Scipturam, quatenùs principium cognoscendi est, perducimur ad cognitionem Dei, velut per medium: per eandem verò quatenùs norma est, ad quam revocamus & examinamus quæ animo comprehensa tenemus de Deo & rebus divinis; certi reddimur, non solum, utrum pauca vel multa? sed etiam utrum vera aut falsa cognoverimus de Deo?

(e) Quia enim finis ipsius revelationis divinæ, æquè ac omnium operum Dei, est gloria ejus; facilè patet, scientiam nostram de Deo, si vera sit, gloriæ divinæ conformem esse debere: quod si vero doctrina quædam aut opinio de rebus divinis gloriam Dei tollat, aut impediat, aut minuat vel labefactet, eam hactenus non posse esse veram & sinceram.

(f)

(*f*) Seu bonitati, quâ nobis bonus est, & benefacit in Christo Jesu, remittit peccata & confert vitam æternam: cui quæcunque opponitur doctrina, eique derogat, falsam esse oportet.

(*g*) Vera enim de Deo doctrina uti ad cultum Dei ducit, ita non potest non esse sancta: quæ autem turpe aliquid, aut à decoro & honesto alienum continet, avertit aut separat hominem à Deo; eique addictum esse, non est, habere veram Dei colendi cognitionem.

(*h*) Data est sanè divina revelatio ad *consolationem* afflictorum, *Rom.* XV, 4. præsertim tentatorum. Fovere autem sententias, quibus stantibus, peccatores contriti destituuntur solatio necessario, est falsam de Deo aut voluntate ejus habere cognitionem.

(*i*) Quam proinde niti oportet ipsâ revelatione divinâ, supernaturaliter afficiente animum humanum.

(*k*) Hac enim ipsius Spiritus sancti, per verbum operantis fructus aut effectus est, & causam suam arguit.

(*l*) Qui ad sequentia officia hominis renati spectant; & mox adsunt, ubi lux spiritualis in mente effulsit. Quò fortassis spectat, quod ipsum verbum *notitiæ* in Scripturis, non solùm otiosam cognitionem in mente vel sensu, sed etiam veros & non simulatos affectus in corde, qui notitiam illam comitantur, significat.

Vid.

Vid. *Johann. X,27. Jerem. IX,24. XXXI,34. Hoseæ II,20.* Confer. *1. Joh. IV,7.8.*

Capitis VII. Sectio II.

DE REVERENTIA SEU TIMORE DEI.

§. I.

AD cultum Dei internum ex parte voluntatis, primum spectat Timor *(a)* Dei, aut *(b)* Reverentia, quâ homo renatus *(c)* qui Deum unum *(d)*, tanquam summâ excellentiâ & majestate *(e)* pollentem, ex divina revelatione *(f)* cognovit & maximi *(g)* æstimat; & se subjicit *(h)*, ita ut solicitus sit, ne *(i)* offendat eum, ac potius promtus *(k)* ad præstandum honorem & officia, quæ is postulat: unde non tam *servilis* timor, quam *filialis* *(l)* est.

NOTÆ.

(a) Cujus nomine, latinô præsertim, plerumque denotari solet affectus, quô animus ob malum immines commovetur & titubat, aut cohorrescit, intuitu propriæ infirmitatis, & sibi adversantis potentiæ alienæ: cùm autem Deum pro objecto habet, interdùm, ac synecdochicè denotatur totus Dei cultus; prout *Psal.* XXXIV,

XXXIV, 12. Proverb. VIII, 13. Jobi XXVIII, 28. aliàs in ſpecie virtus aut officium determinatum primi præcepti, quod à caritate, ſpe & ſimilibus diſtinguitur. Confer *B. Gerh.* Scholæ Pietatis L. III. cap. 5. & 6. Atque hæc poſtrema ſignificatio hujus loci eſt. Vid. *Proverb. I, 7. Pſal. CXI, 10.* Dicitur Ebraicè יִרְאַת יְהוָה ſed & vox *Religio* duplicem hanc ſignificationem ſuſtinet, latiorem & ſtrictiorem.

(b) Prout *vereri*, vel idem eſt, quod *timere* aut metuere; vel aliquantò mitius: (ſiquidem illud de liberis hominibus; hoc de ſervis ferè accipi, teſtis eſt *Cicero* de Senect.) Ita *revereri* idem propemodum eſt ac vereri, & cum verbô *colere* haut raro conjungitur: ſimiliter *reverens* dicitur, qui honorem defert. David etiam *Pſalm. XXII, 24.* iſta conjungit, *timere* Deum, *honorare*, & *revereri* (ירא, כבד & גור). Et *Ebr.* XII, 28. jubemur ſervire Deo μετ' αἰδοῦς καὶ εὐλαβείας: *cum verecundia & reverentia.*

(c) Quamvis enim hoc officium etiam in ſtatu integritatis locum invenerit, ac ſuo modo etiam poſt lapſum in hominem ſibi relictum, aut ſolo lumine naturæ nixum, timor aliquis Dei cadat; hic tamen memores ſummus ſubjecti operationis Theologiæ Moralis, quod ſuprà conſtituimus.

(d) Vid. *I. Sam. II, 2 II. Sam. VII, 22. I. Reg. IIX, 22. 23.* cap. XVIII. 39. ubi ſancti reverentiam ſuam erga Deum, ad Deum unum reſtringunt.

(e)

(*e*) Hæc enim motivum proximum & formale est timoris Dei, uti h. l. consideratur.

(*f*) Non quidem exclusâ cognitione naturali; sed tamen ùt hîc spectetur timor ejusmodi, cujus causa est Spiritus Sanctus, uti omnium eorum, quæ ad renovationem aut sanctificationem pertinent.

(*g*) Connotat enim hæc Dei reverentia, etsi ad voluntatem directè & formaliter pertineat, tamen ex parte intellectûs agnitionem excellentiæ divinæ, quodque Deus dignissimus sit cultu, aut reverentia ei maxima debeatur.

(*h*) Unde & *Submissionis*, *Humilitatis*, *ac Devotionis* nominibus alii utuntur.

(*i*) Sic dicitur *Proverb. VIII, 13. Timor Domini (est) odisse malum:* videlicet prout inter homines, qui alios sincerè reverentur, omne illud cavent, imò aversantur, quod eis adversum esse potest. Et *Quintilianus* dicit, *reverentiam personæ* aliquando *obstare* nobis, quo minus hoc illudve agamus. Atque hoc est, quod Germani dicunt: Vor einem sich scheuen / oder Scheu tragen.

(*k*) Quaquam enim Timor & Obedientia non prorsus & formaliter conveniant; facit tamen ille, quando cum reverentia coincidit, ut promti simus ad obediendum his, quos reveremur, pro ratione status illorum & nostri.

(*l*) Equidem Deus simul Dominus ac Pater

noſter eſt ; ac nos ejus ſervi non minùs , quàm filii: unde utroque nomine nos ei ſubjici , eumque revereri par eſt : juxta *Malach. I, 6.* ſed uſus loquendi hactenùs obtinuit , ut timor *ſervilis* dicatur , quô perſonam nobis ſuperiorem , & quæ in nos dominium habet , præcisè intuitu mali, ab ea fortè ad nos redituri,formidamus; ideoque fugimus potiùs & averſamur ipſam, quàm amamus , aut fiduciam in ea ponimus: prout ſervi Dominum , ut plagas illaturum , adeoque plagas ipſas potiùs metuunt , non tàm ingenuô quàm coacto animô : *filialis* autem timor ſignificet affectum magis ingenuum , ubi non ſolùm iram , ſed ipſam perſonæ dignitatem ſpectamus ; imò etiamſi abfutura eſſet ira ac pœna , tamen offendere vereremur : prout filii parentes , quos amant , & beneficiis eorum lætantur , tamen timere poſſunt & ſolent. Itaque ſervilis ille timor , licet in converſionis initio locum habeat in his , qui lege terrentur ; in converſis tamen abeſſe & in filialem mutari debet.

§. II.

Oppoſita Timoris Dei ſunt: I. Contemtus Dei *(a)*, per quẽ homines, majeſtate divinâ inſuper *(b)* habitâ , ſuô potiùs arbitrio vivunt: etſi forte aliqui *(c)* ſimulent timorem Dei. II. Vanus *(d)* Dei timor ; quò fit , ut homo, vel præter unum Deum, alios

(c)

(*e*) plures, sive prorsùs æquali, sive paulo minore, attamen quasi divina veneratione (*f*) prosequitur; vel circa unum verum Deum ita versatur, ut ad omittenda ea, quæ rectè fieri poterant, aut facienda, quæ negligi poterant, quasi ex necessitate mandati aut cultus, (*g*) obligatus esset, perducatur.

NOTÆ.

(*a*) Quô sensu homines *Deum* obliviscentes i. e. negligentes, *dicuntur. Psal.* L, 22. Aliàs Securitas Carnalis, item Epicureismus, appellatur.

(*b*) Quasi sine fræno incedentes & dicentes, *Pax est, & tuta omnia I. Thess. V, 3.* Talis à Christo describitur Judex *Luc.* XVIII, 2. Τὸν Θεὸν μὴ φοβούμενος. In eumque censum à D. *Chytræo* Reg. vit. p. 25. 26. referuntur *Mezentius*, *Sennacherib*, *Rabsaces*, *Antiochus*, & *Cyclops* apud Euripidem sic locutus: *Non ulla numina expaveſco cœlitum, Sed victimas uni Deorum maximo, Ventri, offero. Deos ignoro cæteros.* Aut quæ est vox Cyclopis apud Homerum Odyss. IV.

Ἄμε κέλευε θεὸς ἢ δειδέμεν ἠὲ σέβεσθαι
ἐγὼ δὲ Κύκλωπες Διὸς αἰγιόχου ἀλέγουσι.
Ne jubeas superos ut ego verearve colamve,
Nil Cyclopes enim Divorum numina curant.

Sunt ergò hominum ejusmodi duo genera; Alii, qui prorsùs negant Deum: alii qui Deum quidem esse agnoscunt, attamen majestatem

ejus æque atque curam rerum humanarum ex animo expungunt, & sic metum exuunt. Confer *Psal. XXXVI*,2. ubi David hominem impium describit, *in* quo *prorsùs nullus* sit *pavor Dei*, *aut* reverentia *in oculis ipsius*.

(c) Scilicet non solùm apertus Dei contemtus & ignominia publica, verùm etiam reverentia hypocritica, atque adeò falsa, cum vero Dei timore pugnant.

(d) Quidam *Pusillanimitatem* vocant. Alii *Superstitionem*: quæ tamen vox nonnunquam latiùs patet, ut omnem falsum Dei aut Deorum cultum, idololatriam, magiam, complectatur. Hic autem servilem quendam timorem importare videtur.

(e) Dicuntur אֱלֹהִים אֲחֵרִים *Dii alieni* *Exod.* XX,3. eoque nomine denotatur, quicquid quid non est ipse Deus, & tamen pro Deo habetur.

(f) Seu, quando subordinatio quidem aut dependentia aliqua eorum, quæ non sunt ipse Deus summus, agnoscitur; & tamen illis aliquid ex his, quæ Deus summus sibi soli vendicat, tribuitur: qualis non solùm Gentilium subtiliorum idololatria fuisse fertur: sed & Pontificiorum, in Maria, Angelis & Sanctis colendis superstitiosa ac reverâ idololatrica servitus est: atque hîc ideò notanda venit. Quamvis Idololatria, præter timorem aut reverentiam, etiam fiduciam & alia interna atque externa opera

in

in horum atque illorum cultu complectatur: de quibus suo loco.

(*g*) Unde e. g. proficiscebatur vana & scrupulosa quorundam observatio certarum dierum & mensium in N. T. quasi ex vi legis antiquæ: quæ tamen jam abrogata erat. *Gal. IV. 10. Matth. XV, 9. 11.* Similiter huc refertur *Zelus* ille Judæorum, qui *non* erat *secundum scientiam. Rom. X, 2.* ita ut, (metuentes, ne Deum offenderent, nisi pro lege sua pugnare pergerent;) etiam ad persequendos verè fideles se accingerent.

§. III.

Motiva veri Timoris Dei sunt 1. ipsa Dei majestas (*a*) infinita: indeque proficiscens (*b*) mandatum. 2. Timoris Dei (*c*) præstantia. 3. Bona (*d*) timorem Dei sequentia. 4. Infelicitas (*e*) non timentium Deum.

NOTÆ.

(*a*) Quam supra motivum ejus proximum & formale esse diximus §. 3. & nota (*d.*) Et sic *Deus* fidelium, & *pavor* fidelium [i. e. objectum primarium timoris eorum;] pro iisdem habentur. *Gen. XXXI. 42.* Majestas autem illa simul omniscientiam, omnipotentiam, & omnipræsentiam Dei importat aut supponit. Sic ergo *Jeremias* cap. X, 6. 7. *Non est, sicut tu Domine, Magnus* (es) *tu, & magnum nomen tuum in fortitu-*

dine. Quis non timebit te Rex gentium? &c. Conf. *Malach. I,6. Jobi XXXVII.* verſ. 23.24.

(*b*) *Deut. XIII,4. Joſuæ* XXIV, 14. *Pſal. II,11. Eccleſ. XII,13. Eſaiæ VIII,13. Matth. X, 28. II. Cor. VII,1.*

(*c*) Quæ conſtat partim ex approbatione Dei, teſtantis, *placere* ſibi hunc ſui timorem: prout *Pſal.* CXLVII,10.11. dicitur: אֶת־יְרֵאָיו׃ רוֹצֶה יְהוָה *vult*, i. e. amat *Deus* timentes ſe: & *Act.* X, 35. ὁφοβούμενος αὐτὸν δεκτὸς αὐτῷ ἐστι: *timens eum acceptum ei eſt.* Patim elogiis aliis, quæ illi tribuuntur: v.g. quod ſit *initium ſapientiæ. Pſal.* CXI,10. *Proverb.* I, 7. confer *Siracid.* I, 15. cap. XXV, 14.15. Unde David, doctrinam maximè inſignem pollicitus: *Venite filii*, ait, *audite me: Timorem Domini docebo Vos. Pſal.* XXXIV, 12.

(*d*) Scilicet timor Dei [1] abſtrahit à peccatis; exemplo Joſephi, *Geneſ.* XXXIX, 9. & obſtetricum Ægyptiarum. *Exod.* I,17.21. Confer *Proverb.* XVI,6. Unde *Baſilius* M. in *Pſalm.* XXXIII. f. m. 102. *Sicut clavis transfixi membra corporis immobilia ſe habent ad actionem, ſic quibus divinus timor animum occupavit, omnem ex peccati affectionibus vexationem effugiunt.* In Græco eſt: πᾶσαν τὴν ἐκ τῶν παθῶν τῆς ἁμαρτίας ἐνόχλησιν διαφεύγουσι. [2] excitat ad faciendum officium. *Deut.* IV, 2. & V, 29. [3] liberat à timore moleſto & noxio rerum terrenarum, & confert potiùs lætitiam cordis. *Eſaiæ* VIII, 13. [4] Benedictionem divinam varii generis ſecum trahit. *Pſ.* XXXIV, 9. LXI,

9. LXI. 6. CIII, 11. CXII, 1. CXXVIII, 1. seqq. Ac B. *Gerhardus* sedecim classes bonorum numerat, quæ Timorem Dei comitentur. L. III. Scholæ Piet. cap. V. p. 426. seqq.

(*e*) Nisi enim Deum sponte timeamus, omnia alia metuenda sunt: ac Deus ipse, vel invitis nobis. De pœnis autem hominum non timentium Deum, vid. *Deut.* XXVIII, 58. 59. *Malach.* III, 18. cap. IV, 1.

§. IV.

Media, per quæ ad genuini timoris Dei exercitium deducimur (*a*) sunt: I. Verbi divini crebrior (*b*) meditatio. II. Operum Dei (*c*) stupendorum, præsertim judiciorum (*d*) severorum ac rigidorum, consideratio. III. Conversatio (*e*) cum hominibus aliis Deum rectè timentibus. IV. Preces ad Deum, pro conferendo nobis Timore (*f*) sui.

NOTÆ.

(*a*) Quibus vel motiva in usu constituuntur; vel animus hominis dirigitur ad actus timoris rectè exercendos, vel denique motus ipsi sancti velut divinâ virtute excitantur.

(*b*) Cum lectione vel auscultatione conjuncta, vel etiam tacita olim lecti vel auditi verbi ruminatio. Sic jubentur Israëlitæ pariter & Rex ipsorum audire & tractare legem, *ut discant timere Dominum.* *Deut.* IV, 10. XVII, 18. 19. Conf. *Psalm.* XXXIII, 12.

(c) Quibus se majestas divina declaravit. Unde David *Psal. XXXIII, 6. 7. 8.* memoratis operibus creationis & conservationis, concludit: *Timeant à Domino omnis terra; ab eo paveant omnes habitatores terræ.* Conf. *Jerem. V, 22.* Sed & aliæ providentiæ opera singularia aut miraculosa huc spectant. Vid. *Luc. V. 26. VII. 16.*

(d) Tùm particularia, etiam ea, quæ alios tangunt: quale erat excidium Ægyptiorum, cujus conspectus Israëlitis incussit reverentiam Numinis. *Exod. XIV, 31.* cap. *XV, 11.* & tempestas illa divinitùs excitata, nec sedanda, nisi Jonâ in mare projecto: unde navigationis socii omnes timuerunt Jehovam. *Jonæ I, 15. 16.* tùm universale illud judicium extremum, tàm clarè prænunciatum, cujus certitudo, majestas & rigor, reverentiam Judicis intereà nobis præsentis & omniscii, facilè excitat. Vid. *Eccles. XII, 13.*

(e) Vid. *Sapient. VIII, 17. Siracid. IX, 23.* cap. *XXVII, 10.*

(f) Est enim donum Dei, &, prout hîc spectatur, supernaturale. Unde David *Psalm. LXXXVI, 11.* oravit ad Deum: *Uni cor meum*, [quod aliàs fluctuat aut distrahitur,] *ad timendum nomen tuum.*

§. V.

Impedimenta veri timoris Dei (a) præter neglectum (b) mediorum ac motivorũ, sunt:

sunt: I. Ab his, quæ in sensus incurrunt, & ad præsentem vitam spectant, nimis (*c*) pendere. II. Se ac vires suas plus (*d*) justo æstimare. III. Peccatorum successu aut impunitate (*e*) gaudere. IV. Cum hominibus (*f*) impiis aut (*g*) superstitiosis conversari (*h*) frequentius.

NOTÆ.

(*a*) Et partim ad contemtum Dei, partim ad vanum timorem aut superstitionem ducentia, imò in talibus animum obfirmantia.

(*b*) Unde securitas carnalis nascitur, adeoque contemtus Dei.

(*c*) Quoad curam, amorem & metum eorum. Sic enim non rarò homines, imaginem Dei invisibilis, & quæ ad reverentiam ejus faciunt, si non expungunt ex animo, certè minùs studiosè contemplantur, & à reverentia ejus abducuntur. Alii, creaturas spectando, quarum insignior quædam vis juvandi aut nocendi apparuit; ad earum vanum timorem ac reverentiam, quasi divinam, permoti fuerunt: prout de origine Idololatriæ jam olim docuerunt Patres Ecclesiæ; & post *Majemonidem* Judæum, *Vossius*, *Seldenus*, *Hoornbeckius*, aliique. Sed & Pontificiorum Angelolatria & Sanctorum cultus, talibus modis sese commendavit. Denique in unius Dei reverentiam ineptam ita deducti fuerunt quidam, ut, cùm ipsi ab externis

ac terrenis rebus penderent; hinc in cultum Dei adhiberent, quæ nec lumen naturæ, nec verbum Dei revelatum definiverat.

(*d*) Quò majorem enim se putat homo, hôc minùs reveretur Deum. Unde superbi, & impii contemtores Dei, haud rariò conjunguntur, aut nomina permutantur. Vid. *Psal.* CXIX. vers. 51. 53. 69. 78. 85. 95. 110. 115. *Malach.* III, 15. cap. IV, 1.

(*e*) Juxta illud *Psal.* L. v. 21. ubi Deus hominem improbum alloquutus: *Hæc feciſti*, ait, *& tacui: exiſtimaſti, quod eſſendo eſſem, ſicut tu.*

(*f*) *Dedit hanc contagio labem, Et dabit in plures*: Secundum illud Poëtæ, *Qui* eſt *amicus ſtultis*, (Deum negligentibus) *conteretur. Prov.* XIII, 20. velut in officina ſalſamentaria, pharmacopeo, aliove loco olente ambulantes, odorem ſecum vel inſcii auferunt; à balbutientibus balbutire diſcunt: annotante B. *Geiero*, p. 666.

(*g*) Simili ratione cum prioribus. Et conſtat, Israëlitas ex conſuetudine cum vicinis idololatri; Salomonem, Achabum aliosque Reges, ab uxoribus gentilibus, ſuperſtitiones idololatricas dediciſſe. Vid. *Num.* XXV, 2. I. *Reg.* XI, 1. cap. XVI, 31.

(*h*) Quò etiam ſpectat librorum ejusmodi impiorum aut ſuperſtitioſorum intempeſtiva lectio: quemadmodum *Franc. Junius* ipſe de ſe in hiſtoria vitæ ſuæ memorat, quòd per aliquem, qui ipſi legenti Ciceronis libros de Legibus

gibus, illud Epicuri, *Deum nihil curare, nec sui neque alieni*; sæpè ac studiosè inculcaverat, in Impietatem Atheistarum deductus fuerit.

§. VI.

Ergo ut impedimenta removeantur necesse est I. Ut dum ea, quæ in sensus cadunt, intuemur & tractamus, simul dependentiã (*a*) eorum à Deo partim, partim (*b*) inconstantiam, consideremus. II. Humanam infirmitatem sedulò (*c*) expendamus. III. Peccatorum sortem non tàm præsentem, quam (*d*) futuram spectemus. IV. Hominum impiorum ac superstitiosorum consortia & sermones (*e*) fugiamus.

NOTÆ.

(*a*) Quoad originem, conservationem & directionem ad suos fines. Quâ ratione fiet, ut ad majestatem Dei agnoscendam perducti, à contemtu ejus arceamur.

(*b*) Ita ut nihil divini in illis deprehendentes, non illa, sed Creatorem unum timeamus.

(*c*) Adeoque mala, quę habemus, nobis; bona omnia Deo adscribentes, non efferamur adversùs Deum; sed in reverentia ejus perpetua perseveremus.

(*d*) Nempe potest homo fortasse scelus *tutum*; non autem *securum ferre*; uti *Seneca* Tragicus distinxit in Hippol. A. I. v. 158. Reatus itaque

quæ peccati & immutabilitas justitiæ divinæ spectari debent: quodque non auferatur ultio, quæ differtur.

(e) Juxta monita Scripturæ, *Exodi XXIII, 33. Proverb. I, 10. 15.* Cap. *XXIV, 1. II. Thessal. III, 6.* & exemplum Davidis *Psal. XXVI, 4.*

§. VII.

Signa veri timoris Dei sunt 1. ipsi actus *(a)*, juxta voluntatem *(b)* Dei, & cum contemtu humanarum *(c)* offensarum, inque rebus carni *(d)* ingratis, suscepti & *(e)* consummati. 2. Studium cavendi etiam *(f)* minima peccata. 3. Voluptatum temporalium, etiamsi licitarum, usus *(g)* parcus & solicitus. 4. Afflictionum, tanquam divinitus immissarū, cum humilitate animi *(h)* tolerantia.

NOTÆ.

(a) Ad quos inclinat Timor Dei: uti diximus in nota *(k)* ad §. I.

(b) Ita *Sirucides* Cap. II, 19. *Qui reverentur Dominum, quærent ut placeant ei.*

(c) Exemplo obstetricum Ægyptiarum. *Exodi I, 17.* quæ *timuerunt Deum ipsum, neque fecerunt, quemadmodum edixerat eis Rex Egypti.*

(d) Prout Abraham *experimentum* dedit, se *Dei timentem* esse, *cùm non subtraxisset filium* suum, *unicum* suum, *à Deo. Gen. XXII, 12.*

(e) Unde constat, timorem Dei in homine,

10.o

robur quoddam esse consecutum, si non solùm certet, sed & vincat timorem mundi & concupiscentiam carnis.

(*f*) Quia quodlibet peccatum offensam Dei importat: adeoque reverentiæ Dei repugnat.

(*g*) Scilicet ut evitentur occasiones tali agendi, quibus offendi potest Deus. Quò refertur factum Danielis, qui ne fortè vel ignorans pulluerètur potu aut dapibus mensæ regiæ, prorsùs ad eorum usu abstinuit. Vid. *Daniel. I, 8.*

(*h*) Ita rursùs *Sirucides* Cap. II, 21. 22. *Qui reverentur Dominum, præparabunt corda sua, & coram eo abjicient se ipsos*, (dicentes:) *Incidamus in manus Dei, ac non in manus hominum.* Eique respondet exemplum *Tobiæ* Cap. II. vers. 13. 14. (ex versione quidem Lutheri.) Certe indignos se bonis æstimant, non autem indignos adversis, qui Deum timent.

Capitis VIII. Sectio III.

DE FIDE SPECIALI, QUÆ EST IN CHRISTVM.

§. I.

UT Timor hominis Christiani erga Deum sit filialis (*a*), opus est, ut ei jungatur Fides (*b*) in Christum: quâ (*c*) sicut hominis intel-

tellectus assentitur doctrinæ de gratia Dei & merito Christi, tanquã ad se pertinentibus; ita actus voluntatis in meritum Christi, ex divina gratia praratum, fertur tanquam causam remissionis peccatorum & aliorum bonorum quorumvis: idque etiam, postquam (*d*) homo cum Deo reconciliatus est, frequenter (*e*) & per omnem (*f*) vitam.

NOTÆ.

(*a*) Sic nexum hujus doctrinæ cum præcedente indicamus. Jubemus autem hominem Christianum spectari, tanquam peccato (originalis quidem peccati reliquiis, simul vero peccatis actualibus, licet non proæreticis,) contaminatum: cui proinde Deus foret ignis consumens, & horrendus; quem is timore merè servili prosequeretur, nisi aliunde ei accessus pararetur, ut sanctâ societate inhæreat Deo, Conf. cap. præced. §. I. not. *k*. Et sic etiam Fidem in Christum Timori Dei subjungit B. D. *Chytræus* Reg. Vit. p. m. 26. seqq.

(*b*) Quam Scholæ *specialem* vocant: à speciali objecto, ejusque applicatione speciali (seu individuali) ad hominem ipsum credentem.

(*c*) Pleniorem ejus considerationem partim Theologia positiva suppeditat, partim h.l. P.III. Cap. V. §. VI. & notæ.

(*d*) Et sic ad præsens pertinet ipsumque negotium cultus divini eorum hominum, qui sub-

subjectum operationis Theologiæ Revelatæ sunt, ingreditur: quatenus non solum Christus, in quem credit homo renatus, Deus est: sed & fides, dum in Christum fertur, tanquam Mediatorem nostrum apud Deum; hôc ipso in Deum trinunum fertur, merito Mediatoris propitium redditum: & lex Divina, quæ cultum Dei omnem præscribit; intercedente Evangelio de Christo credentibus profuturo, etiam ipsam fidem in Christum hac ratione præscribit. Confer B. *Dorschæi* Theol. Mor. Præcept. I. §. LVIII.

(*e*) Neque enim sufficit, hominem semel credidisse in Christum, cùm justificandus esset: sed requiritur, ut in eundem, velut ad reliquias peccati omnes, & commissionis atque omissionis peccata quæcunque tollenda meritum suum exhibentem, feratur. Et quemadmodum fides habitualis in conversione aut regeneratione nobis confertur; neque habitus otiosus est; ita hîc eam spectamus, non solùm ut aliarum virtutum matrem, verùm etiam uti actuum, qui formaliter ejus sunt, feracem: nec tantùm, uti in pœnitentia, ad obtinendam remissionem peccatorum, sed & ipsis actibus credendi glorificandum Deum.

(*f*) Quoad usque durat status gratiæ, in quem per regenerationem collocati sumus. Oportet enim fidem esse finalem, non solùm ut habitualis fides retineatur ad finem usque, sed ut vel maximè circa finem vitæ in actibus secundis occupetur.

§. II.

§. II.

Opposita fidei specialis sunt: I. Incredulitas speciatim sic dicta, quâ quis non credit in Christum (*a*), tanquam suum Mediatorẽ: quò pertinet etiam Dubitatio (*b*) de gratia Dei & merito Christi ad nos pertinentibus. II. Præsidentia, (*c*) quà homines vel in gratia Dei, absque merito Mediatoris (*d*), fiduciam collocant; vel in merito Christi, tanquam ad se pertinente acquiescunt, etsi in peccatis contra conscientiã perseverent (*e*).

NOTÆ.

(*a*) Quod Scriptura dicit, μὴ πιστεύειν εἰς τὸ ὄνομα τῦ μονογενῦς υἱῦ θεῦ. *Joh. III, 18.* ἀπειθεῖν τῷ υἱῷ.

(*b*) Negationi proxima. Unde & Pontificiorum sententiam, qui hominem, quantumvis renatum, dubitare jubent de remissione peccatorum per Christum sibi facta, in vitio positam esse intelligimus.

(*c*) Alii Nimiam Confidentiam; quidam Præsumtionem appellant.

(*d*) Prout Naturalistæ & Sociniani, satisfactionem Christi negantes, aut contemnentes, tamen divinâ gratiâ niti audent, velut ad simplicem peccatorum condonationem consequendam.

(*e*) Qualis est mos eorum, qui ad Christum di-

dicunt: *Domine, Domine,* licet *non faciant voluntatem Patris* Christi, *qui est in cœlis. Matth. VII, 21. 22.*

§. III.

Motiva ad Fidei Christianæ exercitium sunt: I. Mandatum (*a*) Dei. II. Fidei præstantia (*b*) & utilitas. (*c*) III. Necessitas cognoscendi, anne habeamus (*d*) fidem. IV. Periculum amittendi (*e*) fidem, nisi crebrioribus actibus excolatur.

NOTÆ.

(*a*) Ita enim *Johannes I. Ep. III, 23. Hoc est præceptum ejus* (Dei), ἡ ἐντολὴ αὐτοῦ, *ut credamus nomini filii ejus Jesu Christi.* Additur: *& diligamus nos mutuò, sicut dedit præceptum nobis*: ut agnoscamus, quemadmodum præceptum nobis est, ut in actibus dilectionis frequentes simus, ita mandatum esse nobis, ut in actibus fidei exercendis simus studiosi. Confer *Joh. VI, 29.* cap. XIV, 1.

(*b*) Tanquam principii sanctitatis & virtutum quarumvis: (de quo rectè dixeris: *Principium esse dimidium totius*:) in quo proinde se exercere, pium maximè ac decorum est.

(*c*) Per quam placemus Deo *Ebr. XI, 6. vivimus* vitam spiritualem. *Galat. II, 20. III, 11. Ebr. V, 38. resistimus Diabolo. 1. Pet. V, 9. vincimus mundum. 1. Joh. V, 4. 5.* Sensum *gratiæ* & *gaudium* spirituale percipimus. *Rom. XV, 13.* Hæc au-

tem ut fiant, crebrioribus fidei actibus opus est.

(d) Seu *tentandi nosmet ipsos, num simus in fide? II. Cor. XIII, 5.* Ut autem explorando invenire in nobis fidem queamus, oportet utique, ut actus fidei præstò sint, quibus ipsa fides habitualis se declaret: tantòque frequentiores esse actus oportet, quo sæpiùs fidei nostræ certiores reddi volumus ac debemus.

(e) Est enim hoc donis divinitùs datis commune, ut ad usum sint adhibenda, ne à Deo subtrahantur ignavis atque adeo indignis possessoribus. Oportet itaque & fidem ἀναζωπυρεῖσθαι; juxta II. *Tim.* I, 6.

§. IV.

Media exercendorum actuum fidei specialis sunt: I. Auditus, Lectio ac Meditatio (a) verbi divini, quò objectum (b) fidei specialis plenius (c), aut cum (d) emphasi proponitur. II. Sacramenti Eucharistiæ (e) devota usurpatio, & Baptismi, sive cum aliis confertur, pia (f) contemplatio; sive alias frequens & sancta recordatio (g). III. Preces crebriores atque ardentes pro conservatione & incremento (h) fidei habitualis, unde actus fidei proficiscantur.

NOTÆ.

(a) Verbum enim ipsum est medium causale seu organon fidei actualis pariter & habitualis

lis. *Rom. X, 17. Joh. XVII, 20. I. Thess. II, 13.* Fit autem actu causa, quandò in usu constituitur: atque usus ille consistit in auditione & lectione.

(*b*) Gratiæ seu misericordiæ Dei summi & offensi, erga peccatores liberandos salvandosque, magnitudo & universalitas: obedientiæ Christi activæ & passivæ singularitas, & ex conditione personæ dignitas: promtitudo etiam & favor Mediatoris ad juvandos miseros.

(*c*) Quoad circumstantiarum, quæ rei momentum & gravitatem exprimunt, declarationem uberiorem: quales *Esaiæ LIII. Rom. III. IV. V. Joh. III, 14.* seqq. & aliàs habentur.

(*d*) V. g. quando Σπλάγχνα ἔλεος, *Viscera misericordiæ* Deo tribuuntur, in negotio salvationis nostræ. *Luc. I, 78.* imò *juramentum*, quòd *nolit mortem peccatoris*, sed *ut convertatur & vivat. Ezech. XXXIII, 11.* quando Christus, tanquam *agnus Dei, peccata mundi* velut bajulando *portare* dicitur. *Joh. I, 29.* Confer *I. Pet. II, 24. qui peccatum non novit. peccatum pro nobis factus* dicitur, *ut nos efficeremur justitia Dei per illum II. Cor. V.* ult. imo factus esse *abominatio*, nostri loco. *Gal. III, 13. delevisse chirographum nobis adversum, & affixisse cruci. Coloss. II, 14. purificasse, lavisse* nos suo *sanguine à peccatis. I. Joh. I, 7. Apocal. I, 5.*

(*e*) Quâ ratione fides ipsa communicantes excitatur & alitur, quippe quæ non solùm tunc fertur in Christum, cum homo corpus & sanguinem ejus substantialiter præsentia realiter acci-

accipit, ad certitudinem remissionis peccatorum: ed & porro habet, unde sæpius *recordetur* Christi ac meriti ejus per fidem.

(*f*) Scilicet considerato fœdere gratiæ, quod Deus in Baptismo cum hominibus init, ac meritum sanguinis Christi eis applicat, ac si realiter eo perfunderentur. Unde & nostri sic admonemur Baptismi, ut in gratiam Dei per filium nobis collatam fide feramur.

(*g*) Nam & quotidiè Christianos Baptismi meminisse par est, ut fructum fœderis certiorem aut pleniorem capiant.

(*h*) Exemplô discipulorum Christi: *Domine, adauge nobis fidem. Luc. XVII, 5.* aut lunatici; *Credo, Domine, succurre incredulitati meæ. Marci IX, 24.* Cumque preces ipsas ex fide proficisci oporteat, certè ita fides exercetur precando: & quando preces tendunt ad impetrandam à Deo perseverantiam atque incrementum fidei, Deus vero illas libenter exaudit; clarum hinc est, quòd hâc ratione ad ipsum exercitium fidei divinâ gratiâ pertingamus.

§. V.

Impedimenta fidei specialis partim coincidunt cum impedimentis (*a*) pœnitentiæ (*b*); partim cum his, quæ fidei generali (*c*) obstand (*d*): partim etiam oriuntur ex peccatorum nostrorum & contracti reatus aut pœnarum ipsarum consideratione adeo (*e*) fixa,

fixa, ut Evangelicæ doctrinæ meditatio (*f*) decens non accedat (*g*).

NOTÆ.

(*a*) De quibus vid. Cap. V. §. XV. pag. 249. seqq.

(*b*) Nec mirum: quia fides in Christum est pars pœnitentiæ, & supponit dolorem aut displicentiam peccatorum.

(*c*) Juxta Cap. hujus VI. Sect. I. §. V. p. 280.

(*d*) Nempe, licet fides generalis latiùs se extendat, quam fides specialis; hæc tamen supponit assensum generalem doctrinæ fidei fundamentali præbitum; sine quô homo ad se in individuo descendere & de se concludere non potest. Itaque fide generali impeditâ, necesse est impediri etiam fidem specialem.

(*e*) Notanter dico: *adeò fixa*. Nam aliàs pœnitentia Christianorum ipsa non tàm vagam aut superficiariam; quam attentam & suo modo fixam de peccatis cogitationem postulat: quemadmodum ex supra dictis, de Examine sui ipsius & Agnitione peccatorum, constat.

(*f*) Quâ, absque præjudicio, promissionum Evangelicarum veritas atque universalitas cognosci; atque homo eas ad se applicare debet.

(*g*) Fieri enim aliquando solet, ut peccatores peccatorum suorum gravitatem ita æstiment, ut ea excedere magnitudinem gratiæ divinæ, aut meriti Christi; vel saltem se non esse in

numero eorum, ad quos spectat gratia divina ac meritum Christi putent; atque ità denique in desperationem incidant.

§. VI.

Ut ergò removeantur impedimenta fidei hujus, partim observanda sunt ea, quæ ad removenda impedimenta pœnitentiæ (*a*) & fidei generalis (*b*) observari debere vidimus: partim etiam in consideratione peccatorum Lex & Evangelium (*c*) conjungi, atque ad ipsum Evangelium & vim promissionum ejus (*d*) attendi debet.

NOTÆ.

(*a*) Vid. Cap. V. § XVI. p. 252.

(*b*) Vid. Cap. VII. Sect. I. §. VI. p. 282.

(*c*) Ita ut non solùm mala nostra, sed & medelam malorum spectemus: accusati & condemnati, vi legis; advocati simul nostri & officii ejus meminerimus. Nempè *litera* Legis *occidit*; *Spiritus autem* per doctrinam Evangelii, quam sibi velùt propriam vindicat, *vivificat*. *II. Cor. III, 6.*

(*d*) Quoad veritatem, ex θεοπνευστία; universalitatem simul, atque adeo facultatem de se in individuo subsumendi & concludendi.

§. VII.

Signa (*a*) veræ fidei in Christum, præterquam quod fides vera in se ipsam reflexa, se ma-

manifestat (*b*) homini fideli; sunt [1] ea, ex quibus pœnitentia vera ex parte doloris Christiani (*c*) cognoscitur, quando conjunguntur (*d*) cum actibus assensus & fiduciæ circa promissiones Evangelicas occupatæ. [2] ea, quæ fidem generalem (*e*) declarant, ad speciale objectum & personam credentis (*f*) applicata. [3] Actus aliarum (*g*) virtutum aut partium officii hominis Christiani, ad radicem aut principium suum relati.

NOTÆ.

(*a*) Quæ sive hoc *signorum*; sive, ut alii malunt, *Notarum* nomine appellaveris, perinde erit. Dantur certè talia, quæ potentiæ cognoscitivæ repræsentant fidem, & ab his, quæ vera fides talis non sunt, sed falsa, hypocritica, aut merè humana; distinguunt. Neque universaliter verum est, signum esse rei incertæ.

(*b*) Partim per suum esse, quod supernaturale est; adeoque secundum suum esse supernaturale: partim per supernaturalem Spiritûs Sancti testificationem; juxta *Rom. VIII, 16.* Quod contra *Vitum Ebermannum*, Jesuitam, ostendimus in Disp. Inaug. quâ Dialogi ejus interArium & Lutherum examinabantur §. CII. p. 95. 96.

(*c*) De quibus vid. Cap. V. §. XVII. p. 255.

(*d*) Sic enim & pœnitentia *totalis* sese spectandam exhibet, cujus partem facit Fides specialis;

& actus illi assensûs & fiduciæ, qui cum in corde contrito orti cognoscuntur, dependentiam suam à gratia Dei, cum verbo concurrente, non obscurè produnt.

(*e*) Illud saltem, quod habetur Sect. I. §. VII. Num. II. p. 284.

(*f*) Seu, uno verbo, Certitudo mentis de divina gratia & merito Christi, ad nos (ipsum hominem credentem) pertinente, etiamsi remotis aut præcisis motivis humanæ credibilitatis, tamen perseverans, & conjuncta cum delectatione in hoc bono spirituali agnito.

(*g*) Prout l. c. diximus, fidem etiam generalem, sed supernaturalem, cognosci ex *aliis motibus sanctis*, qui cum certitudine illa mentis ac delectatione in bonis spiritualibus cunjunguntur. Et sic *bona arbor bonos fructus parere* dicitur *Matth.* VII, 16. seqq. Præterea verò nota est vox *Jacobi*, Cap. II. v. 18. *Ostende mihi fidem tuam ex operibus, & ego tibi ostendam ex operibus fidem meam.* Scilicet cum desunt bona opera, fides, quæ videtur, non est vera, Christiana & salutaris fides: prout Christus hôc argumento Pharisæos vanæ jactantiæ convicit, *Lucæ* X, 29. 30. & in extremo die, homines, qui fidem falsò jactaverant, se pudefacturum dicit *Matth.* VII, 20. seq. cap. XXV, 41. seqq.

CA-

Capitis VII. Sectio IV.

DE AMORE SEV DILECTIONE DEI ET CHRISTI.

§. I.

AD officium hominis renati circa Deum ex parte voluntatis occupatum porro (*a*) pertinet Amor (*b*) seu Dilectio (*c*) Dei, quâ fit, ut homo non solùm in Deum trinunum, ut in se (*d*) & sibi (*e*) bonum, magis (*f*) quam in alia objecta quælibet, & motu animi (*g*) fervidiore, appetendo (*h*) feratur, imo quantum fieri potest, uniri (*i*) cum eo velit: quem vulgo amorem *Complacentiæ* (*k*) vocant; verùm etiam à se (*l*) & ab aliis (*m*) ea fieri valde (*n*) cupiat, quæ Deo grata (*o*) sunt: quem amorem *Benevolentiæ* (*p*) appellant.

NOTÆ.

(*a*) Oritur enim ex Fide in Christum; *per* quam *Deus*, peccatoribus aliàs tremendus, (quia iratus,) *fit eis objectum amabile*: juxta *Apol.* A. C. p. 83.84. Unde, licet in statu Integritatis, spectatâ Dei natura, statim homo, uti obligatus, ita promtus erat ad amandum Deum; post lapsum tamen res sese aliter habet: ac fides in Christum amoris illius principium & radix est.

(*b*) Quamvis enim Amoris nomine etiam actus appetitûs sensitivi appellentur, quales in bruta cadunt; atque ita amari dicantur, præter Deum & homines, alia multa objecta, imò omnia, quæ bona adeoque appetibilia sunt: unde quibusdam magis placet Charitatis vocabulo, quàm Amoris uti; quando actus hujusmodi, hominis circa Deum aut homines occupatos tractant: quia tamen *Charitas*, in casu recto, habitum potiùs quàm actum aut actus secundos (de quibus hîc agimus, quando officia Christianorum tradimus) significat; nec negari potest, amorem, etsi aliàs latiùs pateat, hîc tamen per subjectum atque objectum apertè restringi; neque insolens est, verbum amandi, & nomen amoris hîc adhibere, apud *Augustinum*, *Gregorium M. Bernardum*, *Hugonem de S. Victore*, aliosque: propterea & hîc eâdem voce uti placuit. Juxta Scripturas hominem Dei amantem dixeris φιλόθεον; ex *II. Tim. III, 4.*

(*c*) Quod frequentissimum nomen est apud veteres pariter & recentiores Scriptores Ecclesiasticos: & quamvis juxta *Laur. Vallam*, *diligere* minus sit, quam *amare*: illi tamen hoc discrimen non æquè observant. Certè, quòd dilectio actum potiùs charitatis, quam habitum, significat; sententiæ nostræ favet potius & servit, quàm obest.

(*d*) Nempe omnes perfectiones continentem, sine imperfectione, ideoque propter se diligendum

dum, ac summè charum : prout ab Ebræo יָקָר, quod pretiosum denotat, *carum* & *charum* Latinorum descendere quidam putant.

(*e*) Ut Creatorem, Conservatorem, Gubernatorem ; inprimis quoad beneficium Redemtionis, Conversionis seu Regenerationis, Justificationis, Renovationis, & connexa : quò etiam spectant futura beneficia Resuscitationis mortuorum & Salvationis.

(*f*) Videlicet *super omnia* diligendus est Deus, ut nihil æquè diligatur, aut magis. Unde in Scholis de Charitate *æstimativa* & *appretiativa*, differere solent.

(*g*) Juxta id quod Deus ipse *Deut. VI, 5.* jubet : *Diliges Dominum Deum tuum* בְּכָל־מְאֹדֶךָ *de toto valde tuo :* quod LXX reddiderunt ἐξ ὅλης δυνάμεώς σȣ. *Lucas* Cap. X, 27. ἐξ ὅλης τῆς ἰσχύος σȣ : *ex omni vi, virtute, robore tuo :* ita ut non tantùm objectum exprimatur, ut summum Bonum, supra res omnes cæteras diligendum ; sed & affectus exigatur, qui summus est, aut maximè intensus.

(*h*) Unde amorem *concupiscentiæ* appellant : terminô concupiscentiæ non in malam, sed bonam partem (prout in sua latitudine indifferens est) acceptô. Neque etiam necesse est, ut, quando Deum amore concupiscentiæ amare dicimur, hoc ipso eum propter nos, vel ad fructum inde consequendum nobis ; non tanquam finem ultimum sed subordinatum & inferiorem,

rem, diligere putemur. Nam & finem ultimum concupiscere, haud dubiè rectè dicimur: atque hâc ratione Deum summum bonum, amore concupiscentiæ prosequi, ad officium nostrum pertinet.

(*i*) Equidem sunt, qui peculiarem speciem, aut gradum amoris Dei constituunt, quem amorem *unionis* apellant: quô cum amoto æternùm cupiamus uniri, & ab eo nullo unquam modo divelli. Ac certum est, amorem concupiscentiæ aut complacentiæ (de quo mox videbimus) aliquando latius patere, ita ut etiam ea concupiscere dicamur, aut ea nobis placere dicantur, quibus non nisi ad tempus frui cupimus, neque semper eis nos frui posse cognovimus: sed quando de genuino amore Dei, qui pars officii Christiani est, loquimur, negari non potest, talem esse, quô sic appetitur Deus, ut cum eo sine fine conjungi cupiamus: imò dum in hac via Deum amamus, quantumcunque amemus, semper eum perfectius amare conari debeamus.

(*k*) Scilicet quòd Deus nobis placeat: quemadmodum Deo dicuntur placere, εὐαρεστῆσαι, εὐάρεστοι εἶναι, quos ipse amat. *Ebr.* XI, 5. II. *Cor.* V, 9. Alii amorem complacentiæ describunt, quod sit is, quô nos Deo, tanquam Legislatori placere studemus. Sed prior acceptio usitatior est.

(*l*) Prout Dilectio nonnunquam describitur,

tur, quòd sit amor ejusmodi, quô alteri bonum volumus, aut quo nos alteri tradimus, ut quodammodo fiamus illius, & nobis nostrisque bonis uti aut frui ei liceat. Unde qui Deum amant, dicuntur se Deo *consecrare*, instar *Sacrificii*. *Rom. XII,1.*

(*m*) Qui enim omne bonum vult alteri; non solùm in his, quæ ipse agit, huc tendit; sed &, ut alii eodem tendant, optat & curat.

(*n*) Neque enim voluntatem simplicis complacentiæ, sed efficacem importat dilectio. Hic autem talis consideranda est, quâ ἐν ὅλῃ καρδίᾳ, ψυχῇ, καὶ ἐν ὅλῃ τῇ διανοίᾳ, *toto corde, tota anima, tota mente diligatur*. *Matth. XXII, 37.* conf. *Marc. XII,30. Luc. X,27.* Itaque conatus aliquis, isque vehemens & laboriosus, requiritur, ut non tantùm nobis gratum esset aut sit, si fieret, aut fiat, quod Deo placet; sed & media aut conditiones, quibus fieri id potest, cupide amplectamur.

(*o*) Aliàs *bona alteri* dicuntur, quæ ejus statum perficiunt, aut meliorem reddunt. Quia autem in Deum nulla cadit indigentia, qui ex se beatus & αὐτάρκης est; malui dicere in thesi, quæ Deo *grata* sunt, id est voluntati ejus sanctissimæ respondent; quàm quæ bona sunt: ne Deum nostra opera juvari, & sic ei à nobis dari quicquam posse putaretur: etsi phrasis, *Deo velle bonum*, sano sensu accepta, nihil habeat incommodi. Quæ enim voluntati aut legi Divinæ

vinæ convenienter fiunt. Deo ipsi convenire, à Deo apperi, & sic Deo bona esse dici possunt.

(*p*) Ratio apellationis in dictis continetur. Aliàs *amorem amicitiæ* vocant: intelligunt autem amicitiam κατ' ὑπεροχήν, seu inæqualem. Sed Scriptura eos, qui ad voluntatem Divinam actiones suas conformant, *Amicos Dei* appellat: uti *Abrahamum Jacobus* Ep. cap. II. v. 23.

§. II.

Opponuntur Amori Dei I. Odium (*a*) Dei, quô homines in Deum, ut in se ac sibi bonum non (*b*) feruntur, sed potius (*c*) ut (*d*) malum adversantur (*e*): neque ea, quæ Deo reverà grata (*f*) sunt, sed potius quæ ei (*g*) displicent, vel agere ipsi vel ab aliis (*h*) fieri cupiunt (*i*) II. Amor inordinatus, quando homines Deum vel minus amant, quàm (*k*) creaturas, aut se ipsos (*l*); vel Deum propter (*m*) præmia potius, quæ confert, quam propter se amant; vel denique in his, quæ Deo adversa sunt, tamen ex opinione, quasi ei sint grata, occupati, placere illi (*n*) studeant.

NOTÆ.

(*a*) Unde homines dicuntur μισεῖν τὸν πατέρα, *odisse Patrem. Joh. XV, 23.*

(*b*) Et sic dicit negationem aut Privationem amo-

amoris complacentiæ. Quam ἀφιλίαν voca. *Dannhauerus.* Lact. Catech. P. I. Conc XVIII. p. 258.

(*c*) Tanquam contrariè oppositum eidem amori.

(*d*) Equidem si Deus præcisè apprehendatur, ut in se est, non potest esse odii objectum; sed quatenus spectatur, ut præcipiens, quæ carni sunt ingrata, aut denegans quæ caro desiderat, aut inferens quæ ei adversantur, aut vindicans, vel vindicaturus peccata: sic ab hominibus odio haberi potest & sæpè solet.

(*e*) Unde odium *abominationis* dicitur: cujus vi homines quasi cruciatum quendam habent, ex præsentia Dei; ac mallent, Deum non esse aut saltem non esse talem, qualis est.

(*f*) Quâ ratione *odisse* Deum dicuntur, quicunque non optemperant legi: juxta *Exodi XX, 5. Deut. V, 9.*

(*g*) Scilicet perinde est, agere contra præcepta affirmativa, aut adversus negativa. Atque in omni actu voluntario peccandi involvi, si non directè & formaliter, tamen indirectè & virtualiter, odium aliquod Dei, communiter & rectè docetur.

(*h*) Nam & in humanis hæc odii natura aut indoles est, ut si nocere ipse non possis alteri, cupias tamen illi per alios, aut quoquo modô ægrè fieri. Hic autem etiam indirecta intentio ægre faciendi Deo, per nos aut alios, odii rationem sustinet.

(*i*)

(i) Est ergo hoc odium *Inimicitiæ*; quod etiam aliqui *ab alienationem* vocant; amori, qui in effectu unionis consistit, oppositam. Quamvis abalienationem aliquam à Deo importet, quoties homines ad creaturas potiùs convertuntur, quàm ad Deum: de quo posteà in thesi agitur.

(k) Juxta id, quod modò diximus. Debet enim Deus diligi super omnia: atque ita, creaturam supra Deum diligere est denegare Deo dilectionem debitam, ac potiùs odisse eum: præsertim, cùm ei adversum sit, minùs diligi, quàm creaturas. Unde *S. Johannes I. Ep. II, 15. 16. Si quis diligit mundum*, ait, *non est charitas Patris in eo, quoniam quicquid est in mundo, non est ex patre.* Et *Jacobus* Cap. IV, 4. scribit, *amicitiam mundi esse inimicitiam Dei.* Unde simul constat, magis amari creaturas, quam Deum, quando æquali amore cum Deo amari videntur; semper, inquam, quando non postponuntur Deo vel amori ejus. Quem Amorem *Apostaticum*, & *Idololatricum* non malè vocat D. *Dannhauerus* l. c.

(l) Φυλαυτία hæc est inordinata, amori Dei omninò opposita.

(m) Nimirum per præmia quidem excitari poterat amor noster erga Deum, ut tamen non subsisteret in donis; sed auctor donorum magis, quàm dona, diligeretur: si quid secus fit, inordinatus amor est, & in contemtum aut odium Dei declinat. (n)

(*n*) Quem vocant *zelum* inordinatum, aut, *non secundùm scientia*: juxta *Rom.* X, 2. Debet enim amor Dei dirigi per certam scientiam eorum, quæ Deo revera grata sunt; ab aliis, quæ grata videri possunt, sed non sunt, distinguendorum.

§. III.

Motiva amoris Dei sint: I. Natura Dei excellentissima, tanquam (*a*) summi boni. II. Amor Dei erga (*b*) nos, nostro erga Deum amore (*c*) prior, indebitus (*d*), multisque beneficiis (*e*) declaratus: constans (*f*) etiam & (*g*) immensurabilis. III. Voluntas Dei (*h*) præceptiva & approbativa (*i*) nostri erga se amoris. IV. Amoris hujus præ aliis officii nostri partibus (*k*) præstantia. V. Fructus (*l*) ejusdem multi & magni. VI. Oppositorum ejus (*m*) turpitudo & (*n*) damnum (*o*).

NOTÆ.

(*a*) Semper enim, quò excellentius bonum est, eò majorem habet vim movendi homines ad sui prosecutionem seu amorem. Unde David, amoris, quô Deum prosequatur, fundamentum in Deo ipso, ejusque perfectione summa & incomparabili positum declarat *Psal.* LXXIII, 25. & 26. *Quis mihi in cœlis?* ait, *& præter te nullo delector in terra ... Portio mea Deus in seculum.* Atque ita patet motivum amoris concu-

piscentiæ. Est autem idem motivum amoris benevolentiæ, si cogitemus, eum dignissimum esse, cum quo amicitiam colamus, qui est omnium perfectissimus.

(b) Cui respondere debet noster amor, ut sit mutua benevolentia. Est autem amor ille, qui aliàs *gratia*, *misericordia*, *bonitas*, χάρις ἔλεος, χρηστότης, imò & φιλανθρωπία appellatur.

(c) Ita *Johannes* I. Epist. IV, 19. *Nos diligimus eum, quia ille prior* (πρῶτος) *dixit nos.* conf. v. 10. Atque observandum est, quod Deus nos dilexit, *antequam jacerentur fundamenta mundi* i. e. ab æterno. *Eph. I, 4. gratiam nobis dedit ante tempora æterna. II, Tim. I, 9.*

(d) Hoc ipso, quòd nemo priùs eum amavit, aut *prior ei dedit*, quicquam, quô ejus amorem provocaret aut mereretur. *Rom. XI. 35.* Præcipuè spectandum est, Deum amâsse nos peccatores, ideòque *inimicos* suos. *Rom. V, 10.* Confer *Ezech. XVI, 6.* ubi velut à partu imputos, sanguine & sordibus oppletos suscepisse dicitur.

(e) Prærer creationem & providentiam generalem inprimis missione filii sui, & salutem nostra per ipsum procurata: ἔτος ἠγάπησε, sive talis ac tantus erat amor Dei, *ut filium suum unigenitum daret. Joh. III, 16.* Et *I. Joh. IV. 9. 10.* dicitur: Ἐν τούτῳ ἐφανερώθη, *In hoc apparuit*, maximè inquam apparuit *charitas Dei erga nos, quod filium suum unigenitum misit Deus in mundum,*

ut vi-

ut vivamus per eum. Accedit donatio Spiritus S. per quem *effusa* est *in nos dilectio Dei. Rom.* V, 5. Hinc autem cætera pendent beneficia hujus & futuræ vitæ.

(*f*) Neque anim amare desinit, quos semel amore complecti cœpit, nisi ipsi frangant vinculum. *Non te desero*, ait, *nec relinquam. Ebr.* XIII, 5. Conf. *Esaiæ* LIV, 10. ubi gratia Dei (adeoque amor) dicitur *non recedere, etiamsi montes aut colles recedant aut nutent.* Et *Psal.* CIII. v. 17. dicitur, eam *à seculo in seculum duraturam.*

(*g*) Non solùm quoad negationem finis suæ durationis, de qua ex modò dictis constat: sed & abundantiam illam, quâ partim indigentiam nostram, partim ipsas cogitationes nostras longissimè excedit. Confer *Psal.* CIII, 11.

(*h*) Cujus testimonia extant *Deut.* VI. 5. *Matth.* XXII, 37. *Marci* XII, 30. *Lucæ* X, 27. *Deut.* X, 12. cap. XI, 1. *Jos.* XXIII, 11. *Psal.* XXXI, 24.

(*i*) Testatur enim se *magis delectari dilectione* nostra, *quàm sacrificio.* Hoseæ VI, 6.

(*k*) Partim quòd radix est cæterarum: unde & ἐντολὴ μεγάλη, *præceptum magnum* dicitur, quod amorem præscribit. *Matth.* XXII, 36. & Paulus τέλος παραγγελίας *finem mandati* dicit *charitatem*, *I. Tim. I.* 5. Partim quod *fide* & *spe* in altera vita cessantibus, *charitas* sola continuabitur, ideoque μείζων, *major illis* esse dicitur. *I. Cor.* XIII, ult. Partim quòd, cùm formaliter sit in Deo charitas, (quod nec de fide, nec spe nostra

dici potest) imò Deus sit *ipsa charitas*, *I. Joh. IV*, 8. 16. ita nobilitatem suam declarat. Aliàs etiam ad charitatis dignitatem spectat, quòd dicitur *fructus Spiritûs. Gal. V*, 22. quod *diligentes Deum amici Dei* vocantur. II. *Paralip. XX*, 7. & *Esaiæ XLI*, 8.

(*l*) Habet enim liberalissimas *promissiones Exod XX*, 6. *Deut. V*, 10. ita ut *diligentibus Deum omnia simul adjumento sint* (πάντα συνεργεῖ, ait,) *in bonum. Rom. VIII*, 28. Nempe *agnoscit* Deus *amantes* se; actu intellectûs cum affectu seu actu voluntatis propensæ conjunctô. I. *Corinth.* VIII, 3. *amat* eos & *benedicit eis. Deut.* VII, 13. custodit ac *defendit eos. Psalm.* CXLV, 20. *unit* eos secum arctissimè, ut *maneant in Deo*, & *Deus in ipsis. I. Joh.* IV, 16. ut sint *unus spiritus cum eo. I. Cor.* VI, 17. Inde *gaudium* spirituale *in Deo Psal.* V, 12. & *salus* æterna sequitur, *quam Deus præparavit diligentibus se. I. Corinth. II*, 9. *Jacobi I*, 12. cap. II, 5.

(*m*) Turpissimum sanè est, cum odisse, in quo solo omnis boni ratio est: ei male velle, qui tibi quàm maximè bene voluit & bene fecit: bona caduca, vana, falsa, insidiosa, magis amare, quàm bonum summum. Dedecet etiam Christianos *amor mercenarius*, quem *Bernardus* vocat, quando homines Deum tantùm amant, *quia sibi bonus* est. Lib. de diligendo Deo. p. m. 949. Neque culpâ vacat, quando homines adversantur Deo, cui rem gratam facere sibi videntur.

(*n*) Odit

(*n*) Odit enim Deus osores suos, & gravissima iis minitatur atque infert mala. *Exod.* XX, 5. *Deut.* V, 9. cap. VII, 10. XXXII, 41. *Psal.* XXI, 9. Incidunt etiam illi in odia eorum, qui Deum amant: prout David *Psal.* CXXXIX, 20. testatur, se, Dei amantem, *odio perfecto habere osores* Domini. Itaque similiter, qui Deô neglectô ad bona *alia festinant* amando, eorum *dolores multiplicantur. Psal.* XVI, 4. Qui autem Deo præstare nituntur, tanquam grata futura, quæ revera aliena sunt ab ejus voluntate sanctissima; erroris sui aut præposteri studii ignominiam, & damnum hoc ipso sustinent, quod opus illorum Deo displicet, ac fine suo excidit.

(*o*) Inter ista motiva autem hoc est discriminis, quòd amor noster erga Deum, licet omnibus illis excitari queat, niti tamen velut ultimo debeat his, quæ primo & fortè secundo loco vidimus.

§. IV.

Media (*a*) functionis hujus (*b*) sunt: I. Motivorum (*c*) præsertim beneficiorum (*d*) divinorum, ex verbo Dei (*e*) nostrâque (*f*) experientia, pia & frequens meditatio. II. Conversatio cum his, qui in amoris Divini exercitiis (*g*) occupantur; ac zelum (*h*) quendam de se ostendunt. III. Preces ad Deum pro dono (*i*) amoris divini.

NOTÆ.

(a) Quibus vel motiva in usu constituuntur atque exercitium hujus functionis facilius redditur; vel vis ipsa divina, à qua pendent actus amoris divini, impetratur.

(b) Utriusque: quoad amorem concupiscentiæ & amicitiæ.

(c) §. præced. III. memoratorum.

(d) Ita ut *videatur* ac *gustetur*, *quàm suavis sit Dominus. Psal.* XXXIV, 9. ac velut igne amoris divini erga nos, nostri erga Deum amoris flamma excitetur.

(e) Quoad communia testimonia & singularia fidelibus olim exhibita exempla.

(f) Qualis in verbis, *gustare* & *videre* l. c. indicatur.

(g) Non solùm enim exempla in plerisque actionum generibus plurimum possunt; sed præsertim in pertrahendo ad certorum objectorum amorem. Illi verò qui Deum amant, laborare solent & anniti, ut alios similiter Dei amantes reddant.

(h) De quô mox inter signa amoris divini videbimus. Hic notamus, eos, qui zelo divino corripiuntur, ita præire aliis exemplo, ut velint atque operam dent, quò alii similiter inardescant.

(i) Prout Paulus pro aliis, *Philipp. I, 9.* & *II. Thess. III, 5.* ita quisque pro se oret.

§. V.

Impedimenda amoris divini sunt: I. Rara aut

aut frigida meditatio (*a*) rerum divinarum quibus moveri poteramus ad charitatẽ Dei. II. Rerum terrenarum, præsertim opum, honoris & voluptatum (*b*) cura, non satis accurate revocata ad normam (*c*) verbi divini (*d*). III. Conversatio cum hominibus amore Dei destitutis (*e*) minus cauta (*f*).

NOTÆ.

(*a*) Neque enim ardere potest animus amore Dei remotô, quô accendatur igne. Unde etiam huc spectat raritas precum aut in precibus tepor, & peregrinæ cogitationes.

(*b*) Quibus animus facilè inescatur & ad inordinatam sui prosecutionem aut charitatem pertrahitur, atque hoc ipso abstrahitur à vero Dei amore.

(*c*) Neque enim omnis cura rerum terrenarum, quæ per providentiam Dei nobis objiciuntur, abdicanda est, ea verò tantùm impedit amorem divinum, qnæ non dirigitur lumine divino, præsertim supernaturali, post lapsum.

(*d*) Scilicet hâc ratione fit, ut res terrenæ spectentur in se aut, quoad bonitatem suam (quam non nisi secundùm quid habent) non considerata vel dependentia à Deo, vel summa inæqualitate, quam habent, si conferantur cum Deo.

(*e*) Seu quod idem est, mundum & delicias ejus amantibus magis, quam Deum: qui

sua velut labe facilè inficiunt alios, vel non advertentes.

(*f*) Nam prorsùs ab ejusmodi hominum consortio liberali in hac vita non possumus: cum Ecclesia semper similis sit agro, in quo triticum zizania penes se habet. Sed qui hominibus à Deo alienis plus justo tribuunt, aut placere studeant; vel certè minùs sibi ab his cavent, hi demùm in transversum aguntur.

§. VI.

Ut ergò impedimenta removeantur (*a*), necesse est, I. ut media amoris divini (*b*) diligenter observentur. II. Ut cum usu rerum terrenarum, conjungatur cura aut solicitudo de justo ordine ac limitibus (*c*) curandi aut prosequendi ea. III. Ut in conversatione quotidiana, non solùm suasiones & postulata hominum, sed actiones quasvis, priusquam sequamur, aut imitemur, aut magifaciamus, ad legis divinæ regulam examinemus (*d*).

NOTÆ.

(*a*) Et vitia ipsi Amori divino opposita caveantur.

(*b*) Mediatio rerum divinarum inprimis, ac preces: de quibus suprà. §. IV.

(*c*) Nimirum ut post Deum, nec nisi juxta voluntatem ejus, appetantur, atque usus eorum ad

ad Dei gloriam referatur. Unde simul imperfectionem, inconstantiam & fallaciam eorum bonorum considerare necesse est.

(d) Sic enim constabit, utrum nos abducturæ sunt ab amore Dei, si sequamur? an salvo amore Dei sequi nobis liceat?

§. VII.

Signa veri amoris Dei sunt: I. Peccatorum, (a) ideò, quia peccata (b) sunt, seria & gravis (c) adversatio (d). II. Studium agendi ea, quæ Deus (e) jubet, & gaudium (f) de talibus, licet non sine labore (g) & molestia peractis. III. Tolerantia (h) adversorum quorumlibet pro Dei nomine aut gloria. IV. Zelus (i) pro cultu & gloria Dei. V. Desiderium conversationis cum Deo (k) arctioris aut familiarioris. VI. Amor (l) proximi, velut propter Deum (m) amabilis & amati.

NOTÆ.

(a) Etsi cum voluptate aut commodo temporali conjunctorum.

(b) Scilicet hoc ipsô adversa Deo.

(c) Quæ quò magis firma est, eò rectiùs indicat amorem Dei fixum. Intelligitur autem inprimis adversatio peccatorum patrandorum: quamvis neque adversatio patratorum, aut adhærentium nobis, planè sit excludenda. Datur enim & contritio, cujus motivum est dilectio Dei.

(d) Aliqui hîc nominant *non-dilectionem mundi*, & *eorum, quæ sunt in mundo*: juxta *I. Joh. II, 15. 16.* quæ cum odio peccatorum, in mundo grassantium, facile coincidit. Referunt etiam huc *tristitiam*, si quæ Deo ingrata aut à nobis, aut ab aliis facta sint, ortam; eodem sensu, quo nos aversationem peccatorum patratorum memimimns.

(e) Obedientiam *activam* aliqui appellant.

(f) Nam agere, quod vult alius, etiam timentis est, sine amore: sed agere libenter, & gaudere agere vel egisse, quæ vult alius, & quia vult: amantis est. Ita David amorem suum erga Deum declarat per amorem præceptorem ejus. *Psal. CXIX, 136. 139.*

(g) Scilicet ipse amor minuit aut tollit laboris & molestiarum sensum: nec tàm indicium est amoris, quô alterum prosequaris, facere, quæ ex se jucunda aut levia sunt, quàm contemnere ac superare molestias, ut alteri rem gratam præstes.

(h) Quam quidam Obedientiam *passivam* vocant: quâ voluntati divinæ, mala tristia imponenti, nos subjicimus; ita ut quæ aliàs adversa forent, jam volentes sustineamus, quando ab eo, quem diligimus, proficiscuntur: quod exemplis Martyrum patet. Ac Doctores monent, tunc maximè apparere charitatem nostram erga Deum, quando crucem non solùm

abs-

absque murmure animoque tranquillo; sed cum gaudio suscipimus.

(*i*) Seu sancta indignatio, adversùs ea, quæ Deo ejusque cultui promovendo aut perficiendo adversantur: exemplo *Pauli*, cujus *Spiritus irritabatur* (παρωξύνετο) cum Athenis videret idololatriam vigentem, neque mox haberet occasionem eam oppugnandi aut destruendi, verumque Dei cultum instaurandi. *Act. XVII, 16.* & *Davidis*, qui de se ipso (aut forte potiùs in persona Messiæ, juxta *Joh. II, 17.*) ad Deum: *Zelus domus tuæ comedit me. Psal. LXIX, 11.*

(*k*) Non solùm, quoad preces ad Deum crebriores; verbi divini privatam, & in cœtibus publicis, tractationem sedulam cum meditatione & ruminatione intimâ conjunctam: sed inprimis quoad desiderium exeundi ex hac vita, vanitati & peccatis obnoxia, ac pertingendi ad visionem Dei beatificam, perfectamque cum Deo unionem: juxta verba Davidis, *Psal. XLII, 3.*

(*l*) Quem tanquam signum amoris erga Deum, prædicat *S. Johannes* I. Ep. IV, 12. 20. 21. cap. III, 17. cap. V, 1.

(*m*) Alias enim potest aliquis amor hominum cadere in homines absque amore Dei: quando propter bonum qualecunque in ipsis deprehensum diliguntur, sine relatione ad Deum.

§. VIII.

Ad Amorem Dei etiã referri debet Amor seu

seu dilectio Christi (a) Mediatoris secundùm utramque (b) naturam: quem homo ut in (c) se & sibi (d) bonum ita amplectitur, ut cum eo arctissimè conjugi (e); sed & placere ei (f) per actus sanctissimæ voluntati ejus (g) conformes, ardenter cupiat.

NOTÆ.

(a) Continetur sanè virtualiter in lege divina de diligendo Deo, etiam obligatio ad diligendum θεὰ θεοπον, eumque Mediatorem.

(b) Ita ut officium hominis, quod divinæ Christi naturæ ex se debetur; humanæ quoque naturæ, vi unionis personalis & communicationis idiomatum; atque ita toti Christo, præstandum sit.

(c) *In quo* πᾶν τὸ πλήρωμα τῆς θεότητος σωματικῶς *omnis plenitudo Deitatis corporaliter habitat. Coloss.* II, 9.

(d) Quippe qui *factus est nobis justificatio, sapientia, sanctificatio & redemtio. I. Cor. I, 30.*

(e) Velut spirituali & indissolubili conjugio copulandus: *Eph.* V, 30. 31. 32. imò velut *cum Christo esse* prorsùs ac sine fine, velit *Philipp.* I. 23. Atque hæc hactenùs tradita Amorem Concupiscentiæ seu Complacentiæ designant.

(f) Juxta indolem Amoris Benevolentiæ aut Amicitiæ.

(g) Pro-

(g) Prout, quia *agunt juxta mandatum* Christi, *amici* ejus dicuntur ab ipso. *Johann.* XV. 14.

§. IX.

Oppositum ejus est: I. Odium (a) Christi, quò homines eum, ut bonum, non amant, (b) neque rem gratam præstare (c) student, sed potius ei (d) adversantur. II. Amor inordinatus, quò homines intuitu bonorum (e) temporalium, aut ut effugiant (f) mala hujus vel futuræ vitæ, tantùm amant & sectantur Christum; vel in ea, quæ illi reverà sunt adversa, tamen quasi (g) Christo placerent, feruntur.

NOTÆ.

(a) Juxta analogiam eorum, quæ de Odio Dei diximus, facile intelligendum.

(b) Οὐφιλεῖσι τὸ Κύριον Ιησοῦν Χριστόν. I. *Cor.* XVI, 22: sed contemnunt, negligunt: ἐξουθενοῦσι τὸ λίθον, τὸν κεφαλὴν γωνίας: *reprobant* (aut rejiciunt, tanquam rem nihili, *lapidem, qui est caput anguli. Matth. XXI, 42. Act.* IV, 11. ex *Psal.* CXVIII, 22 ἀποδοκιμάζει eum dicuntur *Marci* XII, 10, *Lucæ* XX, 17. I. *Pet.* II, 7.

(c) *Præcepta* ejus *non* volentes *servare. Joh.* XIV, 24. Et quando is *vult* eos *congregare*, ipsi *nolunt. Matth. XXIII, 37.*

(d) Μισοῦντες καὶ διώκοντες: *odio habentes & prosequentes* eum juxta *Joh* XV, 20. 23. 25. *denuò crucifi-*

cifigentes sibi ipsis filium Dei, & ludibria exponentes. Ebr. VI, 6.

(*e*) Quales Christus describit *Joh. VI, 26. quæritis me*, inquiens, *non quia vidistis signa, sed quia comedistis de panibus, & saturati estis.*

(*f*) Verus enim amor Christi, etiam ablatô malorum sensu & metu, ad hominis cum Christo conjunctionem perpetuam tendit. Alter ergò ille inordinatus est.

(*g*) Nimirum & hic datur zelus non secundùm scientiam: uti suprà vidimus.

§. X.

Motiva veri Amoris Christi [*a*] sunt: I. Christi, tanquam θεανθρώπου [*b*] præstantia. II. Amor Christi erga [*c*] nos, nostro erga ipsum amore [*d*] prior, gratuitus [*e*], & beneficiis [*f*] ingentibus conspicuus, perpetuo [*g*] etiam & captum nostrum [*h*] excedens. III. Amoris hujus [*i*] dignitas & [*k*] fructus. IV. Oppositorum [*l*] dedecus & [*m*] noxa.

NOTÆ.

(*a*) Quæ similiter juxta analogiam motivorum amoris Dei §. III. damus.

(*b*) Cui proinde perfectiones summæ secundùm divinam naturam necessariò; secundùm humanam naturam per unionis gratiam competunt. Neque alienum est, quod *Psal. XLV, 3.* de Messia dicitur, quod sit *pulchrior effectus*

fectus præsiliis hominis; id est quoad dona gratiæ, quæ secundùm H N. accepit, nulli hominum comparandus Adde quæ sequuntur l. c.

(c) Cùm in genere omnes homines, tùm speciatim fideles. De illa constat ex eo, quod Christus est mediator omnium: *I. Tim II.5.* de hac expresse loquuntur dicta *Joh.* XIII,1. & 34. cap. XIV, 18.21.cap. XV.9.c.XVII,23.

(d) Nempè *cùm adhuc inimici* essemus, quemadmodum *Dei*, ita ipsius Christi; in *reconciliationis* opere laboravit. *Rom. V.10.*

(e) Quod patet ex collatione personarum, Christi amantis & hominum amatorum: inprimis si spectetur status horum, etiam tunc amatorum, cùm essent inimici.

(f) Quorum primum est redemtio per sanguinem & mortem suam *I. Tim. II,5. I. Pet. I,18. 19. I. Cor. VI, 20.* ubi luculenta amoris maximi declaratio. *Eph. V, 20. 25. I. Joh. III, 16. Apoc. I, 5.* Hinc *orta justificatio* nostra, *Rom. III. 24. 25.* cap. V, 16. *pax cum Deo, Rom. V, 1.* & *accessus* ad eum *cum fiducia. Ephes. III, 12.* vires *benè operandi. Ephes. II. 10. Spes gloriæ Dei*, seu vitæ æternæ. *Rom. V, 2.* unde Deus Pater nos *omni benedictione spirituali*, in eo, seu *per* aut propter eum, vel eô promerente *benedixisse* dicitur. *Ephes. I, 3. 5.*

(g) Velut initio *conjugio* indissolubili. *Hoseæ II, 19. Ephes.* V. v. 22. ad 32.

(h) Est enim ὑπερβάλλουσα τῆς γνώσεως ἀγάπη τοῦ Χριστοῦ. *Ephes. III, 19.*

(i) Re-

(i) Respondet enim voluntati divinæ; & nos Christo conformes facit. Hinc & laudantur, qui cùm *Christum non viderint, tamen diligunt. I. Pet. I, 8.*

(k) Quos breviter comprehendens Christus, ait: *Qui diligit me, diligetur à Patre meo, & ego diligam eum, & apériam ei meipsum. Joh.* XIV, 21. & paulò pòst: *ad eum veniemus*, ait (ergo & Pater meus) *& mansionem apud eum faciemus.* v. 23. Efficax etiam est votum Pauli, *Gratia sit cum omnibus diligentibus Dominum nostrum Jesum Christum* ἐν ἀφθαρσία i.e. *sincerè. Ephes.* VI, 24.

(l) Carent enim, qui Christum non amant, charactere filiorum Dei, & pro spuriis habentur *Si Deus pater vester esset, diligeretis utique me:* dicit Ghristus ad Judæos. Tacitè autem subsumit: Sed non diligitis me, & concludit: Ergò non habetis patrem Deum, verùm tanquam *è stupro* nati estis. *Joh.* VIII. 41. 42.

(m) Graviter Paulus I. *Cor.* XVI, 22. *Si quis non diligit Dominum Jesum Christum, sit* ἀνάθεμα μαραὰν ἀθά: extremi anathematis specie damnatus: quâ homines, velut deploratissimæ spei, horrendo Dei judicio relinquuntur.

§. XI.

Media (a) præstandi hujus officii sunt: I. Motivorum, inprimis (b) amoris & beneficiorum Christi consideratio (c) frequens ac devota. II. Exercitia sacra cum aliis (d) Christum

stum diligentibus. III. Preces ad Deum, Christumque (e) θεάνθρωπον, pro dono amoris sui.

NOTÆ.

(a) Quæ respondent illis, quæ §. IV, tradita fuerunt.

(b) Ita Paulus *charitate Christi* se *constringi*, συνέχεσθαι, velut undique cinctum, adigi, ad agendum & patiendum omnia pro Christi nomine & gloria, ait *II. Cor. V, 14.*

(c) Sic iterum Paulus ad Timotheum: Μνημόνευε Ἰησοῦν Χριστὸν, *memento Jesum Christum resuscitatum ex mortuis. II. Tim. II, 8.* Et ad *Ebr. XII, 2.* jubentur fideles omnes *respicere* (ἀφορᾶν) *ad fidei Ducem & consummatorem Jesum* &c. scilicet ne languescat amor ipsorum, quando tot adversa sunt sustinenda.

(d) Ut, dum se *mutuò docent & commonefaciunt, omnia agant in nomine Domini Jesu. Coloss. III, 17.*

(e) Quò spectant ex Jubilo *Bernhardi* hæc verba: *Jesum omnes agnoscite, Amorem ejus poscite, Jesum ardenter quærite, Quærendo inardescite.* Et rursùs: *Jesu mi bone sentiam Amoris tui copiam, Eia mihi per præsentiam Tuam videre gloriam.* Quanquam totus ille Jubilus hîc & ad præcedentia conferri mereatur.

§. XII.

Impedimenta amoris Christi & quæ ad re-

movenda illa conducunt, eadem sunt cum his, quæ in Amoris Dei consideratione occurrunt.

NOTA.

Vid. §. V. & VI.

§. XIII.

Signa quoque genuini amoris Christi cum signis amoris Dei [a] facilè conveniunt, modò observetur relatio eorum ad Christum [b].

NOTÆ.

[a] vid. §. VI.

(b) v. g. Si peccata, ideò quia Christo adversantur, aversemur: si præcepta Christi [quæ quidem non alia sunt à præceptis legis divinæ: ut suprà vidimus] observemus. Confer *Joh. XIV, 21. I. Joh. II, 5. II. Ep. v, 6.* Si adversa pro ejus nomine, & gloria fortiter aut hilariter toleremus. *Phil. I, 29.* Si zelô, pro cultu aut gloria ejus corripiamur, exemplô Pauli, *II. Cor. XI. 2, 3.* si conversationem cum Christo arctiorem, imò intimam & æternam desideremus ejusdem Pauli exemplô, *Phil. I, 23.* Si proximum propter Christum diligamus, *Joh. XIII, 34 35.*

CAPI-

Capitis VII. Sectio V.

De FIDUCIA ERGA DEUM.

§. I.

SEquitur, inter officia hominis renati erga Deum, Fiducia (a) in Deo defigenda, ita ut voluntas nostra in illo, tanquam bono (b) nostro & causa (c) omnium bonorum, cùm (d) temporalium, tùm (e) spiritualium, à nobis (f) impetrandorum; & malorum (g), quæ nos premunt, aut nobis imminent, depellendorum (h), placide (i) atque unice acquiescat (k).

NOTÆ.

(a) Quæ h. l. distinguitur à Fide speciali, etiam ex parte fiduciæ accepta; quippe quæ pro objecto habet Christum, ut causam impetrandæ remissionis peccatorum. Hæc autem, de quâ nunc loquimur, præsupponit in homine renato fidem in Christum. Confer *Ephes. III, 12.*

(b) Nempe nobis per Christum reconciliato: quod omninò post lapsum requiritur, ut fiducia nostra in Deo collocari possit. Quamvis enim in statu integritatis homo in Creatore suo citra impedimentum fiduciam ponere potuerit; tamen intercedente peccato, Deus ab hominibus alienior est, quàm ut ei hi confidere

possint, quoadusque non est reconciliatus. Unde neque hîc excluditur respectus ad Christum Mediatorem, qui non tantum causa meritoria est nostræ reconciliationis cum Deo & remissionis peccatorum; sed & aliorum bonorum à Deo reconciliato nobis conferendorum. vid. *Ephes. I. 3.* Et sic generaliter dicimur *Fiduciam habere per Christum ad Deum. II. Cor. III, 4.*

(*c*) Efficiente principali, ac certissima: imò tali, quæ etiam sine mediis agere & juvare possit & velit. Vid. *Psal. III, 3. 4. 9. XVIII, 2 3. CXX, 2. 8. CXL, 8.* ubi David, denegatô sibi undecunque auxilio, tamen in Deo se illud paratum habere affirmat.

(*d*) Si illa nobis sint futura salutaria, accedant in gloriam Dei, quod agnovit Centurio *Matth. VIII, 2.* & Paulus *Philipp. I, 20.*

(*e*) V. g. ut in tentationibus vincamus, ut consolationem & gaudium inveniamus. *I. Cor. X, 13. II. Cor. XII, 9.*

(*f*) Nimirum ad fiduciæ actus non sufficit, si generaliter credamus, Deum omnia posse, & ab ejus providentia pendere omnia; sed requiritur, ut habitâ nostri statûs ratione, in Deum, tanquam causam bonorum nobis necessariorum aut utilium, feramur.

(*g*) Prout à malis liberari aut arceri, boni rationem habet.

(*h*) Sive totaliter aut prorsùs; sive ex parte aut secundùm quid: mitigando, aut minuendo mala, ut ferri possint.

(*i*)

(*i*) Sine hæsitatione aut fluctuatione, ita ut potius includatur securitas de assequendis bonis futuris: prout de spe renatorum, fiduciæ conjuncta, mox videbimus.

(*k*) Habitô scilicet respectu causæ primæ atque independentis, quæ sit objectum & fundamentum fiduciæ ultimum; cui simpliciter & super omnia confidere dicamur. Nam aliàs potest homo, præter Deum, sed tanquam sub Deo aut dependenter à Deo, ejusque gratia, promissione, concursu, fiduciam aliquam collocare in creaturis, tanquam mediis, obtinendi alicujus boni: prout *maritus in uxore prudente & proba confidere* dicitur. *Proverb. XXXI, 11.* Et alias homines Deo & bonitati causæ suæ; Deo & arti, confidere dicuntur. Quod quidem ut rectè fiat, observandum est, quòd fiducia nostra non ita sit creaturis illis, tanquam mediis, alliganda aut affigenda; ut non etiam Deo, tanquam absque illis agere potenti, & ubi gloria ipsius postulat, agere volenti, confidere parati simus: interim verò etiam res illas non nisi Deo volente ac dirigente, prodesse nobis posse aut profuturas esse persuasi simus: quâ ratione non tàm ipsis creaturis, quàm Deo, liberè ac potenter illas gubernanti, & per illas nos juvanti, confidere & in eo solo acquiescere nos constabit.

§. II.

Pugnant cum Fiducia in Deo, partim Confidentia (*a*) nimia eorum, qui cum Deũ non

(*b*) colant, gratiam tamen divinam sibi (*c*) applicant: partim Diffidentia erga (*d*) Deum, quà homines, vel in aliis (*e*) extra Deum potiùs, quàm (*f*) in Deo ipso fiduciam collocant: vel titubant ac turbantur (*g*) animo, aut fiduciam omnem (*h*) abjiciunt.

NOTÆ.

(*a*) Quanquam enim in Deo, & juxta ordinem divinitùs institutum, nemo possit nimiùm confidere Deo, in quem firmissimè recumbere nostra voluntas debet: dicitur tamen nimis confidere, qui ordinem divinum excedens, nihilominùs Deo, tanquam causâ bonorum a se obtinendorum, niti audet.

(*b*) Sive sint prorsùs extra Ecclesiam, sive intra cœtum Christianorum, homines lapsi & impœnitentes, vel manifestè scelerati, vel hypocritæ.

(*c*) Dicentes: *Annon Jehova in medio nostrî* [est]*? non superveniet nobis malum*: exemplo Israëlitarum, *Mich.* III, 11, aut verbis à *Jeremia* notatis: *Templum Domini* [hîc est]: *Templum Domini: Templum Domini:* Itaque Deus nobis causa prosperitatis est. cap. VII, 4.

(*d*) Quæ vel carentiam omnis fiduciæ importat; de qua sub finem thesios videbimus: vel fiduciam quidem aliquam, non autem in Deo, uti par erat, defixam.

(*e*) Qua-

(e) Quales sunt, qui *Intelligentiæ suæ innituntur. Proverb. III,5.* qui *confidunt in Opulentia sua, & in multitudine divitiarum suarum gloriantur. Psal XLIX.7.* Qui *fiduciam habent in homine,* [robore corporis, Auctoritate aut potentia civili sua aut aliorum,] *& statuunt carnem brachium suum; à Jehova autem recedit animus eorum. Jerem. XVII,5.* Qui *suæ malitiæ & violentiæ confidunt. Psal. LXII,11. Esaiæ XXX,12.13.* cap. XLVII,10. Imò etiam, qui in his, quæ ad vitam Christianam rectè ducendam & cavendos lapsus attinent, *viribus aut meritis propriis nimium tribuunt:* exemplo *Petri, Matth. XXVI,33. 34. 35.* In quibus omnibus, nimia de se aut creaturis aliis confidentia, fiduciæ in Deo detrahit, eamque tollit.

(f) Nam quomodo post Deum, aut sub Deo, aliqua in creaturis fiducia absque vitio poni possit, diximus ad §. præced. I. not. ult.

(g) Prout Gideon; *Si est Jehova nobiscum*, ait, *at quare obvenit nobis totum hoc? & ubi sunt omnia mirabilia ejus?* &c. *Judic. VI,13.* Et David, *fluctuando perstrepens, cùm obrueret se spiritus ejus vehementissimè, cùm animo suo meditatus & spiritu suo perscrutante*, dixit: *an oblitus esset gratiam facere Dominus? Psal. LXXVII,4.7.10.* Quò etiam spectat, quando homines Deo liberationis tempus præfigunt: quod Judæi Bethuliam incolentes fecerunt, *Judith.* VIII, 10. seqq.

(h) Quemadmodum Zijon dixit: *Dereliquit me*

me Jehova, & Dominus oblitus est mei. Jesaiæ XLIX, 14. Apostolus dicit, homines ἀποβαλεῖν τὴν παῤῥησίαν, *abjicere fiduciam. Ebr. X, 35.*

§. III

Motiva Fiduciæ in Deo ponendæ sunt: I. Perfectio Dei summa, cujus vi potest (*a*) & vult (*b*) nobis esse causa bonorum omnium. II. Mandatum ejus (*c*) expressum. III. Confidentium in Deo, status (*d*) felix; ex divina [*e*] gratia, tutela [*f*], auxilio [*g*]; hinc tranquillitate [*h*] & hilaritate [*i*] animi eorum: imo pace [*k*] externa, denique gloria [*l*] æterna. IV. Ignominia & damnum eorum, qui inepte [*m*] in Deo confidunt, aut in rebus aliis plus [*n*] confidunt, aut fiducia prorsus [*o*] carent.

NOTÆ.

(*a*) Partim, quòd per Omniscientiam suam novit indigentiam nostram, [quod argumentum Christus ipse inculcat, *Matth. VI, 31. 32.*] & per Sapientiam suam in promtu habet viam aut rationem, quâ nobis subveniri possit: (Quod Petrus urget, *II. Ep. II, 9.* *Novit*, inquiens, *Dominus pios extentatione eripere.*) partim quod Potentiâ infinita pollet, ad efficienda omnia, quæ conducunt. Quod Abrahamum movit, ut fiduciam in Deo collocaret: juxta

Rom.

Rom. IV, 21. & *Paulum*, in periculis publicis & propriis. II. *Tim.* I, 12. Confer. *Epheſ. III, 20.*

(*b*) Vi bonitatis ſuæ, quàm David commendat. *Pſal. XIII, 6. XXXVI, 8.* & Chriſtus *Matth.* VII, 11. Unde huc etiam pertinent promisſiones, quibus Deus declaravit, ſe velle nobis conferrè bona: ea namque certitudo movere nos poteſt ad confitendum Deo. Ita ad *Ebr.* cap. XIII, v. 5. & 6. hæc legimus verba: *Ipſe dixit* [nimirum *Joſuæ I, 5.*] *Non te deſero; neque te derelinquo. Ut fidentes* [θαῤῥοῦντες] *dicamus* [ex *Pſal. LVI, 5.* & *12. CXVIII, 6.*] *Dominus mihi auxiliator, nec timebo, quid faciat mihi homo?*

(*c*) Promulgatum per Davidem. *Pſ. LXII, 9. Confidite ei omni tempore, ò populo — Deus receptui nobis eſt maximè:* & per *Salomonem, Proverb. III, 5. Fiduciam habe in Jehova ex toto animo tuo:* per *Eſaiam cap XXVI, 4. Confidite Jehovæ usq; in ſempiternum, nam in Jehova rupes ſeculorum eſt.*

(*d*) *Beati omnes, qui ſe recipiunt in eum!* dicitur *Pſal. II, 12.* & repetitur *Pſal. XXXIV, 9. LXXXIV, 13. Prov. XVI, 20.* Notanter etiam *Jeremias: Benedictus vir ille, qui fiduciam habet in Jehova, & cujus confidentia eſt Jehova. Nam erit ſimilis arbori plantatæ ſecundùm aquas & ſecundùm proceſſum* (aquarum) *mittenti radices ſuas, quæ non ſentit, quum advenit æſtus, ſed ſunt folia ejus virentia, & anno cohibitionis* [ſterilitatis ex defectu pluviæ] *non eſt ſollicita, neque deſinit, quin faciat fructum. cap. XVII, 7. 8.*

(e) *Agnoscit* enim *Jehova* (cognitione cum affectu benevolentiæ aut amoris conjuncta) *recipientes se ad ipsum. Nahum. I,7.*

(f) *Clypeus* est Deus *omnibus, qui se recipiunt ad eum. Psal. XVIII,31. II, Sam. XXII,31. Turris robusta est nomen Jehovæ: quò accurrens justus in edito collocatur. Proverb XVIII,10.* Confer *Psal. XXXI,20.21.22.*

(g) Non solùm ad arcenda, sed & auferenda mala, & conferenda bona. *Separat* enim *benignitates suas* [singularia benignitatis suæ documenta præstat, juvando & benefaciendo] *servat recipientes se ad dexteram suam*, Deus, *ab insurgentibus. Psal. XVII,7. Salus Justorum à Jehova est: robur eorum tempore angustiæ. Et adjuvat eos Jehova & liberat eos: liberat eos ab improbis, ac servat eos; quia recipiunt se ad ipsum. Psal. XXXVII,39.40.*

(h) Ut excludatur formido & anxietas: quemadmodum regnante Abia, & insurgente contrà Jeroboamô, *fortificati* sunt *filii Jehudæ, quia nitebantur Jehova, Deo majorum suorum. II. Chronic. XIII, 18.* Confer *Psal. XCI,1.* seqq.

(i) *Lætabuntur omnes se recipientes ad te, in seculum canent, quos protecturus es, & exultabunt in te amantes nominis tui. Quia tu benedicis justo, Jehova, facis ut benevolentiæ, tanquam umbo, circumtegat eum:* quæ verba Davidis sunt ad Deum suum. *Psal. V,12.13.*

(k) Exemplô Judæorum, tempore Abiæ, con-

contra quos *non obtinuit amplius vim Jeroboamus II. Chron. XIII,20.*

(*l*) Scilicet *domus* Dei *sumus nos*, ubi perpetuò habitabit, *si fiduciam* [παῤῥησίαν] *& gloriationem spei ad finem usque firmam tenuerimus. Hebr. III,6.*

(*m*) Ita ad Judæos impios ac temerè confidentes per *Jeremiam*: *Ecce vos habetis fiduciam in verbis falsis, & minimè profuturis.* An *furando, occidendo & adulterando, jurandoque falsò, & adolendo Baali, denique sequendo Deos alienos, quos non novistis; etiam venietis & stabitis coram me in domo hac?* cap. VII, 8. 9. 10. & per *Micham*: *Idcircò*, ait, *vestrâ causâ Zion ut ager arabitur, & Jerusalem in acervos abibit, & mons ipsius Domini in excelsa sylvosa.* Cap. III, 12.

(*n*) *Sic ait Jehova: Maledictus vir ille, qui fiduciam habet in homine, & statuit carnem brachium suum; à Jehova autem recedit animus ejus. Erit enim similis nudatissimæ* [arbori] *in loco campestri, quæ non sentit, cum advenit bonum; quæ sita est in siccissimis* [locis] *in deserto, terra salsuginosa, & inhabitabili. Jerem. XVII,5. 6.* Confer *Esaiæ XX,5. 6. XXXI,1. Psal. LII,8. 9.*

(*o*) Prout Israëlitæ ad terram Canaan à Deo deducendi, sed in Deo non confidentes, *in requiem* illam *suam non pervenerunt. Ebr. III,18.* ex *Numer. XIV,36.*

§. IV.

§. IV.

Media hanc functionem adjuvantia [*a*] sunt: I. Diligens consideratio motivorum [*b*]. II. Exemplorum fiduciæ insignioris & felicis [*c*] contemplatio. III. Beneficiorum Dei antecedentium [*d*] recordatio. IV. examen statûs nostri, quoad nostram cum Deo [*e*] conjunctionem. V. Preces pro confirmatione [*f*] animi nostri infirmi; proque ipsa bonorum desideratorum [*g*] collatione.

NOTÆ.

(*a*) Quidam *fundamenta*; alii *fulcra* fiduciæ appellant.

(*b*) Præsertim Sapientiæ, Potentiæ, Bonitatis & Veracitatis divinæ: unde non solùm cognoscimus, quod debeamus confidere in Deo, sed & fiducia ipsa mox oritur, & vacillatura aliàs, firmatur.

(*c*) Ita *Siracides* cap. II, 11. *Aspicite antiquas ætates & videte. Quis fiduciam habens in Domino, pudefactus est?* &c. Et *Matthithias*, adductis ex historia Patriarcharum pluribus exemplis, Lib. I. Maccab. cap. II, 51. seqq. concludit v. 61. *Sic igitur cogitate in generationem quamcunque. Quicunq; sperem habent in illo, eos non infirmatum iri.*

(*d*) Si enim aliena exemplа tantum possunt, quantò magis experientia propria amoris & curæ atque auxilii divini? Unde graviter

David

David: *Propono mihi*, ait, *Jehovam jugiter: quia à dextera mea est, non dimovebor. Psal. XVI, 8.* Unde quidam hoc symbolo, delectati sunt: *Jova juvat, juvit Jova, idem Jova juvabit.*

(*e*) Nempe animus de reconciliatione sui cum Deo, adeoque Dei optimi Maximi gratia, certus, facilè fiduciam concipit & ponit in Deo.

(*f*) Sic fiducia, utpote donum Dei, à Deo impetratur. Confer. *Marci IX, v. 24.*

(*g*) Ita enim communiter preces vel ordimur vel claudimus, ut fiduciam in Deo collocemus, Deum eas benignè auditurum persuasi simus. vid. *Matth.* VI, 9. & 13.

§. V.

Impedimenta ejus sunt, præter ipsum neglectum (*a*) Motivorum ac Mediorum, I. Amor & Cura (*b*) rerum temporalium. II. φιλαυτία (*c*) inordinata. III. Peccata (*d*), quibus à Deo avertimur.

NOTÆ.

(*a*) Quando enim non rectè expenditur Dei vis & prouitas ad bona nobis conferenda & collata: quomodo fiduciam in eo, tanquam causa bonorum collocabimus?

(*b*) Ita enim, si bona ejusmodi præstò sint; magis in istis fiduciam collocat animus, quàm in Deo, quem minùs amat: si absint, fit, ut homo anxietati ac diffidentiæ potius subjiciatur, quàm

quàm ad fiduciam in Deo ponendam admittatur.

(c) Unde homo excœcatus, si quid habere se putat virium: sibi plus justo fidit, ac Dei obliviscitur: mox infirmitatem suam deprehendens, atque aliunde desertus, animum prorsus despondet.

(d) Cùm enim Deus justus sit, & peccatorum vindex; non tàm ipsum, ut causam bonorum conferendorum, quàm malorum infligendorum, intueri potest homo, peccatorum suorum sibi conscius.

§. VI.

Ergo ut removeantur impedimenta, præterquam quod motiva atque media sedulo observanda sunt, I. Rerum temporalium Levitas (a) & (b) Incertitudo: II. Nostra ipsorummet (c) Infirmitas, frequenter & cum studio expendi: III. Peccata vero omnia (d) solicite caveri debent.

NOTÆ.

(a) Dignitas & Pretium vile; præsertim si cum spiritualibus comparentur.

(b) Quoad existentiam suam, & possessionem nostram, & fructum hinc expectandum. Quæ si considerentur, non erit, cur fiduciam in illis collocemus.

(c) Ita enim, quando nobis diffidimus, in eum

eum recumbemus, cujus *vis in infirmitate nostra perficitur. II. Cor. XII, 9.*

(*d*) Nihil enim, nisi peccatum, dividit inter homines & Deum : & vitato peccato Deus nobis conjunctus fiduciam nostram omninò fulciet.

§. VII.

Signa veræ in Deo collocatæ fiduciæ sunt : I. In precibus esse (*a*) frequentem, & peractis precibus (*b*) hilarem. II. Deficiente in rebus adversis aut periculosis humanô præsidio vel auxilio, tamen (*c*) erecto esse animo : III. Temporalia omnia (*d*) habere suspecta aut (*e*) contemta.

NOTÆ.

(*a*) Sic enim prodit se illa παῤῥησία & πεποίθησις, quam habemus erga Deum, quando, licet humiliter, promtè tamen accedimus & desideria nostra exponimus.

(*b*) Jam suprà enim diximus; Hilaritatem animi esse consequens aut fructum quendam fiduciæ. Hîc eam spectamus, uti declarat fiduciam, ex qua nascitur.

(*c*) Equidem sunt fortasse etiam homines impii aliquando audaces, absque fulcro fiduciæ : quæ aperta stoliditas est. Loquimur autem hîc de animo, periculorum aut adversitatis gnaro, & tamen erecto ; nec simulante coram aliis, sed in se deprehendente firmitatem

aut

aut robur quoddam internum; præsertim Dei suique non negligente. Quâ ratione fiducia in Deo posita, homini ipsi, qui eâ pollet, non obscurè se manifestat.

(d) Etiamsi præstò sint, vel abundent: habere autem ea suspecta, quatenus subjacent directioni divinæ; neque ex se, & absque illa, juvare aut prodesse possunt. Sic enim, subtracta horum omnium fiduciâ, non tamen nullâ niti causâ bonorum; est, causâ primâ, seu Deo O.M. niti.

(e) Non quasi nullius sint usûs: sed quatenùs, ut modò diximus, divini directioni, à qua pendent, subjiciuntur, & ad alium præstantiorem finem referuntur.

Capitis VII. Sectio VI.

DE

SPE BONORUM DIVINORUM.

§. I.

Fiduciæ Christianæ vicina (a) est Spes, quæ est expectatio (b) firma & constans (c) futurorum (d) bonorum, spiritualium (e) & temporalium (f), tanquam divinitùs (g) & juxta (h) voluntatem Dei conferendorum: præcipuè (i) beatitudinis (k) æternæ.

NOTÆ.

NOTÆ.

(a) Non prorsùs eadem cum fiducia: sed cognata, & quasi filia ejus. Quando enim voluntas acquiescit in Deo, tanquam causâ bonorum; jam statim etiam expectantur eadem bona, propter illam causam. Interim differentia manifesta est, ex diversa ratione objectorum. Fiducia enim versatur circa bonum præsens, quod est causa absentium aut futurorum. Spes autem versatur circa bonum nondum obtentum, adeoque absens, obtinendum tamen per illam causam.

(b) Ita Paulus: *Si, quod non videmus, speramus, id per patientiam expectamus* [ἀπεκδεχόμεθα] *Rom. VIII, 25.* Et B. D. *Chytræus* dicit, *Formam* Spei esse *expectationem in voluntate & corde.* Regg. vit. p. 47.

(c) Immotam & perdurantem quidam appellant. Talem David indicaturus; *Ego*, ait, *jugiter in expectatione sum. Psal. LXXI, 14.* Et *Psal. CXXX, 5 6. Expectavi Jehovam, expectavit anima mea, etiam in verbo ejus expectationem habeo. Animus meus erga Dominum* [studiosior est] *quàm excubiarum usque ad matutinum; excubantium ad matutinum usque.* Confer *Habac. II, 3. Ebr III, 6. VI, 11.* Quam obrem etiam tolerantia moræ ad spem requiritur: & dicuntur fideles διὰ ὑπομονῆς, *per patientiam, expectare*, quod *sperant Rom. VIII, 25.*

(d) Vel ratione substantiæ, vel saltem ratione no-

ne nostræ possessionis ac fruitionis, quæ nondum est, sed futura. Fieri enim potest, ut res existat, sed nondum sit nostra, prout cupimus: expectetur ergò & speretur rei consecutio & fruitio.

(*e*) Quæ ad continuationem gratiæ justificationis & renovationis, hujus quoque augmentum pertinent. Pertinet huc spes veterum, de Messia, qui proinde dicebantur *expectare solatium*, aut *redemtionem Israelis*. *Luæ II, 25. 38.* Confer *Genes. XLIX, 18.*

(*f*) Quæ ad vitam terrenam & civilem, ejusque indigentiam & commoditatem pertinent; & sunt vel interna corporis; vel externa fortunæ (ut vulgò vocantur): quatiquam & animi bona naturalia, ad temporalem seu terrenam felicitatem ordinata. Ita obsessi Israelitæ, liberationem; *Judith*; VIII, 16. ægroti ad lacum Bethesda: motationem aquæ per angelum, inde sanationem suam expectarunt. *Johann. V, 2* seq.

(*g*) Sic enim concipi debet spes renatis propria seu Christiana; quatenùs fertur in bona, non fortuitò, aut ex causis naturalibus in se spectatis; sed velut divino beneficio, propter Christi meritum, ad nos perventura; cujus certos nos reddiderit revelatio divina, unde dicuntur *Spiritu ex fide spem justitiæ expectare*. *Gal. V, 5.*

(*h*) Scilicet aliqua bona, uti sine conditione promissa sunt; ita simpliciter sperari possunt;

sunt: alia verò non nisi sub conditione promissa, non simpliciter sperari possunt, sed conditionatè, si, Deo ita judicante, nobis profuerint, & possessio atque usus aut fruitio eorum, ad gloriam Dei servierit. Ad posteriorem classem pertinent bona temporalia, quæque corporalia vulgò vocantur, omnia. Ad priorem vero spiritualia, quatenùs homini salvando prorsùs sunt necessaria. Nam aliàs etiam spiritualia, uti non eâdem mensura dantur aut promissa sunt omnibus; ita nec ab omnibus, etiamsi fidelibus, quoad eandem mensuram sperari possunt.

(*i*) Hæc enim illud bonum est, in quo spes nostra terminatur, neque ultrà se extendit. Ita dicuntur renati *expectare redemtionem corporis sui. Rom. VIII, 23. beatam illam spem & illustrationem gloriæ magni Dei & servatoris nostri Jesu Christi. Tit. II, 13.* Conf. *I. Cor. I. 7. Philipp. III, 20. I. Thess. I, 10. II. Petri III, 12. 13 Ebr. IX, 27. XI, 10.*

(*k*) Quæ Deum ipsum, ut summum Bonum ejusque consecutionem & fruitionem complectitur. Unde non malè dicitur, quòd per spem Christianam voluntas nostra efficaciter tendat in Deum, ut est suprema Beatitudo nostra. Quanquam nec negari possit, beatitudinem nostram, quatenus est objectum spei nostræ, non solùm essentialem sed accidentalem; ex parte corporis non minùs, quàm ex parte animæ; spectari atque expectari posse & solere, imò debere.

§. II.

Opponuntur spei partim Præsumtio (*a*) temeraria, cum vel ea, quæ prorsus (*b*) non speranda erant, expectantur, vel non juxta ordinem (*c*) à Deo institutum, sperantur: partim Desperatio (*d*), quando bona spiritualia (*e*) aut temporalia (*f*), quæ speranda erant non sperantur; sed tanquam nimis difficilia obtentu, vel prorsus impossibilia, fugiuntur, & ab eorum intentione (*g*) desistitur: quo speciatim pertinet desperatio hominum de vita (*h*) æterna: partim denique Hæsitatio (*i*) animi seu fluctuatio (*k*) inter spem & metum.

NOTÆ.

(*a*) Ita vulgò vocatur Spes improba aut inepta: quam alii *spem nimiam* appellant.

(*b*) V. g. quæ repugnant Sapientiæ, Justitiæ aut Bonitati Divinæ: qualis est spes eorum, qui Ecclesiæ purioris, aut hominum privatorum innocentum, ruinam vel extremam perniciem avidé expectant: aut, qui bonum aliquod, quod Deus non promisit, nec citra promissum sperari debebat, tamen certò expectant.

(*c*) Prout homines improbi salutem, vel absque pœnitentia, vel per superficiariam pœnitentiam sibi collatum iri sperant. Aliqui ex statu præsenti gratiæ, futurum sibi temere pollicentur,

tur, ac si planè non possint excidere. Alii in temporalibus, sperant bona, divinitùs sibi obventura, neglectis interim mediis, precum, laboris, occasionis observandæ &c.

(*d*) Prout homines *spem non habere* dicuntur, *Ephes. II, 12. 1. Thess. IV, 13.*

(*e*) Talis est desperatio eorum, qui sunt *sine Christo. Ephes.* l. c. De remissione peccatorum desperantem *Cainum* describit Moses *Gen. IV, 13. 14.*

(*f*) Exemplum præbet Tribunus militaris Samariæ, qui Elisæo, magnam annonæ vilitatem promittenti, respondit: *Ecce si Jehovah faceret cataractas in cœlis, an poterit esse, quod loqueris? II. Reg. VII, 2.*

(*g*) Sic aliàs describitur desperatio, quòd sit aversatio boni obtentu impossibilis.

(*h*) Vocant hanc Desperationem *totalem*, & à *partiali*, quâ quis in particulari casu de auxilio divino desperat, distinguunt. Illius exemplum consummatum est Judas αὐτόχειρ. *Matth. XXVII, 5.*

(*i*) *Dubitationem* aliqui vocant: quæ ex usu loquendi ad intellectum magis refertur, saltem directè: quamvis consequenter etiam voluntati, quæ circa idem objectum oppositos motus experitur, dubitatio & τὸ διακρίνεσθαι aliquando tribuatur: velut juxta *Jacobi I, 6.*

(*k*) Quemadmodum *Jacobus* l. c. hominem ejusmodi dicit *similem fluctui maris, qui ventis agitatur & jactatur*; Mox v. 7. vocat ἄνθρωπον δίψυ-

χον, *virum duplici animo.* Confer. *Siracid.* cap. II, 14.

§. III.

Motiva ſpei (*a*) Chriſtianæ ſunt: I. Mandatum (*b*) Dei. II. Approbatio (*c*) officii præſtiti divina. III. Commodum (*d*) ingens. IV. Oppoſitæ Præſumtionis (*e*) & Deſperationis (*f*) atque Hæſitationis (*g*) dedecus & damnum.

NOTÆ.

(*a*) Motivis fiduciæ non parum vicina.

(*b*) Sanè dùm fiduciam in Deo, tanquam causa bonorum, collocare jubemur, hoc ipſo etiam jubemur expectare bona illa à Deo, tanquam causa, nobis conferenda. Apertiùs tamen huc ſpectant verba Davidis: *Expecta Jehovam* (i. e. bonum à Jehova venturum): *confirmare, & fortificabit animum tuum. Itaque expecta Jehovam. Pſal. XXVII, 14.* Confer *Pſal. XXXVII, 7.* Et *Salomonis: Expecta Jehovam, & ſervabit te Proverb. XX, 22.* Speciatim ſpes vitæ æternæ præcepta legitur II. cc. *Tit. II, 12, 13.* ubi dicitur gratia Dei nos παιδεύειν, *erudire*, ut *expectemus* adventum Chriſti &c. & *II. Pet. III, 11 12. Oportet vos eſſe expectantes adventum diei Domini.*

(*c*) Nimirum *acceptos habet Jehova timentes ſui, qui expectationem habent* (הַמְיַחֲלִים) *in miſericordia ejus. Pſal. CXLVII, 11.*

(*d*) Par-

(d) Partim quòd animum pascit & recreat: ut simus τῇ ἐλπίδι χαίροντες. *Rom. XII,12.* imò armat, ad superanda pericula & terrores: unde & *galea* dicitur. *I. Thess. V,8.* partim quòd post se trahit ipsam consecutionem boni sperati. Nempe *expectatio pauperum non peritura est in perpetuum. Psal. IX,19. Spes non pudefacit. Rom. V,3.* Unde ipsam spem, tanquam bonum ingens, Christianis apprecatur Paulus. *Rom. XV,13.* Et gratias agit Deo pro ea concessa. *I. Pet. I,3.*

(e) Seu Spei temerariæ hominum improbarum: de qua *Proverb. X,29.* dicitur, *Expectatio impiorum perit.* & *Sap. V,15. Spes impii, ut lanugo delata à vento, & tanquam spuma tenuis à procella impulsa, & tanquam fumus à vento dissolutu est, aut etiam præteriit, ut diversorii in diem unum recordatio.* Discipulos verò suus, qui regnum terrenum à Magistro erigendum speraverant, Christus ipse objurgat, tanquam ἀνοήτους καὶ βραδεῖς τῇ καρδίᾳ, *stultos & tardos corde, Luc. XXIV,25.*

(f) *Mœror* enim his comes est, qui *spem non habent. I. Thess. IV,13.* Et Israelitæ, de introductione sua in terram Canaan desperantes, hoc ipso meruerunt, ut non introducerentur. Vid. *Ebr. III, 18.19.* ex *Num. XIV.*

(g) Ita *Siracides: Væ cordibus timidis, & manibus remissis, & peccatori ingredienti calles duos* (i. e. incerto homini, qui huc illuc ex dubitatione diffidentiaque impellitur:) *Væ cordi remisso,*

quia non credit, propterea non protegetur. Cap. II, 14. 15.

§. IV.

Media, impedimenta, quæque his removendis serviunt, & signa Spei veræ, cum illis, quæ in doctrina de fiducia vidimus, fere coincidunt.

Capitis VII. Sectio VII.

De

OBEDIENTIA DEO PRÆSTANDA.

§. I.

AD officium hominis renati erga Deum ex parte Voluntatis pertinet porro Obedientia (*a*), quâ homo Dei triuni, tanquam supremo (*b*) Domino, subjectum se prorsus (*c*) agnoscens, actus omnes internos (*d*) atq; externos (*e*), quos Deus (*f*) sive per legem (*g*) naturæ, sive alio (*h*) quovis modo, præcipit, (*i*) efficere; quos vero (*k*) prohibet, ab his omnino abstinere, serio & constanter (*l*) studet, atque illos (*m*) efficit, hos omittit, ideo, quia Deum (*n*) sic velle (*o*) cognovit.

NOTÆ.

(*a*) *Servitium* Deo præstitum aut præstandum alii dixerint. Scriptura vocat ὑπακοὴν εἰς δικαι-

δικαιοσύνῃ, obedientiam ad justitiam Rom. VI, v. 16. mox homines ejusmodi dicit δεδουλωθέντας τῇ δικαιοσύνῃ, servos factos justitiæ. v. 18. scilicet juxta id, quod dixerat v. 16. *cui accommodatis vos ipsos servos ad obediendum, ejus servi estis, cui obeditis.* Conf. v. 19. & 20. Dicuntur tamen etiam τέκνα ὑπακοῆς, i. e. *filii* (Dei) *obedientes I. Pet. I, 14.*

(b) Jure Creationis, Conservationis & plurium beneficiorum, in regno Naturæ & Gratiæ nobis exhibitorum. Unde *David*, in conventu solenni celebraturus Deum, *Tua est*, ait, *ô Jehova, magnitudo & potentia & gloria & æternitas ac majestas, imò omnia in cœlo & in terra: tuum est Jehova regnum, ut qui te extollis super omnia in caput. Nam divitiæ & gloria à facie tua sunt, & tu dominium habes in omnia, in manu tua vis & potentia: in manu inquam tua magnificandi & confirmandi rem quamlibet. I. Paral. XXX, 11. 12.*

(c) Instar mancipii, ac plus eô: Ita ut uni illi servire necesse sit: aliis non, nisi post illum, & sub illo.

(d) Scilicet *ex animo fieri* debet *voluntas Dei. Ephes. VI, 6. Col. III, 22.* ita *ut delectemur lege Dei. Rom. VII, 22.* aut, uti David in persona Messiæ dixit: *Ecce venio, facere voluntatem tuam, Deus mi, dilector: & lex tua in visceribus meis. Psal. XL, 8. 9.* Itaque voluntas quidem excitet intellectum, ad investigandam, considerandam ac repetendam sæpiùs voluntatem Dei: Intelle-

ctus eam cognitam repræsentet voluntati: hæc rursus eliciat actus ejusmodi, sive qui subsistant intra ipsam, sive qui ferantur ad actus aliarum potentiarum, conformiter exercendos. Sic dicuntur fideles ex parte intellectûs *probare, quid sit complacitum Domino. Ephes. V, 10.* Conf. v. 17. *Rom. XII, 2.* Ex parte voluntatis tribuitur illis προθυμία τὸ θέλειν, *promitudo volendi. II. Cor. VIII, 11.*

(*e*) Qui multi & varii sunt, pro varietate præceptorum, objectorum atque organorum: & aliquando in uno opere obedientiæ plures concurrunt: prout in exemplo obedientiæ Abrahami, cùm filium suum Deo in sacrificium oblaturus esset, constat.

(*f*) Nimirum in convenientia & conformitate actionum cum voluntate alterius, consistit forma Obedientiæ.

(*g*) Quoad ea, quæ homini, ut homini, per se & simpliciter sunt necessaria.

(*h*) Quæ per revelationem divinam peculiarem, seu per leges positivas, homine postulantur.

(*i*) Sic obedientia sit juxta præcepta affirmativa. Ac talem de se ostenderunt Judæi, cùm Mosi responderent, *Exodi XIX, 8. Quicquid dixerit Jehova, faciemus.*

(*k*) Hoc est obedire præceptis negativis. Eàque ratione jubentur adolescentes obedire Sapi-

Sapientiæ cœlesti, abstinendo à peccatis libidinis, *Proverb. V,7.* seqq.

(*l*) Prout servus, bene habitus à Domino, veniente annô remissionis, dicere consuevit: *Diligo herum meum, (uxorem meam, liberos meos) quare nolo exire. Exod. XXI,5.* unde mos ortus per legem, perforandi aurem homini, qui servitio nunquam exiturus erat: quò respiciunt verba, *Psal. XL,7.* Et nos *liberati de manu inimicorum nostrorum*, jubemur *servire Domino cum sanctitate & justitia coram ipso omnibus diebus vitæ nostræ Lucæ I,74.75.* Confer *Deut. V, 29. (35.) II. Reg. XVII,37.*

(*m*) Μὴ ἀναγκαστῶν, ἀλλ' ἑκουσίως, *non coacte sed volenter. I. Pet. V,2.* ita, ut datâ occasione agendi, mox agant; uti *Petrus & Andreus, Jacobus & Johannes*, vocati à Christo, *statim* (εὐθέως) *relinquentes retia sua, secuti sunt. Matth. IV, 20. 21.* Mulieres etiam, jussæ annunciare resurrectionem Jesu discipulis, *celeriter* (ταχύ) opus peregerunt. *Matth. XXVIII,8.* Agendum autem est non minùs quod arduum aut difficile, quàm quod leve & jucundum est: exemplo Abrahami. *Gen. XXII.* dandaque operæ, ut *in minimo* (ἐν ἐλαχίστῳ) *non minùs*, quàm *in multo, fideles* inveniamur. *Lucæ XVI,10.*

(*n*) Deum, inquam, qui per Christum nobis reconciliatus est.

(*o*) Ita ut ratio obediendi sit ipsa voluntas Dei; cui, abnegatâ voluntate nostra, & post-

ponen-

ponentes omnem voluntatem creatam, morem gesturi simus: exemplo Christi *Matth. XXVI, 39. 42.*

§. II.

Pugnat cum obedientia Deo præstanda, partim (*a*) Inobedientia, seu spontanea (*b*) denegatio obsequii (*c*) Deo debiti, & intentio agendi, quæ (*d*) Satanas, (*e*) Mundus (*f*) aut Caro (*g*) nostra postulat, quæq; Deo (*h*) adversantur; sive promiscue aut (*i*) in quibuslibet, sive in paucis, ac (*k*) vel uno: partim obsequium Falsum (*l*) aut (*m*) ineptum, quô ea, quæ Deus non (*n*) vult; aut eorum quæ is vult ac præcipit, opposita (*o*) fiunt, sub opinione, quasi sic præcepisset.

NOTÆ.

(*a*) Quod vis ipsa vocis indicat; quæ quamvis ita latè accipi possit, ut etiam alterum oppositum, seu falsum obsequium complectatur; hîc tamen strictius nonnihil accipitur pro eo peccato, quod apertiùs de se ostendit rationem inobedientiæ; cùm alterum illud, obedientiæ speciem, etiam ex opinione agentis, sustineat.

(*b*) Quâ quis *cognoscens voluntatem Domini sui, non se præparat, nec facit secundùm voluntatem ejus. Lucæ XII, 47.*

(*c*) Un-

(*c*) Unde ὑπήκοη dicitur. *Rom. V, 19.* & homines ipsi ἀνήκοοι: in versione Græca *Num XVII, 10.* prout ex adverso, qui obediunt, dicto audientes dicuntur: Aliàs dicuntur ἀνυπόταχτοι. *I. Tim. I, 9.* ἀπειθεῖς. *Tit. III, 3.*

(*d*) Ita enim hæc duo conjunguntur: *non obedire veritati, obedire autem injustitiæ. Rom. II, 8.* Nec fieri potest, ut non huic obediat, qui Deo non obedit. Unde iterum Apostolus: *An nescitis, quòd, cui accommodàtis vos ipsos servos ad obediendum, ejus servi estis, cui obeditis, sive peccati ad mortem, sive obedientiæ adjustitiam. Rom. VI, 16.* Atque hoc est *habere deos alienos. Exod. XX, 3. sequi* eos. *Deut. XIII, 2. Judic. II, 19. Jerem. XIII, 10. XVI, 11. XXV, 6.*

(*e*) Sic de Judæis contumacibus Christus *Joh. VIII, 44: Vos ex patre Diabolo estis, & desideria patris vestri vultis facere.*

(*f*) Unde homines dicuntur esse ἐκ τοῦ κόσμου, *ex mundo. I. Joh. IV, 5. Mundo assimilari,* συσχυματίζεσθαι. *Rom. XII, 2. ambulare juxta seculum mundi hujus. Ephes. II, 2.* Atque hac ratione omnes illi dicuntur Mundo obedire, qui *homines potius audiunt, quàm Deum. Act. IV, 19.* qui *transgrediuntur præcepta Dei propter traditiones* aut *præcepta hominum. Matth. XV, 3. 6. 9.* sive homines illi sint Magistratus civiles, sive Ecclesiastici, sive alii quicunque.

(*g*) Tales sunt, quorum *Deus venter esse dicitur. Philipp. III, 19.* imò omnes, qui *ambulant*

juxta

juxta proprias concupiscentias. II. Petri III.3. Sic Deus de Israëlitis: *Derelinquunt legem meam, quam exposueram eis, neque auscultant voci meæ, neque ambulant in illa: sed sequuntur sententiam animi sui. Jerem. IX,14.*

(*b*) Omnes enim illi, quatenus tales, Dei hostes sunt, & hominem Deo repugnare faciunt.

(*i*) Qualis Atheorum est, eorum quoque, qui practici vocantur, aut qui cum Satana pactum inierunt, & nulli præcepto divino se obligari patiuntur.

(*k*) *Qui* enim *in uno offenderit, omnium reus factus est Jacobi II, 10.11.*

(*l*) Quod videtur esse, non autem verè est, obedientia.

(*m*) Sic describuntur *Jejunantes* Israëlitæ, *affligentes animam suam, incurvantes ut juncum caput suum, cilicium ac cinerem sibi sternentes*; & cum Deo expostulantes: *Quare, dum jejunamus, non respicis? dum affligimus animam nostram, non agnoscit?* Quorum ineptiam taxat Deus dicens: *An ejusmodi vocabis jejunium, & diem acceptum Jehovæ? Esaiæ LVIII,3.5.* Et cap. I,12. sacrificia eorum spectans, *Quis quæsivit hæc*, ait, *de manu vestra?*

(*n*) Unde huc pertinet omnis ἐθελοθρησκεία hominum, quantumcunque in generalibus præceptis divinis fundata existimetur. Nimirum ubi sub præceptis generalioribus certò sub-

subsumi & concludi non potest; ac nihilominus actio per se ad cultum divinum pertinere putatur; non est obedientia vera, sed falsa.

(*o*) V. g. quando, qui ad *occidendum* veræ fidei confessores aut præcones tendunt, putant se λατρείαν προφέρειν τῷ Θεῷ, *servitium præstare Deo. Joh. XVI, 2.*

§. III.

Motiva veræ obedientiæ Deo præstandæ sunt: I. Ipsa Dei [*a*] Majestas. II. Ejusdem Omnipræsentia [*b*]. III. Præceptorum divinorum, quibus obediendum est, [*c*] sanctitas & [*d*] salubritas. IV. Obedientiæ ipsius decor [*e*] & utilitas [*f*]. V. Inobedientiæ [*g*] & falsæ [*h*] obedientiæ dedecus & damnum.

NOTÆ.

(*a*) Excellentia, Jus ac dominium ejus in nos. Sic David, celebrata Dei, magni Regis, creatoris & conservatoris majestate, *populum pastûs ejus & gregem ductûs ejus* hortatur: *Hodiè si vocem ejus audieritis, ne obduretis animum vestrum. Psal. XCV,* 3. seqq. ad 8.

(*b*) Quoad omnia loca, tempora, personas & personarum actiones: Cujus vi omnes obedientiæ nostræ actus, & actuum debitorum omissiones, præsens intuetur & observat. Unde qui, habitâ ratione omnipræsentiæ divinæ, vitam

tam suam ad præcepta ejus exigunt, *coram Deo ambulare* dicuntur. *Gen. XVII, 1. Es. XXXVIII, 3. Luc. I, 6.*

(c) Nimirum præceptis Dei, qualiacunque sint, parere nos oportet: quantò magis, cum apparet, ea nostræ naturæ ac statui, finique accuratè convenire? Atqui *mandata Dei sunt recta, lætificantia cor: præceptum Jehovæ purum, illustrans oculos. Psal. XIX, 9.* conf. *Psal. CXIX, 86. 172.* Et Paulus *Rom. VII, 12.* ὁ μὲν νόμος ἅγιος, ait, καὶ ἡ ἐντολὴ ἁγία καὶ δικαία, καὶ ἀγαθή.

(d) Non quòd post lapsum per legem salvari possimus, sed quod renatis prosit ea, tanquam principium dirigens actiones, & medium refrænans concupiscentias. Quò spectant, quæ in nota præced. diximus.

(e) Ita Deus ipse ad Saulem per Samuelem: *An delectatur Jehova holocaustis & sacrificiis, uti, cùm auscultatur voci Jehovæ? ecce auscultare melius* [est] *sacrificio; attendere* [melius est] *adipe arietum. I. Sam. XV. v 22.* Et jam antè ad populum per Mosen: *Vide, docui vos statuta & judicia &c. Observabitis ergò atque facietis: nam hæc est sapientia vestra & prudentia vestra ante oculos populorum, qui audientes omnia ista statuta, dicent: Tantùm gens ista maxima populus sapiens est & prudens. Deut. IV 5. 6.* Christus quoque *Joh. XV, 14. Vos estis mei amici,* ait, *si feceritis, quæcunque ego vobis præcipio.*

(f) Habet enim promissiones generales.

Prov.

Prov. VIII,34. & speciales, *Exod. XXIII, 25. 26. Levit. XXVI, 3. 4.* seqq. ad 12. *Deut. XXVIII, 1.* seqq. ad 8. *Psal. LXXXI,14 15. Proverb. I 33. Esaiæ I. 19.* Magna etiam utilitas est, quôd *per hoc novimus, quod Deum cognoscamus, si præcepta ejus servemus. I. Joh. II,3.* Et quod *Petrus II. Ep. I,10.11.* dicit: *Ista si facietis, non cadetis unquam. Sic enim vobis concedetur abundans introitus in regnum æternum Domini nostri Salvatoris Jesu Christi.*

(*g*) Quia *sicut peccatum divinationis* (est) *rebellio; & sicut superstitio & idola* (est) *repugnantia. I Sam. XV,23.* ecce dedecus! Additur autem l. c. ad Saulem: *Quia sprevisti verbum Jehovæ, sprevit similiter te, ne sis Rex.* Extant autem & communicationes divinæ generales ac speciales populo factæ, *Levit. XXVI, 14.* seqq. ad 39. *Deut.* XXVIII. v. 15. seqq. ad finem. Confer. *Jerem.* IX,13. seqq. XXVIII, 9. seqq.

(*h*) Pater turpitudo falsæ obedientiæ ex sententia Dei reprobatoria, *Esaiæ LVIII,5. An hoc acceptum Jehovæ?* Damnum quoque partim ex defectu promissionis præmii: quodque Deus homines ejusmodi *non respicit, non agnoscit;* l.c. partim ex communi stipendio aut fructu omnis peccati, (nam & illa peccatum est,) constat.

§. IV.

Media, quibus promovetur obedientia erga Deū, præter motiva ipsa (*a*), sunt I. Verbi divini, quatenus non solum legem sed &Ev-

angelium (b) continet, meditatio frequens & pia. II. Exemplorum probatorum (c), Christi (d) & Angelorum (e), hominumque (f) præstantissimorum, consideratio. III. Preces pro donō (g) obedientiæ.

NOTÆ.

(a) Quæ non solùm obligant hominem ad obediendum, aut obedientiam illi moraliter suadent; sed ad animum revocata, cum concursu divino, vel efficaciter inclinant ad obediendum: vel obedientiam ipsam dirigunt; vel carnem reprimunt, ne abstrahat ab obedientia.

(b) Nempe lex quidem monstrat voluntatem Dei, cui obediendum est, nostramque obligationem ad parendum: sed vires ipsamque promtitudinem & alacritatem, talia præstandi, Evangelium confert. Unde fit, quod Deus promiserat *Ezech. XXXVI, 26. 27. Dabo vobis cor novum, & spiritum novum ponam in medio vestri; & amovens cor lapideum è carne vestra, indam vobis cor carneum. Et spiritum meum ponam in medio vestri: quô faciam, ut in statutis meis ambuletis, & jura mea observetis, facientes ea.* Confer *Psal. CXIX.* in quod prolixè docetur, quid præstet pia tractatio verbi in negotio obedientiæ divinæ.

(c) Quorum intuitu non solùm vera obedientia à falsa distingui; sed & studium obedien-

dientiæ acui & firmari potest Quod si enim eos, qui præstant nobis, obedientiam illam non solùm non detrectare, sed & cupidè præstare videmus; quidni facilior videatur nobis eadem opera?

(*d*) Qui cùm esset *in forma Dei*, tamen *obediens factus est patri, usque ad mortem, mortem autem crucis. Philipp. II, 8.* Confer. *Joh. IV, 34. VI 38. Gal. IV, 4. Ebr. V, 8.*

(*e*) Sunt enim *ministri* Jehovæ, *facientes placitum* ejus. *Psal. CIII, 21.*

(*f*) Sic *Noah fecit: secundum omnia, quæ præceperat ipsi Deus, sic fecit:* etsi irrideretur à coætaneis. *Gen.* VI. ult. & cap. VII, 5. *Abrahami* exemplùm vulgò celebratur, ex *Gen. XXII, 2.* seqq. ad 12. De *Mose* & *Aarone*, vid. *Exod.* VII, 6. *Levit.* VIII, 36, De *Josua, Jos. XI, 15.*

(*g*) Prout David. *Psal. CXIX. v. 10.* Deum orans: *Ex toto animo meo*, ait, *quæro te, ne sinas me errare à præceptis tuis.* & v. 12. *Tu benedicte Jehova, doce me statuta tua.* & v. 17. *Beneficium confer in servum tuum; ut, dum vivo, observem verbum tuum.* Confer v. *33 34 35 36. 40. 43.* ad *48 57. 64. 68. 108. 124. 133. 135. 145. 146.*

§. V.

Impedimenta obedientiæ Deo debitæ, præter neglectum motivorum ac mediorum, sunt: I. Præjudicia 1) de Difficultate (*a*) obedientiæ illius, aut 2) sorte feliciore (*b*) eorum,

qui non obediunt, aut 3) paucitate vel levitate (c) eorum, quæ Deus exigat. II. Dictorum (d) factorumq; (e) humanorum, ipsiusque sapientiæ, probitatis ac potentiæ humanæ nimia (f) æstimatio: aut cum hominibus, qui vitæ solutioris, vel etiam qui superstitiosiores sunt, minùs solicita (g) conversatio. III. Præsumtio temeraria de proprio (h) judicio, & acquisita (i) sanctitate. IV. Amor (k) voluptatum, divitiarum (l) honoris (m) terreni.

NOTÆ.

(a) Fortasse & impossibilitate. Cujus intuitu fit, ut homines à studio accuratè obediendi, tanquam frustraneo; aut ab eo nisu, ubi non possint eniti, resiliant: aut præcepta ipsa, quibus obedire debebant, fastidiant & contemnant.

(b) Testatur *Assaph Psal.* LXXIII. v. 13. id sibi facilè impedimento fuisse in obedientia Deo præstanda, cùm videret *improbos* (non obedientes Deo) *ut tranquillos in seculum augere vires:* se verò putaret *inaniter purificare animum* suum, *& lavare in munditia* (puro ac sincero obsequio legi præstando) *manus* suas. Confer exemplum uxoris Jacobi, quæ hinc marito adstrictiorem obedientiam exprobravit. *Jobi* II. v. 9. Adde *Eccles.* VIII, 13.

(c) Sci-

(*c*) Scilicet in multis obedientiam violant, qui vim ac rigorem legis, & præscriptæ obedientiæ, ad animum non satis revocant.

(*d*) Quibus vel legis divinæ sensus, vel veritas, vel auctoritas in dubium vocatur aut negatur: unde homines malè persuasi, aliter agunt, quàm ut Deo verè obediant: prout Eva serpentis ἐνεργουμένῳ sermone decepta, obedientiam denegavit Creatori. *Genes. III, 1.* ad 6. & Israelitæ falsorum Prophetarum pariter & aliorum hominum dictis auscultantes, Deos alienos secuti fuerunt. Imò verò etiam ad falsæ obedientiæ actus perducuntur homines, quibus sub nomine legis divinæ obtruduntur, quæ non sunt nisi mandata hominum. Vid. *Coloss. II, 21. 22.*

(*e*) Nam & exempla hominum irreligiosorum atque inobedientium alios corrumpunt: & superstitiosam aliorum obedientiam alii imitantur.

(*f*) Quâ fit, ut loquentibus temerè assensum: suadentibus, aut jubentibus, aut minantibus, intempestivum obsequium præbeamus, aut ad mores & facta aliorum nos conformemus; neglectô interim aut violato mandatô divinô.

(*g*) Quemadmodum inter impedimenta amoris divini conversationem minùs cautam locum habere vidimus, Sect. VII, §. V. p. 320. seq. Et experientia docet, non solùm ab illis nos

corrumpi, aut animos, moresque nostros inficí, quorum dicta & facta admiramur: sed & ab his, quibus variâ ratione sociamur.

(*h*) Nam ubi hæc occupavit animum, voluntatem Dei præcipientis non eâ, quâ par est, solicitudine scrutabimur, ac multa ei adversa agemus.

(*i*) Unde superbia spiritualis nascitur, quæ & ipsa pugnat cum vera Dei obedientia, & multorum inobedientiæ aut falsæ obedientiæ actuum mater est.

(*k*) Cujus vi sit, ut fruendarum voluptatum causâ, vel omittamus, quæ Deus jubet fieri, vel opposita faciamus.

(*l*) Qui enim Mammonæ serviunt, Deo non serviunt. *Matth. VI, 24.*

(*m*) Scilicet obedientia submissionem animi importat. Sed cristas erigere, & collum jugo subdere, non tantùm diversa; verum adversa sunt.

§. VI.

Facit autem ad removenda impedimenta ista, & speciatim I. ad tollenda præjudicia, memorata, 1) si, cùm difficultatem obedientiæ Deo præstandæ consideramus, simul gratiæ divinæ, quæ infirmitati nostræ (*a*) succurrit; ut & pœnarum (*b*) inobedientiæ, ac præmiorum (*c*) obedientiæ, licet imperfectæ, memine-

minerimus. 2) Si felicitatem veram non tam in bonis externis, sed (*d*) internis, neque ex judicio mundi, sed Dei (*e*) sapientissimi, inveniendam cogitemus. 3) Si regulam obedientiæ nostræ unicam & accuratissimam, verbum Dei (*f*) scriptum esse, patiamur II. Si hominum quorumvis dicta & facta ad eandem normam revocemus (*g*) priùs, quàm illis morem geramus. III. Si nostræ in judicando (*h*) imbecillitati, & carnali concupiscentiæ (*i*) diffidamus. IV. Si voluptatum, divitiarum, & honorum, vanitatem & insidias (*k*) cogitemus.

NOTÆ.

(*a*) Partim quatenùs vires spirituales ad obediendum, in nobis efficienter producit: partim quatenus Deum movet, ut obedientiam, quamvis imperfectam, tamen placere sibi patiatur.

(*b*) Nimirum consideratio necessitatis obedientiæ excitabit in nobis conatum etiam in negotio difficili. Neque subterfugiet molestiam laboris, qui fugit acerbitatem suplicii.

(*c*) Quæ dulcem faciunt operam, aliàs amaram futuram. Ac plerumque in nobis præsentium fastidiorum sensus minuitur, ubi secuturam requiem & bonorum copiam prævidemus.

(*d*) Sic enim accidit, quod Apostolis usu venisse legimus, qui fuerint *ut tristes, semper tamen gaudentes; ut pauperes, sed multos ditantes; ut nihil habentes, sed omnia obtinentes. II. Cor. VI, 10.*

(*e*) Prout Assaph de se fatetur, quod postquam *in sanctuaria Dei ingressus* (i. e. Deô consultô, meliora, quam ante, edoctus) esset; mox aperte viderit, eos, qui mundum sequuntur, infelices; sed, qui Deo obediunt, hos demum felices esse. *Psal.* LXXIII, 17. seqq.

(*f*) Quod totum hominem, secundùm omnes ejus facultates & facultatum actiones, ad obedientiam Dei poscit: & hoc ipso tollit præjudicium de paucitate aut levitate eorum, in quibus obedientia nostra consistat.

(*g*) Nam quæ ad regulam revocantur, non tàm facilè nos decipiunt, uti ea, quæ sine examine magnificamus.

(*h*) Scilicet tanto accuratius attendit ad sententiam Domini, qui se minus sapere cogitat.

(*i*) Quod cum fit, non tantùm promtiùs obeditur Deo, sancta atque optima jubenti; sed & preces ferventiores pro dono obedientiæ ad Deum mittuntur.

(*k*) Ita enim peribit amabilitas horum bonorum: & animus his non occupatus, Deo se rectiùs subjiciet, ac jussa exequetur.

§. VII.

Signa hujus functionis in Obedientia Deo præ-

præstanda occupatæ sunt: I. Gaudere, cum occasio adest (*a*) servitii Deo præstandi, aut de opere juxta mandatum Dei (*b*) peracto. II. Dolere, si quando vel impedientibus (*c*) aliis, vel nostra (*d*) negligentiâ aut præcipitantia, omissum aliquid est, quod Deus jubebat; aut commissum, quod is prohibebat: etsi leve id esse videatur. III. Præceptorum divinorum sensum, & hinc ad varios casus se porrigentem obligationem, diligenter (*e*) scrutari. IV. Superioribus inter homines, propter (*f*) Deum, obedire libenter.

NOTÆ.

(*a*) Sic nimirum prodit voluntatis inclinatio ad *percurrendum viam præceptorum* Dei, *Psal. CXIX, 32.*

(*b*) Ita ut gratias agamus Deo, pro dono obedientiæ, & successu operis nobis concesso.

(*c*) Satana aut mundo. Quemadmodum Paulus conquestus est, se, cum ad Thessalonicenses, officii sancti explendi causa iturus esset, impeditum à Satana fuisse. *I. Thess. II, 18.* & David, pietatis studium inter cives promovere cupiens, obstacula autem ex malitia hominum sibi occurrentia expertus, *Conficit me*, ait, *Zelus meus, quod obliviscuntur verbi tui hostes mei. Psal. CXIX, 139.*

(*d*) Quanquam enim omissio ipsa actûs præ-

cepti, & commissio actûs prohibiti, inobedientiam quandam importent: retractatio tamen, quæ agnitionem ejus, quod omissum aut commissum est, mox ac velut spontè sequitur; ostendit, minus voluntarium fuisse, quod tam citò, tamque solicite retractatur: ac voluntatem potius ad obediendum Deo esse inclinatam.

(e) Scrutinium enim hoc, quod praxeos causa fit, seu ut actus obedientiæ rectè exerceantur; proficiscitur autem ex motione voluntatis, quæ intellectum ad scrutandum aut meditandum excitat; voluntatis ipsius propensionem ad obediendum Deo declarat. Sic David de se ad Deum: *Quam diligo*, ait, *legem tuam*, *toto die est meditatio mea. Psal. CXIX, 97.*

(f) Ita ut ratio obediendi hominibus, sit auctoritas Dei, velut supremi Domini *I. Pet. II, 13. Rom. XIII, 1. 7.* Conf. *Eccles. VIII, 2.* Ubi Salomo *præstitutum Regis observare* jubet, *pro ratione juramenti Dei.* Sic ergo qui non detrectat humanæ ordinationi parere propter Deum, magis obedit ipsi DEO, quàm hominnibus.

Capitis VII. Sectio VIII.

DE PATIENTIA CHRISTIANA.

§. I. Cum

§. I.

CUm obedientia Christiani hominis, Deo præstanda, conjungitur (*a*) Patientia (*b*), quâ voluntas illius inclinatur ad quasvis (*c*) calamitates, tanquam à Deo (*d*) immissas, sine (*e*) reluctantia, atque ad gloriam Dei (*f*) reconciliati (*g*), quamdiu (*h*) Deo visum fuerit, tolerandas (*i*).

NOTÆ.

(*a*) Prout suprà diximus, præter obedientiam *activam*, dari etiam *passivam*. Sect. IV. §. VII. not. *e*. & *h*. Atque hæc causa est, cur doctrinam de Patientia huc referamus: quam aliqui ad officium hominis circa se ipsum; alii tamen ad præceptum primum Decalogi, adeoque officium hominis erga Deum referunt.

(*b*) *Fortitudinem* Christianam quidam appellant. Sed Patientia, uti respectum ad mala aliunde immissa: sic officium hominis erga Deum, qui mala immittit, fortasse nonnihil clarius significat. Scriptura ὑπομονὴν vocat, quæ vi vocis *mansionem* quandam velut *sub* onere; aut in statu adverso, indicat. Vid. *Luc.* VIII, 15. XXI, 19. *Rom.* II, 7. V, 3. 4. VIII, 25. & loca plura. Cui respondet vox ἀνοχὴ, quæ, quamvis in sacris non legatur, nisi Deo ipsi adscripta; verbum tamen ἀνέχειν, de fidelibus in officio Patientiæ occupatis, extat I. *Cor.* IV, 12. II. *Thess.* I, 4. Et notat *Beza* ad *Matth.*

Matth. XVII, 17. dici de his, qui volentes subeunt onus, & sub eo perdurant.

(c) Quas nomine *Crucis* vulgò appellant, eôque denotant varii generis mala: quæ sive ut *castigationes*, ob certa delicta; (juxta exemplum Davidis exulis;) sive ad *probandam* fidem & dilectionem Dei; (quemadmodum in Jobo apparet;) sive peculiariter ad obsignandam *confessionem* doctrinæ atque gloriæ Dei & Christi Mediatoris (quò spectant persecutiones, quas Apostoli passi sunt;) contingunt homini Christiano. Unde & appellationes Τιμωρίας, Δικαιοσύνης & Μαρτυρίου, usu receptæ sunt. (Quarta autem species, quam Λύτρου appellant, in solo Christo, non æque inter Christianos, locum invenit.) Alias dividuntur calamitates, quatenus aliquæ *animam* directè attingunt; v.g. Tentationes spirituales: aliæ *corpus*; ut morbi, vulnera, fames, sitis, frigus, ardor, &c. aliæ, *bona fortunæ*, ut jactura divitiarum, famæ; dignitatis, atque his opposita egestas, contumelia, &c:

(d) Sub hac enim ratione formali, Patientia ad præsens spectat: quatenus origo passionum ad voluntatem ac providentiam divinam refertur: atque ita voluntas patientis Christiani se Deo submittit. Licet enim calamitates aliquæ a Diabolo; quædam ab hominibus malis, inferantur homini Christiano? aliquæ etiam fortuito obtingere videantur: Patientia tamen Christiana præcipue circa illas versatur, quatenus

nus Deo permittente ac dirigente obveniunt.

(*e*) Seu moderatè & placidè: ita ut cogitemus, nobis non fieri à Deo injuriam; neque adeò fremamus aut murmuremus adversùs Deum, sed velimus pati, quod vult Deus, ut patiamur: quemadmodum Jobus, non tantùm opibus, sed & libris suis privatus, dixit: *Nudus exivi ex utero matris meæ, & nudus rediho illuc: Iehova dedit, & Jehova recipit: Sit nomen Jehovæ benedictum.* Cap. I, 21.

(*f*) Sicut Paulus optavit, *Christum glorificari in corpore suo, sive per vitam, sive per mortem. Phil.* I, 20.

(*g*) Quamvis enim calamitates quasdam, intuitu peccatorum nostrorum, & ad castigandos nos, infligi sentiamus: (Prout etiam in nota (*e*) dictum est:) tamen homo Christianus, qualem hîc spectamus, id est, renatus ac pœnitens, quicquid est calamitatum illarum, à Deo favente seu placato, non irato & perdituro, id proficisci agnoscit: atq; ita tolerat.

(*h*) Est profecto Patientiæ, non tantùm mala in se spectata, sed & moram durationis malorum & dilati auxilii divini, tolerare: non autem illicita quærere præsidia vel auxilia: sed malle mori in afflictionibus, quàm mediis iniquis liberari.

(*i*) Dicimur sanè *tolerare*, non quæ nobis grata & jucunda; sed quæ molesta & adversa sunt. Et tamen sunt, qui monent, Patientiæ munus

munus esse, ut calamitates non tantum animo non reluctante; sed hilari aut læto, suscipiantur & sustineantur. Sic enim David, *Psal. CXIX, 71. Bonum est mihi,* ait ad Deum, *me affligi.* Et Apostoli *gaudentes profecti sunt à conspectu concilii* (Hierosolymitani,) *quod digni essent habiti, qui pro nomine Jesu contumeliâ afficerentur. Act. V, 41.* De Stephano quoque ad supplicia deducto, Christianus Poëta: *Ibat ovans animis, & spe sua damna levabat.* Conf. *I. Pet. IV, 13. Jac. I, 2.*

§. II.

Opponuntur Patientiæ I. Impatientia (*a*), quâ homines, contra voluntatem Dei (*b*), calamitatibus subeundis (*c*) aut (*d*) sustinendis se subducere conantur: vel etiam directè reluctantur aut succensent (*e*) Deo: vel deniq; in afflictionibus animum (*f*) despondent. II. Temeritas (*g*), qua homines præter & contra voluntatem Dei, periculis sese (*h*) offerunt, aut calamitates, quas declinare rectè poterant, sibi ipsis (*i*) accersunt, aut, cùm removere possent, inepte (*k*) sustinent.

NOTÆ.

(*a*) Aliàs *Mollities* dicitur: scilicet eò, quod homines firmô animi robore privat, & velut effœminatos reddit.

(*b*) Non enim calamitates quoquô modô declinare, aut se subducere, in vitio ponitur: siquidem interdum Deus ipse & defensionem sui homini

homini relinquit, & media quædam, quibus utatur ad arcenda aut depellenda mala, suppeditat. Sed nolle pati, quæ Deus vult, ut patiamur; v. g. in statu confessionis, aut cùm societati civili vel Ecclesiasticæ onera præstanda aut pœnæ solvendæ sunt: Similiter media illicita adhibere, quibus à malo perferendo immunes reddamur; hoc demùm Impatientis animi est.

(c) Quales dicuntur nolle suscipere in se jugum crucis. Eamque aliqui peculiariter *Timiditatem* appellant.

(d) Quando mora tolerandi adversitatem tædiosa est. Unde oppositum τῆς Ὑπομονῆς clarè apparet.

(e) Sive tacitâ mente, sive ita, ut in actus externos conquerendi de Dei iniquitate, aut alterius contumeliæ adversus Deum, erumpant: prout *Jobus*, multitudine calamitatum superatus, *aperuit os suum, & maledixit diei* (natali) *suo.* cap. III, 1. 2. Israëlitæ quoque molestiarum, itineris ac victûs pertæsi, murmurârunt adversus Deum. *Num. XXI, 5.* Sed & *Lutherus* noster, ad actus impatientiæ istius sese carnis insultibus perductum fassus est. Comm. in Cap. III. Ep. ad Galatas, Tom. IV. Jen. Lat. fol. III. a. *Multæ horæ sunt*, ait, *in quibus cum Deo rixor, & impatienter ei repugno. Mihi via & judicium Dei displicet, ipsi vicissim displicet mea impatientia, murmuratio &c.*

(f) Τοῖς Ψυχοῖς ἐκλυόμενοι, *animabus fatiscente.*

scentes dicuntur *Ebr. XII,3.* Ac fit aliquando, ut vita ipsa illis sit tædio: quemadmodum Racheli, quæ sterilitatis impatiens, ad Jacobum maritum dixit: *Cedo mihi liberos, sin minus, morior. Gen. XXX,1.*

(*g*) Quæ patientiæ aut fortitudinis speciem aliquando mentitur.

(*h*) Quæ salvô officio suô & veritate divinâ evitare poterant: quales dicuntur, *ἀγαπᾶν κίνδυνον, amare periculum. Siracid.* III, 27.

(*i*) v. g. Qui in casu persecutionum, non quæsiti aut interrogati, prósiliunt: Qui male agendo Magistratus iram in se derivant: Qui intemperantiâ, aut avaritiâ, aut superstitione cultus, morbos sibi conciliant &c.

(*k*) Quales sunt, qui morbis afflicti, Medicam opem contemnunt: qui hostibus publicis impetiti, miraculô defendi cupiunt potius, quam ut mediis ordinariis utantur: Unde & homines ejusmodi *Deum tentare* dicuntur.

§. III.

Motiva patientiæ Christianæ sunt, I. Voluntas Dei (*a*), cui in nos homines supremum jus est. II. Amor ejusdem, unde (*b*) calamitates in renatos derivantur. III. Calamitatum perferendarum levitas & (*c*) brevitas. IV. Patientiæ (*d*) dignitas. V. Crucis recte toleratæ utilitas. (*e*) VI. Impatientiæ (*f*) & Temeritatis (*g*) fœditas & noxa.

NOTÆ,

NOTÆ.

(*a*) Non solùm enim nulla calamitas, nisi volente Deô, nobis obtingit : juxta *Matth. X, 30.* atque ad renatos pertinet ; quod dicuntur divinitùs *destinati ad passiones. Rom. VIII, 36.* Verùm etiam hæc Dei præcipientis voluntas est ; ut calamitates patienter feramus. Vid. *Prov. III, 11. Luc. XXI, 19. Rom. XII, 12. II. Cor. VI, 4. II. Pet. I, 6. Jac. V, 7.* Atqui in hac Dei voluntate nobis simpliciter acquiescendum est : juxta *Philipp. I, 29. Ebr. X, 36.*

(*b*) Ita expressè docemur *Proverb. III, 12. Quem diligit Jehova, corrigit; & quidem ut Pater filium, cui bene vult.* Idque repetitur *Ebr. XII, 6. 7. Apoc. III, 19.*

(*c*) Paulus vocat τὸ παραυτίκα ἐλαφρὸν τῆς θλίψεως ἡμῶν, *momentaneam levitatem afflictionis nostræ II. Cor. IV, 17.* Nimirum vita ipsa, quâ fruimur, brevis est : calamitates autem multò minùs sunt diuturnæ : quæ vel ipsæ breviores habent periodos, vel solatiorum intervalla admittunt.

(*d*) Convenit enim vocationi nostræ. *Ephes. IV, 2.* & in virtutum cœtu celebratur. *II. Pet. I, 5. 6. 7.* facit nos conformes Christo : juxta *Rom. VIII, 29. II. Corinth. IV, 10. Gal. VI, 17.* (Quanquam Christus ad miraculum usque patiens fuit. Vid. *Esaiæ LIII, 7. Ebr. XII, 2.*) & Sanctis : *Abrahamo Ebr. VI, 15 Jobo, Jac. V, 11.* Prophetis, *Jac. V, 10. Paulo II. Tim. III, 10.* cœtui sanctorum. *Ebr. XI, 36. 37. 38. Apoc. XIII, 10. XIV, 12.* Tot modis *melior*

(præstantior) est *longanimis* (qui sapienter, animô-que patiente observat finem) *animô elatô*, *Eccles. VII, 9.*

(*e*) Sanè per crucis tolerantiam fit, ut 1) ab amore mundi & peccatis variis (vanitate bonorum illorum, quæ vulgò illecebræ peccandi sunt, animadversâ,) abstrahamur. 2) ut cœlestia bona, terrestribus tàm incertis & insidiosis potiora, magis desideremus. 3) Ut Christo, per Evangelium, (quod contritis atque adeo afflictis cordibus demùm sapit,) nobis exhibitô, firmiore fiducia inhæreamus. 4) Ut in precibus, cognitâ indigentiâ & imbecillitate nostrâ, simus ardentiores. 5) Ut ad charitatis officia, Deo & proximo exhibenda, simus aptiores ac promtiores: quippe quòd *tolerantia* afflictionum, *experientiæ* mater est *Rom. V, 4.* ita ut patiendo propter Deum exerceatur & crescat studium, rem gratam præstandi Deo, vel cum molestia nostra: simul συμπάθεια cum proximo afflicto afflictionibus nostris augeatur, unà cum propensione eum juvandi. 6) Ut à Deo & coram hominibus probati, ac sinceri inventi, præmia consequamur, eaque pro ratione afflictionum plurium toleratarum, largiora: prout fideles *in variis tentationibus affligi* dicit Petrus, ut *exploratio fidei* ipsorum *multò pretiosior auro* (*quod perit, & tamen per ignem probatur*) *reperiatur in laudem & gloriam & honorem, tùm cùm revelabitur Jesus Christus.* I. Ep. I, 6, 7. Paulus autem ait:

ait: Ἐν ὑπομένομεν, καὶ συμβασιλεύσομεν. II. *Tim.* II, 12. Et rursus: Εἰ συμπάχομεν, ἵνα καὶ συνδοξασθῶμεν. *Rom.* VIII, 17. ubi etiam graviter addit: *Reputo, non esse pares afflictiones præsentis temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur erga nos.* v. 18. Confer II. *Cor.* IV, 17. ubi afflictio nostra brevis & levis dicitur *operari* sive post se trahere, καθ' ὑπερβολὴν εἰς ὑπερβολὴν αἰώνιον βάρος τῆς δόξης, *æternum pondus gloriæ quàm excellentissimæ.* Add. *Act. XIV, 22. Jacobi I, 12.* cap. V, 7. 8. Imò qui *pro nomine* Christi jacturam quandam patiuntur, *centuplum recipient. Matth. XIX, 29.*

(*f*) Adversatur enim Impatientia vocationi Christianorum, quæ est æd crucem: importat recalcitrationem adversùs stimulum; brutis quàm hominibus convenientiorem. Cumque crux sit beneficium quoddam Dei: fremitus adversus Deum ferientem, est fremitus adversùs benefactorem. Sic Fœditas ejus apparet. Damnum verò inde, quod non tantùm ipsa nos affligit impatientia, & sensum calamitatis auget; sed & iram Dei in provocat.

(*g*) Stultum videlicet est, hominem sibi creare periculum, qui se conservare, aut consulere sibi poterat ac debebat. Et *qui amat periculum, peribit in eo. Sirac. III, 27.* Certè Deum tentare, est Deum irritare aut lacessere ad vindicandam contumeliam.

§. IV.

Media, præter motivorum (*a*) usum, sunt I. virtutum, quas prius tradidimus (*b*), exercitia: & sic porrò II. Bona (*c*) Conscientia: simul III. Meditatio (*d*) Verbi, & IV. Preces frequentes ac piæ (*e*): V. Calamitatum, quæ evenire possunt, tempestiva (*f*) & ad praxin accommodata (*g*) consideratio.

NOTÆ.

(*a*) Quibus, uti sensus afflictionum minuitur, ita patientiæ negotium non solùm aliis nominibus svadetur, verùm etiam redditur facilius.

(*b*) Nascitur enim patientia ex istis, & quidem ex *Fide, Jacob. I, 3.* ex *Dilectione. I. Cor. XIII, 7.* ex *Spe. Rom. VIII, 25.*

(*c*) Quæ ex exercitio virtutum, peccatis non interrupto, aut saltem intercedente pœnitentia redintegrato, pendet. Non solùm enim aliàs in vita humana, bonitas causæ in adversis solatio est, atque auget animum: sed & Christianos monuit S. Petrus I. Ep. IV, 15. 16. *Ne quis vestrum*, ait, *affligatur ut homicida, aut fur, aut facinorosus, aut curiosus alienarum rerum. Si verò ut Christianus* (affligatur), *ne pudefiat: glorificet autem* (potiùs) *Deum in hac parte. Proinde* (quod v. 19. additur) *qui patiuntur juxta voluntatem Dei, tanquam apud fidelem conditorem deponant animas suas in benefaciendo.*

(*d*) Quod

(*d*) Quod Christus ipse *verbum patientiæ* suæ (λόγον ὑπομονῆς) *Apoc. III, 10.* appellat: quippe quod non solùm de cruce & patientia Christi agit; sed etiam ad patientiam Christianos accendit, & in patientia fructum suum parit: juxta *Luc. VIII, 15.* Verbum etiam, providentiæ divinæ, auxilii & liberationis, certos nos reddit, atque ita mentes erigit & confirmat.

(*e*) Quibus *Deus patientiæ & solatii* (juxta *Rom. XV, 5.*) partim pro auxilio ad superandam crucem (exemplo Christi, *Matth. XXVI, 39.*); partim pro viribus ad ferendam interea crucem, invocatur. Sic enim Christiani pro se orare possunt, uti Paulus pro *Colossensibus* suis oravit, ut *omni robore corroborentur, juxta potentiam gloriæ* Divinæ, *ad omnem tolerantiam ac patientiam cum gaudio.* Cap. I, 11. pro *Thessalonicensibus, ut Dominus dirigat corda* illorum *ad dilectionem Dei & patientiam Christi.* II. Ep. III, 5.

(*f*) Prout *in Pace de bello cogitandum esse*, Politici monent: Et *tela prævisa minùs nocere* dicuntur. Petrus autem suos monuit: *Charissimi*, inquiens, μὴ ξενίζεσθε τῇ ἐν ὑμῖν πυρώσει, *ne peregrini sitis* (ne miremini aut stupeatis) super *ustione vestra*, (cùm in ignem tribulationis veneritis) *quæ ad experimentum vestrum fit: perinde quasi novum* (inexpectatum) *aliquid vobis obtingat.* I. Eph. IV, 12.

(*g*) Scilicet ut non solùm casus ipsos fortè eventuros, præconcipiamus animô: sed &

quid nobis tunc agendum; quomodo subeunda mala, atque animus obfirmandus aut muniendus, ne turbetur aut reluctetur vel flaccescat. Quam proinde *animæ præparationem ad tentationem* rectè appellabimus: juxta *Ecclesiastici* cap. II, 1.

§. V.

Impedimenta patientiæ sunt, præter neglectum (*a*) Mediorum, I. Amor rerum (*b*) terrenarum. II. Nimia sui (*c*) Fiducia. III. Calamitatum præsentium, quales ipsæ secundum se sunt, intempestiva (*d*) contemplatio.

NOTÆ.

(*a*) Ita enim calamitates hominem inermem facile superant, & vel ad fremitus, vel illicita præsidia quærenda, vel abjectionem animi movent. Inprimis verò vulnerata conscientia, antequam sanetur, sensum malorum exasperat, & fidem patientiam Christianam impedit. Imò fit aliquando, ut, qui per peccata sibi attraxerunt calamitates, per peccata alia sibi consulere velint, ut liberentur à calamitatibus.

(*b*) Quibus amissis, aut denegatis; vel inflictis malis oppositis, non potest non turbari animus, illis intemperanter addictus.

(*c*) Sic enim homo, vel periculis sese offert temerè; quibus superandis sese parem putat: vel ingruentibus malis, cùm infirmitatem suam

suam deprehendit, tantò magis prosternitur, aut velut in fugam vertitur.

(*d*) Quâ velut vertigine corripitur animus, qui potiùs ad Deum, calamitates infligentem, finemque calamitatum divinitùs expectandum, respicere debebat.

§. VI.

Removendis impedimentis, præter ea, quæ Mediorum usum (*a*) commendant, illa quoque conducunt, quæ (I) Amorem mundi inordinatum in nobis (*b*) extingvere; quæ (II) Fiduciam nostri (*c*) deprimere; quæ (III) Animum à contemplatione malorum tristium (*d*) in se, ad contemplandam providentiam Dei flectere (*e*) possunt & solent.

NOTÆ.

(*a*) Seu, quæ virtutum exercitia, studium bonæ conscientiæ, meditationem verbi, precum frequentiam, svadent.

(*b*) Turpitudinem & damnum ejus nobis indicando.

(*c*) Infirmitatis humanæ nos admonendo, ideoque in Deo fiduciam collocare jubendo.

(*d*) Vulgò sanè remedium doloris esse putatur, avertere animum à calamitate præsente: & negotiis aut conversationi honestæ & jucundæ locum dare.

(*e*) Ipsa sanè meditatio providentiæ divinæ

in afflictionibus rationem medii patientiæ habet. Ne autem homines calamitatibus pressi, has quidem velut fixis oculis intueantur; Dei rationem non habeant; opus est, ut argumenta ac testimonia providentiæ divinæ in promtu sint, quibus observatis, abducatur mens nostra à miseriæ præsentis sensu; *non spectans ea, quæ videntur, sed ea quæ non videntur*; juxta *II. Cor. IV. ult.*

§. VII.

Signa Patientiæ Christianæ (*a*) tunc maximè apparent, cum in afflictionibus (*b*) gravioribus, non tàm attractis (*c*), quàm præter intentionem (*d*) occurrentibus, ac deficiente omni humano (*e*) auxiliô, tamen homo Christianus, inter preces (*f*) & (*g*) cantica, operibus (*h*) vocationis suæ constanter fungitur (*i*).

NOTÆ.

(*a*) Quibus à fucata Tolerantia pariter & Impatientia distingvitur.

(*b*) Leviorum enim malorum tolerantia non statim probat profectus Patientiæ Christianæ.

(*c*) Scilicet & mali homines, quæ sibi suo jumentô attraxerunt mala, animo firmô interdum ferre solent: Audaces verò, qui se periculis exposuerunt, aliquando de periculis gloriantur. Christianus autem nec malum passionis per malum actionis proæreticæ in se derivare; nec periculis se offerre solet; ut diximus.

(*d*) Non

(*d*) Non quòd Christianus promtus non sit ad patiendum juxta voluntatem Dei; quàm quòd certam afflictionem, præter necessitatem optare aut sibi accersere, non audet.

(*e*) Ita, ut nôrit homo, deficere humana præsidia. Nimirum ubi evidenter apparet finis præsentium malorum, fortè mox secuturus; certè bonum humanum ingens inde ad nos redundaturum; nondum est genuinæ Patientiæ significatio.

(*f*) Ex fide in Christum factas: quibus *curas* suas *in Deum conjicit. I. Pet. V, 7.*

(*g*) Equidem eorum, qui bonis præsentibus gaudent, magis est *psallere*: juxta *Jacobi V, 13.* Datur tamen etiam tranquillitas animi in afflictionibus. Ac Martyres etiam in passionibus mediis cecinisse Deo leguntur. Sunt autem & formulæ cantionum, quibus se afflicti solantur. Quanquam non omnium sit, etsi Christianô more patientium, vel propensio ad canendum, vel in talibus exercitatio.

(*h*) Sic *B. Chytræus* Regg. Vit. de Patientia, p. 99. cum inter objecta Patientiæ memorasset *Famæ pericula, contemtum, ignominiam, obtrectationes, odia, columnias, convitia insciticæ, stultitiæ, ignobilitatis, inopiæ, & similium*; hæc addit verba: *Quorum illa sedatè & placidè toleranda, hæc prorsùs contemnenda sunt, & nihilominùs Deo grata, & Ecclesiæ ac aliis salutaria, constanter juxta vocationem facienda sunt.*

(i) Placet huc referre effigiem Patientiæ, quam Tertullianus lib. peculiari sub finem pulchrâ hâc πρωσοποποιία exhibet. Sic autem ille p. m. 10. b. 11. a. *Vultus illi tranquillus & placidus, frons pura, nullâ mœroris aut iræ rugositate contracta; remissa æquè in lætum modum supercilia, oculis humilitate non infelicitate dejectis. Os taciturnitatis honore signatum. Color, qualis securis & innoxiis. Motûs frequens capitis in diabolum & minax risus. Cæterùm amictus circum pectora candidus, & corpori impressus: ut qui nec inflatur, nec inquietatur. Sedet enim in throno spiritus ejus mitissimi & mansvetissimi, qui non turbine glomeratur, non nubilo livet, sed est teneræ serenitatis, apertus & simplex, quem tertiò vidit Helias. Nam ubi Deus, ibidem & alumna ejus, patientia scilicet. Hæc patientiæ ratio, hæc disciplina hæc opera cœlestis & veræ (B. Rhenanus* subaudiendam putat vocem *patientiæ) scilicet Christiana* (opera, intelligit Rhenanus) *non ut illa patientia gentium terræ* (*terrena*, juxta Rhenanum) *falsa, probrosa.* Sed operæ pretium fuerit, Tertulliani pariter Librum & Chytræi discursum perlegisse integrum.

Capi-

CAPITIS VII. SECTIO IX.

DE INVOCATIONE DEI MENTALI.

§. I.

SEquitur, tanquam ad Cultum Dei Internum (*a*) pertinens, Invocatio (*b*) religiosa (*c*), per quam homo (*d*) renatus ad Deum (*e*) trinunum (*f*), Christumq; (*g*) προσφώνημα, desideria bonorum spiritualium (*h*) & corporalium (*i*) conferendorum, simul ablationis malorum (*k*) oppositorum, seriò atque humili (*l*) cordis affectu, firmâque animi (*m*) fiduciâ, dirigit: & sic (*n*) bona ipsa ab eo solo (*o*) & juxta voluntatem (*p*) ejus, vel sibi, vel aliis (*q*), frequente (*r*) & perseverante (*s*) studiô petit.

NOTÆ.

(*a*) Sic enim h. l. consideranda est Invocatio Dei, quatenùs *mentalis* est, seu actibus internis humanæ mentis constat. Quatenùs autem per signa externa, præsertim vocis, sese exerit, ad Cultum Dei externum pertinet; atq; ita paulò pòst spectanda recurret. Potest autem etiam interna Invocatio esse absque externa.

(*b*) Quam Græcè Δέησιν & προσευχὴν appellant

lant ex *I. Tim. II, 1.* licet vocum istarum hæc sit differentia, ut illa supplicationem, velut indigentis ope atque auxilio; hæc orationem, quâ desideria cordis, (sive ea, quæ optamus,) ad alterum, qui dare potest, afferimus aut ei exponimus; significare videatur. Additut l. c. ἔντευξις seu interpellatio aut intercessio, qua pro alio ad explendam ejus indigentiam aut bona ei conferenda, oramus. Quam neque hîc excludimus; ut mox apparebit.

(c) Quæ à compellatione civili hominum in eadem societate viventium differt. Importat autem religiosa invocatio subjectionem invocantis erga eum, qui invocatur, cum apprehensione perfectionis humana majoris, in eo, qui invocatur; cujus vi ipse superior sit eô, qui invocat, & juvare hunc possit.

(d) Talem enim hîc spectamus: & novimus, quòd *peccatores Deus non exaudiat. Joh. IX, 31.* Requisita autem interna orantis ex seqq. cognoscentur.

(e) *Patrem nostrum, qui est in cœlis. Matth. VI, 9. Luc. XI, 2. Joh. IV, 23. c. XV, 24.* tanquam causam omnium bonorum, quæ desideramus; vi sapientiæ, bonitatis & potentiæ divinæ.

(f) Hæc enim, quæ modo diximus, communia sunt tribus personis. Neque homo Christianus ita diriget preces ad Deum, ut non meminerit Dei, qualem ipse se revelavit; non tantùm

tùm unum in essentia, sed & Patrem, Filium & Spiritum S. quoad personas.

(*g*) Ob communicatas Christo, etiam quà homo est, perfectiones verè divinas: quemadmodum constat, Christum hominem etiam in diebus carnis invocatum fuisse. Vid. *Matth. XX, 30. Luc. XVIII, 38.*

(*h*) Quæ ad *sanctificationem hominis* divini, *adventum regni*, & impletionem *voluntatis* ejus pertinent: juxta orationis Dominicæ petitiones tres priores.

(*i*) Quæ nomine *panis quotidiani* appellantur, & ad vitæ hujus sustentationem pertinent Ἄρτος enim ἐπιούσιος, est *panis superveniens*, adventitius, accessorius: qui regnum Dei quærentibus à Deo προστίθεται *adjicitur Matth. VI, 33.*

(*k*) Ut *remittantur nobis peccata: ne inducamur in tentationem: ut liberemur à malo.*

(*l*) Ita ut fiat *in spiritu & veritate. Joh. IV, 23. 24.* i. e. *in veris seu novis interioribus virtutibus cordis, excitatis per Spiritum Sanctum, & in operibus à Deo mandatis*; nimirum in *oppositione ad umbras figuram & hypocrisin externarum operationum sive opinionem operis operati*: uti optimè omnium exponit *B. Mart. Chemnitius* Harm. Evang. Cap. XXXII. p. m. 420. Atque hoc etiam est, *attollere animum ad Deum in cœlis.* Thren. Jerem. c. III, 41. Unde etiam peculiariter cognoscimus, Humilitatem in precibus requiri; scilicet,

licet, ut non dignitate noſtrâ aut meritis freti, ſed tanquam ex indebita ſummi Numinis gratiâ, bona illa deſideremus ac poſtulemus; dicentes: *Ecce cupio alloqui Dominum, tametſi ſim pulvis & cinis. Geneſ. XVIII, 27.* Confer *Pſal. CXVI, 16.*

(m) In merito Chriſti fundata: quâ ratione ſimul ad gratiam ſeu miſericordiam aut amorem paternum Dei, & veracitatem promiſſionum, reſpectus habetur. Et hoc eſt *orare in nomine Chriſti. Joh. XVI, 23.* Hic eſt ille *aditus* (προσαγωγὴ) *cum fiducia per fidem Jeſu Chriſti. Epheſ. III, 12.*

(n) Nimirum cogitationes & deſideria noſtra dirigendo ad Deum, *loqui Deo*, aut alloqui Deum, rectè dicimur: *Qui* enim *ſcrutatur corda, novit quis ſit ſenſus ſpiritus. Rom. VIII, 27.*

(o) Nulli, inquam, niſi vero Deo, uti cultus religioſus totus, ſic invocatio religioſa, deferri debet: non angelis, aut hominibus, ſive ſuperſtitibus his, ſive mortuis. *Dominum Deum tuum adorabis* (& invocabis) *& illi ſoli ſervies* (adorando & invocando.) *Matth. IV, 10.*

(p) Non autem indiſcriminatim & abſolutè, quæcunque nobis videntur & placent bona, abs eo poſtulemus: ideoque potiùs adhibeamus eam differentiam, quam ſuprà in doctrina de Spe Chriſtiana Sect. VI. §. 1. nota (*h*) p. 354. 355. indicavimus; inter bona *temporalia* & *ſpiritualia*; atque horum *alia* ſalvandis prorſus neceſſa-

cessaria; *alia* non æquè necessaria, quamvis jucunda atque utilia: Quorum prima & postrema classis, non tàm simpliciter, quàm sub conditione, (nisi Deo aliter visum fuerit) uti sperari, ita rectè peti à Deo possunt: mediæ verò classis bona, quia dubium non est. Deum ea velle conferre, simpliciter seu absque conditione, rectè petuntur. Quanquam etiam huc spectat, quòd cùm bona petimus à Deo, eô modô illa nobis conferri petamus, qui Divinæ voluntati respondet.

(*q*) Neque enim homo Christianus in precibus suis sui tantùm rationem habet; sed & proximi: prout ἐντεύξεις seu intercessiones, cum aliis precum formis conjungi ab Apostolo vidimus. *I. Tim. II, 1.* Atque ita non solùm pro singulis, sed & multis simul, amicis atque inimicis, oratur.

(*r*) Quoad operam precandi quotidianam, & quoties occasionem præbet nostra aut aliorum indigentia: mens autem ab aliis operibus vocationis nostræ abstrahi potest.

(*s*) Quatenus, cùm differtur auxilium aut beneficium divinum, preces tamen oportet continuari sine defatigatione.

§. II.

Pugnat cum officio invocandi Deum, I. Negligentia (*a*) precum. II. Invocatio eorũ, qui (*b*) vel quæ non sunt Deus: III. Preces ad

Deum

Deum quidem, sed non (*c*) secundum voluntatem Dei; aut absque (*d*) devotione; aut sine (*e*) fide; aut cum fiducia proprii (*f*) meriti; aut ob orante, pro se tantum, neglectis aliis (*g*), factæ.

NOTÆ.

(*a*) Sive Omissio invocationis Dei: quod vitii genus David describens *Psal. XIV, 4. LIII, 4. Jehovam*, ait, *non invocant*. Quamvis enim sint, qui metonymicè totum Dei cultum nomine invocationis Jehovæ hîc denotari putent: tamen hac ratione fatendum est includi officium precum. Et contextus indicat, describi eos, qui in ipso officio precandi deficiunt: quod ex infrà dicendis constabit. Est autem etiam officio invocationis Dei adversum, si rariùs oremus, aut in precibus, fructu non statim apparente, segnescamus aut delassemur.

(*b*) Sive sint Deastri aut Idola gentilium Pseudoprophetæ & Pseudosancti Muhammedanorum: sive Angeli aut Homines sancti & beati, aut ipsa θεοτόκος Maria: ad quos preces internæ (de externis suo loco dicemus) diriguntur. Nec tantùm peccatum est, si invocentur, ut Deus: sed etiam, si sub alio quocunque prætextu. Religiosus enim cultus atque invocatio simplex est, neque admittit gradus.

(*c*) Quando vel bona, quæ Deus non vult dare aut promisit, temerè petuntur; vel; quæ per

per media v. g. laboris, solicitudinis, &c. tantùm dare vult, absque mediis (quippe à parte hominum neglectis aut fastiditis) dari postulantur: vel in precibus media ipsa definiuntur, quasi alligando Deum ad media: vel tempus certum conferendi bona desiderata præfigitur Deo.

(*d*) Quod hypocritis familiare est: non tantùm in externis, sed & internis precibus.

(*e*) Qualis est omnium, qui extra Ecclesiam sunt, quantumcunque ardens & frequens, precandi studium: Est autem & Pseudo Christianorum, qui in peccatis contra conscientiam perseverantes, simulacrum fidei, non fidem veram in Christum habent: neque adeò ex vera fide orant. Aut qui *manus* (mentem) *cædibus plenas* (plenam) *ad Deum expandunt. Esaiæ I, 15.*

(*f*) Quod cùm fit, neque ex humilitate, neque ex fide vera, neque adeò juxta voluntatem Dei oratur. Quanquam hæc non tantùm Pharisaica, sed & Monachalis Pontificia, forte & aliorum, precandi ratio est; postulantium à Deo sibi dari, quod Deus (ipsorum opinione) debeat.

(*g*) Pugnat sanè cum invocatione Dei, quam §. præced. descripsimus, si quis pro se orans, pro aliis orare negligat. Quanquam enim cum ipsa charitate proximi pugnare directè videatur: simul tamen detrahit Deo cultum, quò non nostra solùm, sed aliorum omnium indi-

gentia Deo commendari,& gloria omnis boni conferendi ei tribui debet. Unde tantò magis necesse est repugnare huic officio,si quis Deum invocet,ut alios homines confundat & perdat; ut martyrium,passio,vulnera Christi, vindictæ nostræ serviant,& alios perdant.

§. III.

Motiva Invocationis Dei religiosæ sunt I. Mandatum (*a*) Dei. II. Indigentia (*b*) nostra. III. Paternus Dei (*c*) affectus,potentia (*d*) & promissio (*e*) exauditionis. IV. Invocationis ipsius (*f*) dignitas atque utilitas (*g*). V. Omissionis (*h*) ejus, itemque Invocationis falsi (*i*) Dei , aut quæ alias inepta (*k*) est , turpitudo & damnum.

NOTÆ.

(*a*) Quod expressum est *Psal. L, 15. Invoca me.* Ita ut constet,non esse rem ἀδιάφορον , in arbitrii nostri libertate positam ; sed ratione præcepti divini necessariam. Unde *Lutherus* in oratione Dominica rythmo expressâ , Deum compellans, dicit : Du willst das Beten von uns han. Confer I. *Tim.* II,1. quod enim ibi Paulus ut προσκαλῶν, profert,auctoritate muneris,ut Legatis Dei , prolatum novimus. Idem verò precum Assiduitatem præcipiens , fideles jubet esse τῇ προσευχῇ προσκαρτεροῦντας. *In precatione per-*

ne perdurantes. Rom. XII, 12. I. Thess. V, 17. scribit: *Indesinenter* (ἀδιαλείπτως) *orate.* Christus quoque sermonem habuit, πρὸς τὸ δεῖν πάντοτε προσεύχεσθαι, καὶ μὴ ἐκκακεῖσθαι, *quòd oporteat semper orare, nec segnes esse,* aut defatigari. *Luc.* XVIII, 1. Quòd autem solus Deus sit invocandus, constat ex locis, quæ jubent, in solo Deo tanquam causa bonorum collocandam esse fiduciam: quæque prohibent alienos habere Deos coram ipso. Vid. *Exodi* XX, 3. seqq. *Matth.* IV, 10. *Rom.* X, 13.

(b) Nimirum, qui sibi ipsis non sufficiunt, aliunde opem quærunt, & supplicando impetrare student, quod sua vi, auctoritate aut meritis obtinere non possunt. Homines itaque, qui *in Deo vivunt, moventur & sunt* (*Act. XVII, 28.*) *Qui non idonei sunt per se ipsos ad cogitandum quicquam* (boni; nedum ad perficiendum;) *velut ex se ipsis; sed quod idonei sunt, id ex Deo est. II. Cor. III, 5.* à Deo orabunt, quod sibi deest. Deest autem iis perpetuò aliquid, partim quòd Viatores adhuc sunt, nondum Comprehensores; partim, quòd per lapsum Protoplastorum multò egentiores facti, animò & corpore corrupti, ideoque morti & omnis generis molestiis atque ærumnis subjecti sunt. Neque ulla virtus creata explendæ ipsorum indigentiæ satis est, aut ad consequendam beatitudinem.

(c) Quò invitamur aut allicimur ad petendum. Vult enim invocari, ut *Pater. Matth.*

VI, 9. Luc. XI, 2. Et preces piorum coram eo sunt instar *thymiamatis*, quô delectatur. *Psal. CXLI, 2. Apocal. V. v. 8.*

(*d*) Cujus vi *potest ultra omnia facere plus quàm abundanter, quæ petimus* (ὑπὲρ πάντα ὑπὲρ ἐκπερισσοῦ ὧν αἰτούμεθα ἢ *aut cogitamus, juxta vim efficaciter agentem in nobis. Ephes. III, 20.* Scilicet ut cum fiducia petamus opem ab alio, non sufficit nosse, quòd velit, sed quòd possit etiam juvare.

(*e*) Quæ voluntatis firmæ declaratio quædam est; quâ Deus, qui nostrô jure nihil nobis debet, sponte tamen se obligat, & conferendi boni certos reddit orantes. Tales sunt promissiones. *Es. LXV. v. 24. Antequam clamabunt, ego exaudiam; adhuc loquentibus ipsis ego audiam.* & *Joh. XVI, 23. Amen, Amen dico vobis, quæcunque petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Confer *Ps. L, 15. XCI, 15. Matth. VII, 7. XVIII, 19. Luc. XI, 9. Joh. XIV, 13. XV, 7.*

(*f*) Est enim actus sacerdotii spiritualis. Vid. *Apoc. V, 8. VIII, 3. 4.* Est colloquium familiare cum Deo: quô & nos μετὰ παῤῥησίας alloquimur Deum & eum blande, instar Patris, respondentem (vi promissionum veracium, & efficaciæ earundem) piô corde audimus. Est præcipuum cultus divini exercitium: ita ut totus cultus divinus nonnunquam nomine *precum* appelletur. *Genes. XXII, 5. Zachar. VIII, 21. Joh. IV, 21. Act. IX, 14. I. Cor. XI, 4.* & Spiritus Sanctus,

ctus, omnium bonorum supernaturalium largitor, *spiritus precum* appellatur, *Zachar. XII, 10.* imò, quando oramus, ipse *Spiritus in nobis clamare* dicitur: *Abba, Pater. Rom. VIII, 15. Galat. IV, 6.*

(g) Pendet enim ab ea bonorum desideratorum consecutio, juxta *Psal. CXLV, 19.* ac speciatim (1) remissio peccatorum quoad culpam & reatum pœnæ æternæ, prout David, cùm dixisset: *Exaudis* (ô Deus) *orationem: ad te usque omnis caro ventura est, Psal LXV, 3.* statim addit: *Res iniquæ* (iniquitates meæ) *prævaluerant mihi, defectiones nostras tu expias.* v. 4. Confer. *Psal. XXXII, 6.* ubi etiam *sancti* dicuntur *orare* Deum, *propter* remissionem peccatorum, & sic *auferri* ab ipsis peccatum. (2) Pœnarum sive castigationum temporalium vel ablatio vel mitigatio (quoties animabus nostris ea futura est utilis) quod exemplo Ninivitarum constat, *inclamantium Deum*, & à malo imminente liberatorum. *Jonæ III, 8. & 10.* & Davidis, qui pestis jam grassantis moderationem precibus obtinuit. II. *Sam.* XXIV, 16. 17. 25. (3) Lucis spiritualis aut Sapientiæ cœlestis collatio: juxta illud Salomonis: *Si sapientiam inclamaveris, ad intelligentiam ediderit vocem tuam, --- tunc intelliges reverentiam Jehovæ, & cognitionem Dei consequeris. Proverb. II, 3. 5.* cui respondent verba Jacobi: *Si quis vestrûm destituitur sapientiâ, postulet eam à Deo, qui dat* (*sua dona*) *quibusvis*

eum simplicitate, & minimè ea exprobat; & dabitur illa) *ei* Cap. I. v. 5. Imò (4) dona Spiritûs Sancti quævis: juxta *Luc.* XI, 13. & sic etiam (5) roburanimi, seu firmitatem in sancto proposito & ad superanda obstacula, tentationes, pericula varia: quemadmodum David: *Quo die clamavi*, ait, *eodem exaudivisti me, fecisti ut efferret me animo meo robur. Psal.* CXXXVII, 3. Confer *Ephes.* III, 14. & 16. Sed & (6) bona corporis: uti Hiskiæ Regis precibus sanitas à Deo obtigit, *Esaiæ* XXXVIII, 21. & Jacobus hoc nomine preces commendat ægrotis, quas ipsi pro se, & consortes fidei pro illis faciant. Cap. V. v. 14. 15. ac vitæ prolongationem, quam & exemplum Hiskiæ l. c. confirmat, David quoque precibus tribuit *Psal.* XXI, 5. Quibus accedit (7) felix successus actionum honestarum. *Siracid.* XXXVII, 19. *Tobiæ* IV, 20. (8) Defensio ab insidiis & violentia hostium: juxta *Psal* CXLI, 5. CXLIII, 9 quanquam in multis Psalmis, ubi David auxilium adversus hostes petit, idem mox sibi pollicetur. v. g. *Psal.* III, 1. seqq. IV, 9. & 13. VII, 1. & ult. X, 1. & 17. & 18 XIII, 3. & 6. XXVIII, 3 & 6. XXXI, 16. seqq. & passim. Quò pertinet (9) victoria Satanæ. *Matth.* XVII, 21. *Jacob* IV, 7. *Resistitur* enim Diabolo, cùm vis major, quæ Dei est, precibus obtinetur, ut fiat nostra, quâ prævaleamus. Denique (10) ex precibus pendet salus æterne. *Omnis enim qui invocaverit* (ex fide in Christum) *nomen Domini, salvabitur. Rom. X, 13.*

(*h*) *Pec-*

(*h*) *Peccant* enim *in Jehovam, qui desinunt supplicare* pro proximo. *I. Samuel. XII, 23.* Quidni verò itidem peccent, qui pro se ipsis non orant, atque hunc cultum denegant Deo? Itaque etiam non impetrant bona, (præsertim spiritualia; quanquam nec temporalia ad verum usum,) qui non orant. *Effundit* potius *Deus iram suam super familias, quæ nomen* suum *non invocant. Psal. LXXIX, 6. & Jerem. X, 25.*

(*i*) Prout Elias ludibrio habuit Baalitas, Deastrum suum anxiè quidem, sed frustrà, invocantes. *I. Reg. XVIII, 27.* seqq. Et Israelitæ, Deum invocantes, *Abraham*, dicunt, *nescit nos, & Israël non agnoscit nos. Esaiæ LXIV, 16.* docentes non convenire, ut invocemus eos, qui curam nostri non habent: quales non tantùm sint fictitii gentilium Dei, aut idola, sed & veri sancti; qui tamen Deus non sunt.

(*k*) Orare ad Deum, qui nec omnia quibusvis, neque cuiquam ex debito, sed pro sapientia & bonitate sua, liberè confert bona: nec tamen secundum voluntatem Dei orare; planè absurdum est. Orare ad Deum inspectorem cordium; nec tamen devotè orare, stultitiæ argumentum est. Orare ad Dominum absolutæ potestatis, in quem nihil nobis juris est, imò in quem toties peccamus; & tamen cum fiduciâ meriti nostri orare, non minoris dementiæ est. Pro se orare tantùm, non autem pro aliis, vitiosa φιλαυτία est, quam Deus odit: qui ut *Pa-*

ter noſter, velut plurium, invocari poſtulat. Denique orare ad Deum, qui ſummè bonus eſt, ut his, quos privatô odio proſequimur, noceat; præſertim ut per ea noceat, quæ ad ſalutem æternam deſtinata ſunt: extremæ improbitatis eſt. Unde ſimul Damnum ex his omnibus proficiſcens apparet. *Scimus, quòd peccatores Deus non exaudiat. Joh. IX, 31.* Et quemadmodum *ſacrificium*, ſic oratio *impiorum abominationi* eſt *Jehovæ. Proverb. XV, 8. XXI, 27. Phariſæus* opera ſanctitatis ſuæ allegans in precibus, (ita enim πρὸς ἑαυτὸν προσηύχετο, *apud ſe orabat,*) iisque confidens, infelix abiit, *Luc. XXIII, 9.* ſeqq. Mater filiorum Zebedæi, temeraria petens à Chriſto, ac dicens: *Dic, ut ſedeant hi duo filii mei, unus ad dexteram tuam, alter ad ſiniſtram, in regno tuo;* hoc reſponſi abſtulit: *Neſcitis, quid petatis. Matth. XX, 21. 22.*

NOTÆ.

Media (*a*) invocationis piæ (*b*) ſunt: I. Ea, quæ agnitionem (*c*) indigentiæ noſtræ & providentiæ (*d*) divinæ, ipſoſq; fidei (*e*) actus commendant aut promovent: II. Exemplorum (*f*) Chriſti (*g*) & ſanctorum (*h*) aliorum, recte & cum fructu orantiũ, meditatio diligens (*i*). III. Motuum ſanctorum, quos Spiritus S. excitat (*k*) in nobis, ſolicita obſervatio & (*l*) uſus. IV. Deſiderium aut bre-

ve

ve(m) ſuſpirium ad Deum pro dono (n) orationis concedendo.

NOTÆ.

(a) Alii *Auxilia* precum appellant: & *præparationi* ad precationem ſervire docent.

(b) Partim quoad *exercitium* actûs, partim quoad *ſpeciem* aut requiſita ſpectatæ.

(c) Ad hanc enim cum pertingimus, ſimul ad quærendam opem alienam diſponimur. Docemur autem de indigentia noſtra, partim per experientiam, partim per revelationem, ex quâ corruptionem totius naturæ noſtræ, & quæ hinc oritur carentia bonorum ſpiritualium & corporalium, & præſentiam aut præſagia malorum diſcimus. Unde & indigentia proximi conſiderari debet, ut pro eo orare ne negligamus.

(d) Quæ animum addit, ne audeamus accedere ad thronum gratiæ. Itaque conſiderari debet providentia Dei, generalis, ſpecialis & ſpecialiſſima: ipſaque Præſentia Dei benigniſſima, potentiſſima, ſanctiſſima. Sic promtè, cum fiducia, atque humilitate animi orabimus.

(e) Ex fide enim proficiſcitur Invocatio: & πεποίθησις, quæ eſt in fide, gignit παῤῥησίαν precum. Quæ audem Fidem ipſam excitent, ſuprà Sect. III. vidimus.

(f) Ea enim ſic alliciunt voluntatem ad orandum, ut ſimul intellectum dirigant in oran-

do, dum formam seu exemplar actionis religiosæ suppeditant. Loquimur autem h. l. de exemplis licet actuum externorum, tamen quatenus mentalis oratio sese prodit & imitandam sistit aliis.

(g) Qui non tantùm in diebus carnis suæ crebrò oravit; v. g. post Baptismum *Luc. III, 21.* muneri Prophetico intentus. *Matth. XIV, 23. Marc. I, 35. VI, 46. Lucæ V. 16. VI, 12. IX, 18. & 28.* ad passionem suam tendens. *Joh. XVII, 1.* hâc inchoatâ. *Matth. XXVI, 36. Marci XIV, 35. Lucæ XXII, 41.* jam crucifixus, *Ebr V, 7.* sed & posteà, atque etiam nunc, ad dexteram Dei sedens, orat pro nobis. *Rom. VIII, 34. 1. Joh. II, 1.*

(h) v. g. Davidis, cujus tot Psalmi precatorii; & Danielis, cujus fervor orandi & orationis formula, scripta leguntur Cap. VI, 11. seqq. & Cap. IX.

(i) Cum intentione & studio imitandi conjuncta.

(k) Et quorum vi aptos nos facit ad orandum, qui nec ex nobis, nec semper æquè, idonei sumus. Est enim ipse *Spiritus precum. Zach. XII, 10. per quem* oramus. *Gal. IV, 6.*

(l) Scilicet ut impetum illum ductumque sequamur: dicentes cum Davide: *Paratum est cor meum, ô Deus, paratum est cor meum. Psal. LVII, 8.* (nimirum ad orandum, uti Davidis ad laudandum:) Imò hanc velut flammulam flatu susci-

ſuſcitemus, & *excitemus* nos *ad prehendendum* Deum. *Eſaiæ XLVI,9.*

(*m*) Orationem *jaculatoriam* aliqui appellant; & h.l *propreçatoriam* aut *propetitoriam.*

(*n*) Juxta illud, quod ex *Nilo*, Theſſalonicenſium Epiſcopo, traditur: *Si vis orare, opus eſt, ut Deus orationem oranti tribuat.* Unde commendantur formulæ: Κύριε δίδαξον ἡμας προσεύχεσθαι. *Domine, doce nos orare. Luc. XI,1.* aut ex *Pſal. LI,17, Domine, aperi labia mea:* cordis præcipuè, ut *ex abundantia cordis eo loqui* poſſit. *Matth. XII,34. Luc. VI,45.*

§. V.

Impedimenta precationis (*a*) Chriſtianæ ſunt: Tentationes Satanæ, Mundi & Carnis (*b*), quibus vel ab ipſo propoſito (*c*) orandi abſtrahimur, vel inter orandum (*d*) turbamur. II. Evagatio (*e*) cogitationum (*f*) voluntaria. III. Securitas (*g*) carnalis. IV. Diffidentia (*h*) erga Deum. V. Terrenarum rerum amor & cura (*i*) inordinata.

NOTÆ.

(*a*) Quibus vel fit, ut plane omittantur preces, vel ut non fiant rectè, cum fiunt.

(*b*) Quibus Chriſtiani etiam boni petuntur, & præter aut contra voluntatem ſuam functionis hujus ſanctæ abſtacula patiuntur.

(*c*) r.

(*c*) v.g. Cùm Satanas indignitatem noſtram nobis exprobrat, & ſpem exauditionis apud Deum minuit; atque ita avertit à ſtudio precum, tanquam fruſtraneo. Cùm Satanas aut Mundus exercitium precum non eſſe neceſſarium, aut eſſe moleſtum & laborioſum, perſuadent. Cùm Caro noſtra ſeu natura corrupta cogitationes ejusmodi aut motus inordinatos ipſa concipit, qui non mox reprimuntur per ſpiritum.

(*d*) Non ſolùm quando ſimilia cum his, quæ modò dicta ſunt, inter orandum patimur; verùm etiam, cum Diabolus blaſphemas aut obſcœnas aut alias non ſanctas cogitationes inſpirat, vel phantaſiæ aut ſenſibus externis ſpecies objectorum, ſive terribilium, ſive aliorum, quæ mentem confundunt, exhibet, ut ſanctâ & jucundâ illa converſatione eum Deo vacare non poſſint. Similiter Mundus orantibus impedimento eſt, quando illos intempeſtivâ compellatione, & vel blanditiis, quibus eos in conſortium ſuum & ad res vanas abſtrahat, vel comminationibus aut ſtrepitu, lacesſit. Denique Caro noſtra etiam in ipſo orationis opere, varios motus ſeu effectus vel non advertentibus objicit, quibus ſe impeditos potiùs, quàm impediri videant.

(*e*) *Diſtractionem* vulgò vocant: cujus vi, *pluribus intentus* animus *minor* aut impar eſt *ad ſingula*, præſertim ad arduum precationis opus, quod jam inchoatum eſt, rectè perficiendum: Quip-

Quippe quòd mens aliorum objectorum cogitatione occupata; hoc ipso & tunc, quando debebat, non fertur in rem à Deo petendam, aut in Deum ipsum, qui invocandus est.

(*f*) Quamvis verò etiam in casu tentationis fidelium, quam à Satana, Mundo aut Carne patiuntur, aliqua mentis distractio locum habeat: de quâ ipsi mox dolent. Hîc tamen eam intelligimus, quæ vel ex liberiore voluntatis motu nascitur, vel ad quam consensus voluntatis aut indulgentia quædam plenior accessit: quæque adeò si non prosus *affectata*, *crassa* tamen est aut cum negligentia supina conjuncta.

(*g*) Per quam homo indigentiam suam, præsertim bonorum, tanquam à Deo obtinendorum, non agnoscit; ac proinde Deum, quem invocare debebat, negligit, Idque solenne est hominibus, quibus peccata in deliciis sunt.

(*h*) Unde animus hominis à studio orandi, tanquam frustraneo, abstrahitur.

(*i*) Sic enim homo non solùm à petitione bonorum spiritualium ad quærenda minora deducitur: sed & fiduciæ in orando deliquium quoddam patitur: aut in bona ipsa, quæ desiderat, non tàm per preces, quàm per alia & fortè illicita media, tendit: aut inter orandum distrahitur & circumvagatur.

§. VI.

§. VI.

Ad removenda (*a*) impedimenta necesse est 1) ut ea observentur, quæ alias tentationibus (*b*) opponuntur, remedia: speciatim 2) ut peccata (*c*) abrumpantur. 3) ut sensus præsentiæ Dei (*d*) firmiter imprimatur animo. 4) ut quæ amorem & curam rerum terrenarum minuunt, aut moderantur (*e*), sæpius expendantur.

NOTÆ.

(*a*) Partim ut declinentur, ne occurrant; partim ut superentur, quæ jam obtigerunt.

(*b*) Quæ quidem multa & varia sunt: de quibus suô locô agemus. Interim h. l. necesse omninò est, *resistere Diabolo*, *Jacob. IV, 7.* *non conformari* mundo. *Rom XII, 2* *non terreri terrore* illorum. *I. Pet. III, 14.* *pugnare spiritu adversus carnem. Gal. V, 17.* &c.

(*c*) Phrasi Prophetica *Danielis IV. v 27.* quod aliàs dicitur *recedere à malo. Psal. XXXVII, 27.* *desinere malefacere. Esaiæ I, 16. 17.* *deponere veterem hominem. Eph. IV, 22.* Abrumpere autem dicimus peccatum, quô tanquam fune constringebamur, & à quô non tàm suaviter, quàm adhibitâ vi & intensis velut nervis, liberamur: ita ut non cunctando aut connivendo, velut sensim & absque ægritudine, sed agnitô peccato familiari, confestim & alacriter, decretoque ani-

animi firmô & nunquam revocando, cessemus operari, quod malum est. Quod cum fit, jam minùs impediti accedemus ad Deum.

(*d*) Sic cavebimus nobis ab evagatione animi seu cogitationum, atque ab ipsa carnali securitate; quando in conspectu summi Numinis & παῤῥησίᾳ nos consistere perpendemus. Sic etiam diffidentiæ medebimur, cùm Deum optimum maximum, velut dexteram offerentem, intuebimur: *coram eo procumbentes. Daniel.* IX, 18. quasi qui libellum supplicem ad pedes Domini deponunt.

(*e*) De quibus suprà non semel dictum est. Atque hoc aliàs dicunt idem esse, ac deponere sarcinam, quæ nos in terram curvos reddidit; & ne in cœlum attollere possemus vultum, impedivit. Quanquam hoc etiam referri possit ad id, quod de abrumpendo aut deponendo peccato diximus. Nota (c)

§. VII.

Signa profectuum in hac functione orandi sunt: I. Gaudere, quando per occupationes muneris otium datur ad preces (*a*) pleniores. Imô II. ubi prolixior mora deest, interea in mediis negotiis (*b*) mentem elevare ad Deum. Contra III. tristari aut indignari, si quando arceamur (*c*) a liberiore orandi exercitio. IV. Non tam defatigari orant

rando, quàm torporem aut segnitiem ipsam carnis (d) excutere. V. Si maxime signa externa (e) exauditæ orationis non appareant, non tamen desciscere a studio (f) orandi.

NOTÆ.

(a) Sive ubi animo ab aliis curis vacuo diutiùs immorari licet colloquio familiariori cum Deo. Sic enim apparet firmior mentis inclinatio ad orandum: quemadmodum in alia quavis functione, quò magis delectamur agendo, & nobis gratulamur de actionibus non impeditis, eò magis progressus noster in hoc genere actionum cognoscitur.

(b) Quasi subducendo se ac tendendo ad ea, quæ maximè grata sunt animo. Atque hoc est, quod de precibus *Ejaculatoriis* dicitur, quæ quacunque occasione dirigi possunt, & mens nostra sic aspirare ad Deum, indigentiam nostram ei, licet tacitâ mente, ac quasi suspirio brevi declarando, atque auxilium poscendo.

(c) Nempè diu quidem, aut prorsus, arceri se ab orando, (præsertim mente orando) non patientur homines fideles; sed tamen interdum se impediri aut impeditos fuisse cognoscunt ac dolent. Dolent ergo tanquam de eo, quod inviti patiuntur, & ubi mens ad oppositum tendit, ac precibus assuevit.

(d) Sic nimirum Spiritus precum in nobis prævaluisse adversus carnem cognoscitur.

(e) Quæ

(e) Quæ ne hodiè quidem de lege communi dantur, ab ipsa promissionum divinorum veracitate; & bonorum, quæ poposcimus, actuali collatione, distincta: Prout nec semper *Internam* cordis lætitiam & sensum gratiæ divinæ, tanquam exauditis precibus ad nos spectantis; experiri possunt fideles, cùm maximè velint: præsertim quia tentationes haud rarò intercedunt, & lætitiam spiritualem Deus aliquando differt, ut posteà abundantiorem concedat; interim humilitatem & patientiam nostram exerceat.

(f) Hoc enim instare apud Deum; atque in orando animosum, in expectando patientem; certè humilem & cum filiali fiduciâ res suas, apud Deum, agentem, atque ita coram throno Dei procumbentem; velut supplicem, nec discedere volentem, se ostendere.

Capitis VII. Sectio X.

De GRATIARUM ACTIONE MENTALI ERGA DEUM.

§. I.

DEnique ad cultum Dei internum pertinet (a) Gratiarum (b) actio religiosa (c),

per quam homo renatus *(d)*, in omni statu *(e)* aut sorte sua, bona omnia *(f)* spiritualia & corporalia, quæ sibi aut *(g)* aliis contigerunt, in Deum trinunum, Christumque Θεάνθρωπον, tanquam *(h)* auctorem, serio *(i)* & submisso *(k)* animo refert; illius virtutem *(l)* & bonitatem *(m)* maximi æstimat; atq; apud animum *(n)* celebrat, seque ideo *(o)* ei ad præstandum omnem cultum & obsequia, & quicquid ei gratum esse potest, obligatum agnoscit *(p)*, eòque *(q)* inclinatur, ac mente ad Deum directa *(r)* frequenter, *(s)* & cum laude *(t)* Dei ac perfectionum *(u)* ejus profitetur.

NOTÆ.

(a) Invocationi etiam mentali ita vicina est, ut ambæ nonnunquam pro partibus potestativis unius officii aut virtutis habeantur.

(b) Græcè Εὐχαριστία nomen, & verbum Εὐχαριστέω, in scripturis N. T. frequentia sunt. Quanquam & voces Εὐλογέω & Εὐλογία his respondeant: uti in Latina Ecclesia verbum *Benedicere* homini in ordiue ad Deum, quem benedicat, tribuitur. Sed & *Confessionis* nomen usitatum hîc est, eâ quidem significatione, quâ alias peculiariter *Confessio beneficii* appellatur. Certè apud Ebræos verbum יָדָה aliquando non

non simpliciter confiteri significat, sed agnoscere, grato animô beneficium eoque nomine agere gratias. Vid. *Psal. VI,6. IX,1. XLVIII,4. CVI,1.* Et apud Græcos verbum ἐξομολογεῖσθαι eandem significationem obtinet. Vid. *Matth. XI,25. Rom. XIV, 11.* Dicimus autem h. l. *gratias agere*, quod alii *gratiam habere* dicerent: nimirum quod istud verbis, hoc mente fiat. Sed fortasse hîc non opus est, ut à voce aliàs hoc nostro sensu à pluribus accepta abstineamus; præsertim quod phrasis altera unam vocem substantivam, quæ actionem denotet, non suppeditat, Nam & *Gratitudinis* vox Barbara habetur.

(*c*) Ita ut à civili gratiarum actione, quam homo homini præstat, distingui debeat. Spectantur enim hîc, quemadmodum in invocatione, actus hominis tanquam inferioris erga superiorem, intuitu perfectionis plusquam humanæ, quæ in eo est.

(*d*) Idem enim homo est; quem ad Gratiarum actionem dirigit Theologia Moralis, cum eo, cui invocationem & cæteras functiones præscripsit. Et gratiarum actio Deo auctori gratiæ non placet, nisi à renato fiat.

(*e*) Non solùm cùm res secundæ affluunt; verùm etiam in adversis. Nam & hîc beneficia Dei experimur: partim quod crux ipsa renatorum ab amore Dei proficiscitur, & variis modis prodest, (uti supra de Patientia vidimus) partim quòd ad sensum malorum accedit con-

solatio divina. Certè in quovis statu nostro, providentiæ divinæ, quæ perpetua est, documenta locum habent.

(f) Rursus enim hîc eadem ratio est gratiarum actionis, quæ invocationis: quoad objectum reale, seu rem, cujus nomine fit gratiarum actio: nisi quòd (1) hæc circa bona, ut collata: Illa circa ea, ut conferenda versatur. (2) Bona quædam à nobis petuntur, sed quia non obtingunt, in materiam gratiarum actionis ipsa non veniunt: etsi alia non desint, pro quibus gratiæ sunt agendæ. (3) Aliqua bona à nobis distincte non postulata nobis ex abundante DEI gratia conferuntur, atque ita gratiarum actionis materia fiunt.

(g) Prout pro aliis intercedimus, indigentiam & quasi personam eorum in nos suscipientes; sic & obligationem eorum pro acceptis beneficiis facientes nostram.

(h) Hæc quoque, juxta analogiam Invocationis, & quæ ibi diximus, Sect. IX. §. 1. notis (e.f.g.) Quò simul pertinet, quod etiam Gratiarum actio proficisci debet ex fide in Mediatorem; ita ut beneficia seu dona divina in Christum, non solùm ut efficienter cum Patre & Spiritu S. illa conferentem; verum etiam ut nostri loco promerentem, referamus.

(i) Quod Scriptura dicit, *confiteri Domino*, aut celebrare eum benefactorem, *ex toto corde*, *Psal.*

Psal. IX,2. & *CIX,1.* id est pleno affectu aut quasi impetu animi, non distractâ mente.

(*k*) Est enim gratias agere propriè loquendo eorum, qui non suo merito ac jure; sed præter aut supra dignitatem suam, beneficia ab aliis acceperunt, vel hoc ipso facti inferiores. Quod autem homines hominibus gratias nonnunquam agunt, his, qui, quod debuerant, præstiterunt, civilitatis potiùs aut humanitatis est (quamvis etiam interdum affectatæ aut imaginariæ servitutis,) quàm ipsius gratitudinis. Certè *Domini servis gratiam non habent*: juxta *Lucæ XVII,9.*

(*l*) Seu sapientiam & potentiam ejus infinitam: unde est, quòd potuerunt in nos derivari bona illa.

(*m*) Quô nobis bonus est: & voluit conferre, quod nobis non debuerat.

(*n*) Quanquam enim etiam actus externus his accedere possit; tamen h. l. nobis satis est, mentalem gratiarum actionem tradidisse.

(*o*) Seu propter beneficia, tanquam formale motivum: cùm aliàs propter ipsam Dei majestatem, cultum ei omnem debeamus.

(*p*) Sic primum in gratiarum actione putatur, *statuere* apud animum, *quòd beneficium* ab altero *acceperimus*, eique vicissim *obligati* simus, vid. *Chytræus* Regg. Vitæ, p. m. 150. seq. ubi etiam huc refert, quod Germani dicant, **dancken**, quasi **gedencken**. *Nam benè apud memores veteris stat gratia facti.* Et Græci ὀφλὰ σοι χάριν, Nostri:

ſtri: Ich weiß dir Danck/dicunt. Imò & David *Pſal. CIII, 2.* animam ſuam ad gratias Deo agendas excitans; *Ne obliviſcaris*, ait, *ullum ejus beneficium.* & CXXXIX, 14. in ipſo opere occupatus; *Atque id*, inquit, (beneficium, quod mihi contuliſti) *quàm maximè novit anima mea.*

(q) Nimirum quòd voluntas, ad hunc Dei cultum propenſa, partim intellectui imperat exercitium ſolicitioris agnitionis beneficiorum divinorum atque obligationis hinc natæ; partim ipſa tendit ad eliciendos intra ſe, aut per membra corporis exercendos, actus DEO gratos.

(r) Prout aliàs angelos atque homines mente ad Deum directâ Deo loquí dicimus. De gratiarum actione autem, quæ actu externo fit, ſuo loco agemus. Interim hoc ſpectamus, quòd actu interno mens ad DEum χαριστηρίου tendit.

(s) Ita ut pro quotidianis beneficiis quotidiè; pro inſignioribus mox & ſæpè, atque repetita etiam pro divinô beneficio gratiarum actione multiplici; hôc officio fungamur.

(t) Differunt equidem laus & gratiarum actio, quatenus illa etiam extra caſum accepti beneficii locum habet. Sed fortaſſe laus DEI mentalis præcisè ſpectata ad Reverentiæ officium referri poteſt. Hîc autem conſideranda eſt, quatenus reſpectu beneficiorum à DEO acceptorum fieri debet: ſic in gratiarum actione

ne involvitur: & tamen ab externo cultu (quò & aliàs referri potest ac solet) distinguitur.

(*u*) V. g. Sapientiæ, Potentiæ, Bonitatis, Veracitatis (suo modo etiam Justitiæ) Divinæ.

§. II.

Opponitur huic functioni I. Omissio (*a*) gratiarum actionis mentalis. II. Murmuratio adversus (*b*) Dei beneficia. III. Cum beneficia soli Deo adscribenda, falsis (*c*) tribuuntur, illisque gratiæ tanquam religiosæ (*d*) aguntur. IV. Cum gratiæ vero Deo aguntur, sed pro corporalibus beneficiis magis (*e*), quam pro spiritualibus: aut animo (*f*) vago, aut superbo (*g*), aut saltem absque (*h*) fide. V. Cum pro bonis proximo collatis non aguntur (*i*) gratiæ, uti pro nostris.

NOTÆ.

(*a*) Ἀχαριστία Græcis appellatur; quam aliqui Latinè *Ingratitudinem* vocant, & Gratitudini opponunt. Hôc locô negationem gratiarum actionis, quæ, & quando fieri debebat, importat: Atque ita speciatim, ac nomine usitatô, *oblivionem* beneficiorum divinorum; juxta *Psal. LXXVIII,11.* & *CVI,13. Jerem. II,32. Hoseæ II,8,* cap. *VIII,14.*

(*b*) Scilicet, quòd quæ verè sunt beneficia, pro beneficiis non habentur, fortè quod non re-

spondeant corrupto appetitui: prout Israëlitæ, quos Deus pane de cœlo cibaverat. *Num. XI, 4.* seqq. quanquam & aliàs sæpiùs, Deo benefactori obmurmurarunt, eumque contumeliâ affecerunt. Vid. *Psal. CVI, 25.* seqq. *I. Cor. X, 10.*

(c) Quod Gentiles, & Judæi Apostatæ atque Idololatræ fecerunt. Neque immunes ab hoc peccato sunt, qui Sanctis, Angelis aut Hominibus adscribunt beneficia, quæ Deo præcisè, vel ut immediatè, vel per media alia agenti, debebantur.

(d) Quatenùs vel ut primarii Auctores bonorum, neglectô Deô, æstimantur; vel certe virtuti majori, quàm quæ revera ipsorum est, tamen quasi in illis esset, beneficia imputantur: Prout in Papatu sunt, qui non tantùm absentibus sanctis, sed etiam imaginibus gratias agunt, quasi ipsæ per vim sibi inexistentem animatæ, ex audivissent preces, atque opem tulissent.

(e) Fit sanè, ut v. g. pro recuperata sanitate, promtiores simus ad solvendas Deo gratias, quàm pro castigatione veteris Adami per morbum: pro superatis inimicis externis magis, quàm declinato aut expiato peccato.

(f) Sive absque seria & firma intentione perpetuæ obedientiæ benefactori præstandæ; aut ita, ut mox tædio sit ipsa gratiarum actio.

(g) Quando sic aguntur gratiæ Deo, ut tamen mens hominis sibi blandiatur, quasi suis meritis aut sanctitate, bona illa meruisset: aut qua-

quasi in foro Dei homo sua sanctitate multum præstet aliis: quemadmodū Pharisæus ille *Luc. XVIII, 11.*

(*b*) Seu, quando beneficia, præsertim spiritualia, licet referantur ad Deum auctorem, non tamen in eum referuntur, tanquam per Christum promerita.

(*i*) Juxta analogiam eorum, quæ de oppositis Invocationis Dei diximus Sect. IX. §. II. not. ult. aut quando *oculus* noster *malus est, quod* Deus proximo nostro *bonus est. Matth. XX, 15.*

§. III.

Motiva gratiarum actionis sunt: I. Mandatum (*a*) Dei. II. Quod natura ipsa beneficiorum (*b*) eam postulat. III. Beneficiorum divinorum multitudo (*c*) & (*d*) magnitudo. IV. Gratiarum actionis (*e*) decor. V. Ejusdem (*f*) utilitas. VI. Oppositorum (*g*) dedecus & noxa.

NOTÆ.

(*a*) Sic enim jubemur *sacrificare Deo laudem*, *Psal. L, 14. in omnibus gratias agere. I. Thess. V, 18.* Confer. *Eph. V, 19. 20.* Speciatim pro corporalibus beneficiis gratiarum actio præcipitur. *Deut. VIII, 10. Psal. CVII, 2.* seqq. Pro spiritualibus v. g. remissione peccatorum, *Psal. CIII, 2. 3.* Pro bonis proximo collatis, *I. Tim. II, 1.*

(*b*) Obligant nimirum, ipsâ ratione judice, ad habendam gratiam, quæ ex gratia alterius acceperis. Confer. *Psal. CXVI, 12.*

(c) Quorum præcipua *velut in tabella evolvere, & in singulis cogitando immorari* jubet B. *Chytræus, ut aliquem grati pectoris motum in nobis exsuscitemus. Ac primum*, ait, *spiritualia & æternæ vitæ servientia cogitentur, quorum præcipua sunt: Creatio nostri ad imaginem Dei; Patefactio verbi, in quo Deus suam Legem & Evangelion de æterna salute nobis revelavit: Electio & collectio inter nos Ecclesiæ æternæ: Missio Filii Dei & Redemtoris nostri Jesu Christi pro nobis passi & resuscitati: Remissio peccatorum & reconciliatio cum Deo; Gubernatio Spiritus Sancti; Novitas spiritualis seu nova lux veræ agnitionis Dei & fidei, vera justitia, consolatio & vita: Liberatio à tyrannide Diaboli & à morte æterna: Vita animæ & corporum nostrorum perpetua: Deus ipse se nobis communicans, & suâ luce & sapientia, justitia, vita & lætitia nos in omni æternitate complens. Corporalia Bona sunt vita corporis nostri, honesta educatio & disciplina, studia literarum & artium vitæ necessarium, victus seu cibus & potus, pax, bona valetudo, honestus locus, bona fama, felix conjugium, defensio familiæ & fortunarum nostrarum, mitigatio pœnarum, quas meriti sumus, liberationes ex periculis vitæ ac corporum & fortunarum, ut Josephi ex carcere, Ezechiæ ex morbo. Jonæ ex mari. Vigor ingenii & sensuum ac membrorum mediocris. Incolumes oculi, manus pedes, ventriculus, epar &c.: Item omnes res in tota natura ad hominum utilitatem conditæ, sol lucem*

cem & calorem vivificum nobis præbens, & vices dierum & noctium, & anni spacia cursu suo dimetiens: Luna menses distinguens; Terra producens fruges, herbas, arbores, fructus & alia vitæ alimenta & remedia. Ignis hyeme frigus depellens & cibos coquens, ac fabricationem instrumentorum ex ferro & aliis metallis, necessariam omnibus opificiis & vitæ generibus, adjuvans; Aquâ in potu, in cibis elixandis, in plerisque officinis artium mechanicarum, in lavando & aliis usibus vitæ necessariis carere non possumus. Item Gratiæ privativæ, quòd non planè fatui, non cœci, non paralytici, non podagrici, non mendici, non aliis morbis vel miseriis obnoxii sumus, cum quibus plerosque alios homines multò nobis præstantiores conflictari videmus. Hæc ille in Regulis vitæ p. 153. 154. 155

(d) Non tantùm quatenùs infinitam Auctoris sapientiam ac potentiam arguunt; sed quatenùs etiam insignem nobis usum aut jucunditatem, quædam etiam æternam felicitatem afferunt; denique quatenus indignis nobis conferuntur: qui cum Jacobo dicere jubemur: *Parvi sumus* (impares, iudigni) *præ omnibus beneficiis tuis. Genes. XXXII, 10.*

(e) Deo sanè valdè placet, instar *sacrificii*, *Psal. L, 23. CXVI, 27.* Nobis itaque, tanquam pars sacerdotii spiritualis, convenit: imò velut opus cœleste, Angelis & Hominibus beatis frequens. Sic enim illi *Apocal. VII, 12.* in divino cultu occupati, dixisse leguntur; *Benedictio*

(ἡ εὐ-

(ἡ εὐλογία) & gloria & sapientia & gratiarum actio (ἡ εὐχαριστία) & honor & virtus & fortitudo Deo nostro in secula seculorum. Unde Bernhardus Serm. XI. in Cantica p. m. 585. a. F. & 2147. a. G. Nihil ita propriè quendam terris repræsentat cœlestis habitationis statum, sicut alacritas laudantium Deum. Unde & David Psal. XCII, 2 Bonum (dignum atque honorificum est homini) confiteri Domino (beneficia ejus grato animo recolare & celebrare.) Confer. Psal. CXLVII, 1. Digna (aut maximè decens est) celebratio Jehovæ: quod Lutherus vertit: Solch Lob ist lieblich und schön. Quàm præclara autem & Christiano homine digna res sit, in adversis agere gratias; prolixè & egregiè ostendit Chrysostomus in cap. III. Ep. ad Coloss. Homil. VIII. T. IV. Op. f. m. 1287. A. seqq.

(f) Huc præcipuè spectat, quòd assidua commemoratio & professio beneficiorum divinorum alit & confirmat & auget in nobis Fidem, agnoscentem verè esse Deum, & nos curare, defendere, juvare invocantes, & opem ac salutem ferre: ut in tali agnitione & fide perseveremus, & Deus non desinat se & omnia sua bona nobis comunicare: monente Chytræo l. c. p. 153. scilicet Gratiarum actio etiam apud Deum est ad plus dandum invitatio. Confer Chrysost. l. c. in cap. III. ad Coloss, ubi non solùm ostendit, quantum prosit gratiarum actio in adversis: sed &, quibusdam interjectis, denique sermonem concludit his ver-

verbis: *Continuè gratiam agamus in omnibus. Nam ita & præsentia mala quiescent, & promissa bona lucrabimur, quæ contingat nos omnes assequi gratiâ & benignitate &c.*

(*g*) De Ingratitudinis, quam vocant, ignominia, constat ex *Rom. I, 21.* ubi gentiles, qui Deo pro beneficiis gratias non egerunt, *stulti* appellantur. Et Christus leprosis novem, gratias non agentibus, peccatum ad admirationem usque pudendum exprobrat. *Luc. XVII, 18.* Damnum autem seu pœna ex *Rom. I, 24.26.28.* patet, ubi Deus ingratos in reprobum sensum dare dicitur. *Ingrati spem tanquam hibernalem glaciem tabescere, & tanquam aquam supervacuam dispergere*, docet Auctor Libri Sapientiæ cap. XVI, 29. Sed & obliviscentibus beneficia divina, pœnæ suæ denunciantur locis citatis ad §. II. nata (*a*). Confer *Jud. III, 7. I Sam. XII. 9. Jobi VIII, 13. Psal. L, 22. Esaiæ XVII, 10.* seqq. Unde & (2) murmurantium adversus beneficia Dei dedecus ac damnum cognosci potest ex locis cit. ibid. nota b. Similiter (3), qui beneficia verè divina Diis alienis adscribunt, & gratias hic agunt, seipsos fallunt, & ignominiam sibi iramque veri Dei contrahunt. Hoc enim est *alienum sectari*, & *dolores* suos *multiplicare*. *Psal. XVI, 4.* Denique (4) agere Deo gratias pro temporalibus magis, quam spiritualibus, est præstantiora beneficia stulto judicio vilipendere, seque illis reddere tantò magis indignum: agere gratias, sed animô vago aut fastuosô,

aut

aut sine fide, est *ignem alienum* (velut in sacrificio Eucharistico,) temerè & cum periculo suo *offerre in suffitum* Jehovæ. *Levit. X,1.* seqq. (5) Pro se solo, non pro proximo aut concessis ei bonis, gratias agere, & sacrificium offerre mutilum aut mancum, ita ineptiam sua prodere, &, detractâ parte cultûs, Numinis offensi iræ se exponere.

§. IV.

Media (*a*) piæ Gratiarum actionis sunt: I. Scripturæ Sacræ testimonia, quæ Deum esse omnium bonorum nostrorum largitorem (*b*) ostendunt. II. Consideratio eorum, quæ nobis (*c*), quæque aliis (*d*), inprimis Ecclesiæ ac Reipublicæ nostræ subinde (*e*) contigerunt bona: Præsertim si conferantur (*f*) status fruitionis & carentiæ certorum bonorum; aut status noster sive nostrorum felicior cum statu aliorum (*g*) infeliciore. III. Animi, ad gaudium ex possessione aut fruitione alicujus boni, excitati in se ipsum (*h*) reflexio. IV. Exemplorum (*i*) Christi (*k*) & sanctorum (*l*), in opere gratiarum actionis occupatorum recordatio, cum studio imitandi. V. Preces ad Deum pro dono (*m*) gratiarum actionis religiosæ.

NOTÆ.

NOTÆ.

(*a*) Id est *auxilia*, in ordine ad exercitium & specificationem hujus officii: prout de Mediis Invocationis Dei diximus Sect. IX. §. IV. notis (a, b.)

(*b*) Non fortunam cœcam, seu casum; aut humana consilia & vires sibi relictas; sed ipsum Deum. Ita enim, cognitâ bonorum illorum dependentia à genuina & prima causa suâ, in causæ hujus venerationem & cultum, tanquam pro beneficiis, faciliùs adducemur. Imò ipsa illa Scripturæ dicta, tanquam Dei verbum, cum concursu divinæ virtutis, supernaturales illos actus & motus in nobis excitabunt.

(*c*) Quoad diversas vitæ periodos, statusque varios; quoad declinata aut superata pericula & calamitates; obtenta autem ex adverso, quæ animæ corporive aut utrisque congruebant aut proderant: ita ut quasi Catalogus fatorum aut eventuum texatur, in quo secunda præ adversis observentur.

(*d*) Sive, quæ his obtigerunt, ipsi coràm viderimus; sive aliunde ex relationibus aut indiciis quibuslibet cognoverimus.

(*e*) Ubi non abs re est, si ad recentiora, quæ Deus contulit, & pro quibus fortè nondum anteà & distinctè Deo gratias egimus, attendamus. Quanquam & antiqua, præsertim extantiora, ac magis miranda, sæpius repetere animo oporteat.

(*f*) Ad

(f) Ad cognoscendam clarius magnitudinem beneficiorum, ex oppositæ carentiæ eorum miseria; quemadmodum Hiskias Rex sanitatis recuperatæ bonum tanto magis æstimavit, Deumque ideo celebravit, cum morbi antecedentis & mœroris sui vehementiam animo recoleret. *Esaiæ XXXVIII, 10.* seqq. & David ad agendas Deo gratias pro pace & securitate ab hostibus, tantò promtior fuit, cùm statum priorem sub persecutione & insidiis, animo repetiisset. *Psal. XVIII, 5.* seqq. Paulus etiam renatos ad gratiarum actionem pro ipso conversionis beneficio excitaturus, confert præsentem illorum statum, cum eo, in quo erant ante regenerationem. *Coloss. I, 12.* seqq.

(g) Simili nonnihil ratione cum his, quæ modò diximus: nisi quòd etiam beneficium raritate sua se commendat, quando alios destitui videmus, quô præditi sumus.

(h) Sic nempe ipsô lætitiæ sensu admonetur de bono, unde orta est lætitia: &, si purior ac spiritualis sit aut fuerit lætitia, tantò magis suam pariter & ipsius boni à Deo dependentiam arguet, atque ad glorificandum Deum incitabit.

(i) Ubi iterum obtinet; quod de Invocatione diximus; Exempla partim excitare ad agendum, partim dirigere in agendo, velut juxta regulam.

(k) Vid. *Matth. XI, 25. Luc. X, 21.* Ac notandum est, Christum, qui ipse auctor & conciliator

tor (causa efficiens & merens) bonorum erat, tamen in diebus carnis, Patri humiliter egisse gratias: idque pro nobis non tàm sibi, quàm aliis, quorum causam susceperat, collatis.

(*i*) V. g. Jacobi *Genes. XXXII, 10.* Mosis & populi, *Exodi XV, 1.* seqq. Davidis, *Psalmo IX. XVII. XCII. CIII.* & aliis. Pauli, in exordiis plerarumque epistolarum.

(*m*) Ipse nimirum Deus, & per appropriationem Spiritus sanctus, causa efficiens principalis est Gratiarum actionis: Itaque ut accendat in mente considerationem præsentiæ, bonitatis & beneficiorum divinorum; ut in voluntate excitet motus, quibus illa inclinetur ad se & totum hominem Deo benefactori subjiciendum eumque celebrandum, orari debet.

§. V.

Impedimenta gratiarum actionis (*a*) sunt: I. Elatio animi (*b*) ex successu rerum lætiore. II. Ignorantia aut neglectus discriminis bonorum (*c*) præstantiorum & viliorum. III. Verbi divini (*d*) minùs solicita & frequens (*e*) tractatio. IV. Temporalium rerum (*f*) cupiditas aut amor (*g*) immoderatus.

NOTÆ.

(*a*) Quæque oppositis ejus causam aut occasionem præbent.

(*b*) Per quam fit, ut homo bona, quæ habet, non Deo eorum auctori, sed prudentiæ aut

potentiæ aut labori suo accepta referat; atque ita ad rationem beneficii divini non attendat, Deumq; suo cultu privet. Vid. *Deut. VIII, 12.13.14. Proverb. XXX, 9.* aut si agat gratias, non eâ, quâ par est, humilitate agat.

(c) Sic enim accidit, ut homines, spiritualia bona sibi oblata aut collata non satis expendentes, ac potius vilipendentes, non agant gratias, ubi maximè oportebat.

(d) Sive sit verbum mandati, de agendis gratiis; sive verbum testimonii de providentia divina & bonis inde in nos derivatis.

(e) Nimirum animus noster labe originali corruptus, quemadmodum ad alia peccata, sic etiam ad oblivionem beneficiorum divinorum propendet, ac nisi verbo divino subinde suscitetur, in torporem aut velut ἀναισθησίαν facilè labitur.

(f) Qua ratione tàm deest homini, quod habet, quàm quod non habet: quoque plus appetit, eò minus pro impetratis agit gratias.

(g) Quô præsentia sic amplectitur, ut ea non spectet in sua origine aut dependentia à Deo, atque in ordine ad officia, cujus materiam præbent, à se præstanda: sed tantùm ut jucunda aut vitæ temporali servientia. Unde homines tantò minùs pro beneficiis proximo collatis Deo gratias agunt, quando ipsi expleri nequeunt suis.

§. VI.

§. VI.

Quæ impedimenta ut removeantur I. observanda est incertitudo successus (*a*) operum ac desideriorum nostrorum. II. Differentia vitæ & felicitatis temporalis (*b*) & spiritualis sæpiùs meditanda. Ideoque III. argumenta, quæ Scripturæ sacræ (*c*) usum, cum aliàs, tum in specie, quoad providentiam (*d*) divinam, ac nostra officia (*e*) commendant, consulenda sunt ac ruminanda. IV. Quæ cupiditatem aut curam temporalium rerum moderantur (*f*) aut coërcent.

NOTÆ.

(*a*) Quâ observatâ fiet, ut mens nostra minùs offeratur, ac potiùs alteri, atque ipsi Deo acceptum referat, si quid ex voto aut supra votum evenerit boni.

(*b*) Sic enim & ipsa bona, ad hanc illamve felicitatem ordinata, quæque ex utroque genere nobis obtigerint; rectiùs cognoscemus, & pretiò eorum æstimatò, minùs negligemus occasionem gratiarum actionis.

(*c*) Nimirum ipsa vitæ hujus ac futuræ, & bonorum huc aut illuc spectantium differentia rectè cognosci, nisi ex revelatione, non potest: præterea verò ad ipsius Scripturæ usum, vitiô connatô & acquisitô segniores sumus, nisi excitemur.

(*d*) Nimirum inter argumenta, Scripturæ auctoritatem declarantia, illud occurrit, quod Providentiæ divinæ non tantùm testimonia in assertionibus divinis: sed & exempla plurima extant. quæ nolentes agnoscere beneficia Dei, sed vel suæ virtuti vel cœco casui sua bona tribuentes, pudefaciunt.

(*e*) Tanquam in summis ac perpetuis Dei beneficiis fundata, ita ut, qui providentiæ divinæ documenta in scripturis quærunt & inveniunt; humanæ obligationis inde simul cognoscendæ memores esse omninò debeant.

(*f*) Sic enim liberior animus & suâ sorte contentus, ad agendas Deo gratias multò erit promtior.

§. VII.

Signa animi in hoc officio rectè occupati, præter (*a*) voluptatem & dolorem, quorum illa ipsos actus gratiarum actionis, hic eorum omissionem sequitur; sunt: I. Bonis, etiam quæ inter homines parva putantur, se indignum (*b*) æstimare. II. In usu quorumvis bonorum esse solicitum, ne aliter, quam ad Dei (*c*) gloriam, adhibeantur. III. Non tantùm in adversis, sed & pro (*d*) adversis agere Deo gratias. IV. Ipsi actus externi celebrationis Dei & beneficiorum ejus, quatenus (*e*) ad originem suam, quam habent in animo nostro, referuntur.

NOTÆ.

NOTÆ.

(*a*) Prout de pluribus virtutum & officiorum Christianorum signis, suprà diximus.

(*b*) Sic enim humilitas, quæ in hoc officio locum habere debet; eaque partim in ordine ad bona, tanquam alii accepta referenda; (tantoque magis ad insigniora, si in minimis talem te præbeas,) partim in ordine ad Auctorem, (qui summus sit, tu autem infimus,) sese prodit.

(*c*) Quâ ratione obligationis nostræ agnitio & observantia, ipsaque animi promtitudo ad rem gratam Deo præstandam, elucescit. Imò hoc est cavere, ne ingratus inveniaris.

(*d*) Differunt enim duo illa: & possumus in adversis aliqua tamen adhuc possidere bona; atque ea propter Deo agere gratias, non pro adversis ipsis, quæ bonis opponuntur. Aliàs autem agimus pro adversis gratias, non quidem, quatenùs adversa sunt; attamen quatenùs materiam officia Deo præstandi, fidem & patientiam nostram exercendi suppeditant, aut carnem reprimunt, ut liberior sit spiritus. Quod cùm fit, spiritualia bona à nobis magis quàm terrena æstimari, cognoscitur.

(*e*) Quamvis enim actus externi possint esse hypocritici, adeoque absque internis; hîc tamen spectantur illi, qui tanquam effectus internorum actuum, causam suam arguunt, & quatenùs eam arguunt. Quâ ratione officium præsens quoad omnia sua requisita cognosci potest.

CAPUT VIII.

De

OFFICIO HOMINIS ERGA DEUM, QUOAD CULTUM DEI EXTERNUM.

SECTIO I.

De Usu externo Verbi & Sacramentorum.

§. I.

CUm constet (a), Deum non solum actibus nostris internis, sed & externis, qui ex internis illis fluunt, eosque (b) declarant, coli debere; primum (c) in externo cultu esse potest, quod in tractatione ipsius Verbi divini & Sacramentorum, pia & renatis (d) digna occupatur.

NOTÆ.

(a) Vid. Cap. VI. §. IV. & nota (s) p. 262. 263.

(b) Sic enim B. *Balduinus* docuit, externum cultum *nihil aliud esse, quàm exercitium veræ pietatis, in quo ex abundantia cordis os loquitur, manus operantur, totumque corpus ad Deum habilitatur.* Lib. II. de Cas. Conf. cap. VI. p. 142.

(c) Quanquam enim de ordine officiorum huc spectantium nolim cum aliis contendere, non

non tamen abs re esse videtur, id primo loco collocare, quod circa media divinitùs institùta, unde & fides & tota sanctimonia vitæ pendet, directè occupatur.

(*d*) Sic enim h. l. de usu verbi nos agere oportet. Aliàs homines nondum conversos aut renatos, sed convertendos, atque ut hoc ipsô modo ac mediò convertantur, ad verbi divini tractationem admitti non solùm, sed & impelli debere: baptismi etiam sacramentum infantibus Christianorum, hoc ipso regenerandis, rectè conferri, non ignoramus. Jam autem renatorum officia spectamus.

§. II.

Verbi divini tractatio Christianis conveniens consistit partim in (*a*) auditu, partim (*b*) lectione doctrinæ (*c*) Legis & Evangelii in Scripturis contentæ: sive in textibus (*d*) originalibus, sive versionibus (*e*) orthodoxis, sive aliis hominum (*f*) sermonibus (*g*) scriptisq; (*h*) proponatur; ita quidem ut externa illa opera sit frequens (*i*), & cum signis (*k*) reverentiæ (*l*) debitæ, studioque (*m*) discendi, & intentione transferendi ad praxin (*n*) Christianam, quæ ibi traduntur, conjuncta: eaque partim publicè (*o*), partim privatim, atque hoc vel cum (*p*) familiaribus vel solitariè (*q*) fieri potest ac debet.

NOTÆ.

(a) Quando alterius voce sonorâ prædicatur verbum Dei: quâ ratione fides dicitur esse ἐξ ἀκοῆς. *Rom. X, 17.* & Paulus sermonem à se prædicatum, λόγον ἀκοῆς, scil. auditu præceptum à Thessalonicensibus, appellat. *I. Ep. II, 13.*

(b) Prout ἀναγνώσεως mentionem facit Paulus *I. Tim. IV, 13. Matth. XXIV, 15.* eaque opera apices literarum & ex his conflatas voces periodosq; verborum ex instituto significantes tractat: quamvis meditandi auctum simul involvat.

(c) Nimirum hæ sunt partes verbi divini, tanquam medii conversionis & renovationis. Atque in librorum Scripturæ tractatione, quatenûs ad cultum Dei spectat, non tàm qualiscunque, consideratio variarum rerum, quæ ibi commemorantur; quàm earum, quæ primariò tractantur, ad ædificationem Christianam maximè facit. Quanquam fatendum sit, nihil esse in Scripturis, quod non suo modò ad fidem ac vitam Christianam spectet.

(d) Ebræo veteris, & Græco Novi Testamenti; ubi verborum ex immediata Spiritus sancti inspiratione adhibitorum emphasis valdè afficit animum hominis Christiani, linguæ gnari.

(e) Quæ cùm fontibus respondent, ipsum hâc ratione verbum Dei exhibent: siquidem conceptus iidem diversis linguarum diversarum verbis significantur.

(f) Ve-

(*f*) Veterum ac reconciorum Ecclesiæ Doctorum ; imò & aliorum hominum piorum ac doctorum, in quibus Spiritus sancti dona apparent.

(*g*) Quò spectant orationes Doctorum, (quas *Conciones*, *Homilias*, aliquando *Tractatus*; sed & *Sermones*, κατ' ἐξοχὴν, appellant:) imò & mutua inter plures colloquia; (v.g. *Catecheses*) discursusque familiares.

(*h*) Qualia sunt *Symbolica*, *Homiletica* (sermonum in literas redactorum) *Dogmatica*, *Polemica*, *Paræneticæ* seu *Ascetica*.

(*i*) Quoties occasio suppetit, & quantum fert ratio negotiorum vocationis nostræ, ac valetudinis. Ubi tamen inprimis ratio habenda est Sabbati seu diei Dominicæ aliorumque festorum sacrorum & congressuum publicorum tunc celebrandorum : de quibus infrà videbimus.

(*k*) Non nudis quidem & fallacibus signis; ita tamen, ut interior animi reverentia etiam aliquo indicio sese prodat.

(*l*) Tanquam in opere circa Deum summum occupato, cujus illud verbum est : juxta I. *Thess. II, 13.* Unde quidam Auctores *attentionem toto genere differentem ab auscultatione præbita sermonibus hominum*, hic requirunt. Et Scripturæ textus publicè prælectos populus Christianus stans excipere consuevit : viri quoque capite aperto. Pertinent etiam huc

suô modo preces, auscultationi ac lectioni verbi Dei conjungi solitæ.

(*m*) Cogitationibus defixis, ita ut homo sit *velox ad audiendum. Jacob. I, 19.* simul autem, seu audiat seu legat, sit ἐρευνῶν, sagaciter indagans aut scrutans mentem Domini. *Joh. V, 39. probans, quæ sit voluntas Dei, Rom. XII, 2.* ἀναγινώσκων καὶ νοῶν. *legens, & animadvertens,* atque intelligens. *Matth. XXIV, 15.* Περσέχον τοῖς ἀναγινωσκομένοις, *attendens ad ea, quæ audita* (aut lecta) *sunt. Ebr. II, 1.* Unde regulas bonæ interpretationis (quæ vel generales sunt, Scripturæ sacræ & scriptis aliis communes; vel speciales, Scripturæ ejusque stylo propriæ: quæ tamen iterum pro varietate librorum & aliarum circumstantiarum variant:) observari diligenter debere, facile constat.

(*n*) Ut *non* sit tantùm *auditor*, sed & *factor* (ποιητὴς) *sermonis. Jacob I, 22. 23.* Quale propositum animi sui significarunt Israëlitæ, cùm ad Mosen dicerent: *Quæcunque edixerit Jehova Deus, audiemus faciemusque. Deut. V, 27.* Praxis autem illa est totius sanctimoniæ vitæ, quoad officia hactenùs recensita, & porrò recensenda.

(*o*) Quando in conventibus populi Christiani, juxta constitutiones Ecclesiasticas (in Ecclesia plantata) sermones à Doctoribus Ecclesiæ pro suggestu enunciantur, aut pericopæ textuum sacrorū præleguntur, aut exercitia catechetica frequentantur.

(*p*) Si-

(*p*) Sive domestici sint (quos ab una familia *familiares* dicimus, quamvis huc etiam inquilini spectent;) sive amici, quorum consuetudine vel consortio frequentiùs utimur: v. g. commensales, collegæ, commilitones, vicini &c.

(*q*) Quoad lectionem quæ sine socio fit.

§. III

Huic ex adverso opponitur I. Auditus aut lectiones verbi divini, quæ & quando fieri poterat ac (*a*) debebat, omissio (*b*). II. Exercitium absque (*c*) reverentia, vel (*d*) attentione; aut curiosum (*e*) magis, quam ad praxin tendens: inprimis verò III. si verbum Dei ad res ludicras (*f*) adhibeatur, aut alias (*g*) contumelioſe tractetur. IV. Si falsus sensus dictis (*h*) Scripturæ affingatur: aut præter verum Dei Verbum revelationes aliæ falsæ pro veris (*i*) venditentur. V. Si verbo divino vis & efficacia divina (*k*) denegetur.

NOTÆ.

(*a*) Accidit enim aliquando, vel ex persecutionibus publicis atque interceptis vi improborum congressibus fidelium; vel ex morbis, captivitate, itineribus aliisque negotiis, ut ab auditu verbi, ab aliis, præsertim publicè, prædicati; sine suo vitio (uti præter & contra voluntatem suam) arceantur fideles. Potest autem etiam

etiam lectioni Scripturæ sacræ & liberorum conformium aliunde objici impedimentum, quando vel ipsa Scriptura manibus fidelium excutitur, atque usus ejus denegatur ; vel homines pir & Christiani, temporum aut educationis suæ aut valetudinis infelicitate , ad legendum inepti sunt : vel etiam interdum, quando maximè velint legere , tamen alieno strepitu , aut muneris certi difficultate à frequentiore lectione scriptorum sacrorum abstrahuntur. Itaque tum demùm peccatur, cum tractatio verbi omittitur, quando fieri poterat ac debebat.

(b) Non solum omissio pertinax & diuturna ; sed & ea, quæ exercitii raritatem designat, imò si vel una occasio sancti operis hujus temerè negligatur. Unde huc omninò pertinent illi, qui sermones sacros audire detrectant, nisi ad leges artis oratoriæ secularis componantur, aut rariora vel sublimiora, præ usitata fidei morumque doctrina, proponantur.

(c) Quando inter verbum divinum & humanum non discernitur: atque illud instar historiæ aut orationis profanæ excipitur.

(d) Ita ut cogitationes legentis vel audientis evagentur, aut aliorum objectorum occursu avertantur à sancto illo, quod tunc tractandum est, negotio.

(e) Quamvis enim etiam utilis & sancta curiositas detur ; neque quicquam in verbo divino

vino sit vile aut scrutinio nostro indignum: prout tamen in ipsa Scriptura sacra alia aliis subordinantur, & inprimis scopus Scripturæ, qui est ædificatio fidei & morum, observari debet: sunt etiam quædam δυσνόητα, & quæ tantùm ex parte indicare, placuit Spiritui sancto: ita omninò peccant, qui magis necessariis insuper habitis, in minùs necessariis occupantur, aut in Criticis sacris, quæ vocant, in Genealogicis, Chronologicis, Topographicis, descriptionibus personarum earumque dictorum aut factorum, animalium quoque, iplantarum, corporumve artificialium, vel ultra certam verborum Scripturæ significationem sapere, & conjecturis suis potiùs, quàm regulis hermeneuticis niti solent; vel certè in his aut aliis scholasticis quæstiunculis operam sterilem atque ad ædificationem sui aliorumque nihil profuturam ponunt. Peccant etiam, qui in generalibus fidei morumque dogmatibus hærentes, non ad se, quoad fidei specialis & praxeos morum, exercitia descendunt; quasi sufficiat nuda θεωρία: qui *considerant faciem suam in speculo, & continuò obliviscuntur, quales sint. Jacob I, 24.* aut qui *veniunt, ut audiant, non ut discant, sicut in theatrum, voluptatis causa*: juxta illud *Senecæ* Epist. CVIII. de scholis Philosophorum.

(*f*) V. g. quando verba aut phrases Scripturæ, ad excitandum risum in jacosô sermone aut satyris, ad res profanas designandas usurpantur:

tur: quale peccatum nomine εὐεργατελίας in malam partem accepto contineri & à Paulo *Ephes. V, 4.* damnari docet B. *Chemnit.* T. II. LL. de Lege Dei ad præc. II. p. m. 48. a. Certè ita nomen Dei, Auctoris Scripturæ, *in vanum sumi*; vulgò & rectè docetur.

(*g*) Sive in ipsam Scripturam, aut doctrinam ejus, aut scriptores sacros convitia aut scommata, voce vel scripto ejiciantur: sive verba aut sententiæ Scripturæ ad incantationes aut superstiones adhibeantur.

(*h*) Quod hæreticis familiare est, verba Scripturæ torquentibus ad suos errores, atque ita falsam doctrinam spargentibus ac defendentibus.

(*i*) Quos dixeris *mendacium vaticinari in nomine Dei*: ex *Jerem. XIV, 14.* Quò sanè pertinent Pontificii, qui Traditiones dogmaticas in scripturis neque formaliter, nec virtualiter contentas, *pari pietatis affectu* cum Scripturis Propheticis & Apostolis *recipiunt*. Sess. IV. Conc. Trid. & Enthusiastæ, inter quos Quakeri hodierni, qui voluntatem Dei de his, quæ ad Christianos in singulari pertinent, non per verbum externum, prædicatum scriptumve, sed per internum atque immediatum Spiritûs sancti alloquium discendum esse perhibent.

(*k*) Fieri enim potest & solet, ut θεοπνευστία scripturæ admissâ, vis tamen effectiva conversionis seu regenerationis itemque renovationis,

nis, quæ ei indissolubiliter competit, negetur, ac sola vis significativa, quæ verbis in se spectatis naturalis est, ei tribuatur.

§. IV.

Motiva sanctæ tractationis (*a*) verbi sunt: I. Mandatum (*b*) Dei. II. Verbi ipsius (*c*) dignitas. III. Fructus verbi (*d*) recte tractati. IV. Oppositorum hujus officii (*e*) turpitudo & damnum (*f*).

NOTÆ.

(*a*) Prout non solùm omissioni, sed & irreligioso exercitio opponitur, adeoque juxta requisita sua spectatur.

(*b*) Sic mandatum de tractando verbo quoad prædicationem & auditum, extat *Deuteron. XXXI, 11. 12. 13.* ubi diversi statûs atque ætatis homines ad auscultationem publicam obligantur. Nec malè eodem referuntur verba *Psal. C, 3.* ubi jubentur *introire portas Domini*; & *Esaiæ II, 3. adscendere ad domum Dei*, scilicet audiendi verbi (quanquam & aliorum actuum sacrorum) *causa*: quodque *Psal. L, 7.* dicit Deus: *Audi populum meum, & loquar*; denique *Ebr. X, 25. Ne deserite congregationem*, & in ea auscultationem verbi. Imò communis formula Prophetarum est, quâ populum excitant; *Audite verbum Domini.* Lectionis quoque verbi mandatum legimus, *Deut. XVII, 18. 19.* Quod enim Regi

gi dictum est illic, non ita præcise ad hoc munus spectat, ut non omni vitæ generi commune sit. Confer *Jos. I, 8.* Et quemadmodum mandati vim habet, ita non de auditu solo, sed & lectione accipiendum est, quod *Coloss. III, 16.* scribitur: *Verbum Christi habitet in vobis abundanter.* Unde & mandatum de frequentia hujus officii constat. Reverentiam autem præcipit Deus, quando jubet, ut *pedes custodiamus ingressuri domum Domini*, (scilicet majestatem ejus expendentes, ac reverentiæ Domino exhibendæ memores) *atque* ita *veniamus ad audiendum. Eccles. IV, 17.* Par autem est ratio lectionis: quia verbum Dei prædicatum & scriptum non differunt substantialiter sed accidentaliter. *Jacobus* certè verbum, scriptum æquè ac prædicatum, jubet ἐν πραΰτητι δέχεσθαι, animo submisso recipere, tanquam à superiore profectum: qualiacunque sint, quæ proponuntur. Cap. I, 21. Attentionis, studiique discendi, in ordine ad praxin convenientem, præceptum habemus Deut. XVII, 19. Cui respondet vox Christi *Lucæ VIII, 18.* βλέπετε, πῶς ἀκούετε, *videte quomodo audiatis*; & iterum *Matth. XXIV, 15.* ὁ ἀναγινώσκων νοείτω: quod benè Lutherus reddidit: Wer da lieset/ der mercke drauff. Scilicet, ne frustrà agamus & fructu, ex legitima ad praxin applicatione solùm expectando, privemur.

(c) Tanquam *Verbi Dei:* cujus, ob auctorem,

rem, non potest non esse maxima dignitas; ideoque & studii circa illlud recte occupati. Unde David, *Ps. LXXV, 9. Audiam*, inquit, *quid loquatur DEUS Jehovah.* Et studium verbi, quò se quotidiè exerceat, non solùm regio munere indignum non esse, sed & se illud sibi honori ducere declarat *Psal. CXIX*, 11. *16. 30. 38.* seqq.

(*d*) Est enim medium gratiæ non tantùm regenerantis & justificantis; sed & renovantis: ex quo statim ejus fructus apparet. *Fides est ex auditu, Rom. X, 17.* Et quemadmodum auditus Sathanæ præbitus humanum genus perdidit: ita Deo auscultare est erigi à lapsu. Confer *Joh. X, 27.* Ubi Christus de *ovibus* suis, id est, fidelibus, vocem suam audientibus enunciat, quòd illos *norit*, notitia cum affectu amoris conjunctâ, & *daturus* sit eis *vitam æternam.* Cæterùm de fructu *verbi*, instar *pluviæ aut nivis fœcundanti terram. Esai. LV, 10.* instar *lucernæ* viatori servientis *(in loco caliginoso) Psal. CXIX, 105. II. Petr. I, 19.* instar *regulæ* aut *normæ* dirigentis gressus nostros. *Psal. CXIX, 9. Gal. VI, 16. Phil. III, 16.* De Utilitate ex frequentiore lectione legis divinæ scriptæ, Regi commendatâ *Deut. XVII, 18.* Pulchrè *Philo* Lib. de creando Principe: *Relegendum est quotidiè*, ait, *ut assiduitate confirmetur memoria, & ipsa præcepta eò magis adlubescant per assuetudinem, utilitate, honestateque suâ commendabilia, & animo inserentia sacrum*

sui desiderium. Nec de nihilo est, quòd Paulus Timotheum per Scripturas *sapientem reddi ad salutem* dicit, eò, quod *à Puero noverit sacras literas, II. Tim. III. 15.* In tentationibus autem verbum DEI instar *gladii* est adversus *Sathanam, Eph. VI, 18.* Et *beatos* prædicat David eos, qui *in lege Domini meditantur die ac nocte*, qui sint *tanquam arbor plantata ad rivos aquarum, Psal. I. 2.* Christus etiam *beatos* dicit eos, qui *audiunt sermonem DEI & custodiunt. Luc. XI, 28.*

(e) Turpe profectò est (1.) nolle audire verbum, quod à DEO offertur: *obturare aurem suam instar aspidis surdæ, quæ non auscultat voci mussitantium, Psal. LVIII, 6.* Et *filii qui nolunt audire legem Jehovæ, filii mendaces* dicuntur, ac sunt *Populus rebellis, Es. XXX, 9.* Imò eos, qui verbum DEI legere, audire, discere contemnunt; *ex Patre Diabolo esse*, non obscurè significat Christus *Joh. VIII, 44. 47.* Turpe etiam (2.) est, sermonem Dei accipere tanquam sermonem hominum, nec discernere inter verbum omnipotentis veracissimum, & linguam mortalis fallibilem; aut *audire auribus & non intelligere: videntes videre & non perspicere. Act. XXVIII, 26.* aut *puerorum instar fluctuare & circumferri quovis vento doctrinæ. Eph. IV, 14. Sectari stultas quæstiones & genealogias & contentiones ac pugnas legales, inutiles & vanas. Tit. III, 9.* Curiosum etiam discipulum responsione non dignatus est Christus, *Joh. XXI, 21.*

Nec

Nec minus dedecorosum est, cum audias, non obedire, *verbo, quod dictum est in nomine Jehova, minimè velle auscultare. Esa. XLII, 24. Jer. XLIV, 26.* Similiter (3.) maximè culpabile est, ludibrio habere verbum salutis; aut numinis supremi dicta in materiam nugarum vel jocorum convertere: quod nec in verbis Principum audent, qui mediocriter sapiunt. (4.) Falsas pro veris amplecti, aut excogitare & spargere doctrinas, hominum est *nihil scientium & insanorum, mente corruptorum, quibus adempta est veritas, I, Tim. VI, 4. 5.* Denique virtutem divinam verbo denegare, est prodere ruditatem suam animumque carnalem, qui vel verbum ipsum neglexerit, vel vim verbi per repugnantiam suam non senserit, quorum utrumque dedecorosum est.

(f) Scilicet (1.) negligere verbum, est privare animam pabulô ac medicinâ, imò armaturâ spirituali: unde mens flaccescit, peccatorum morbis occupata prosternitur, Satanæ nudum latus præbet ac vincitur. Est autem & DEVM verbi auctorem, contemnere, & ad vindicandum contemptum sui lacessere. Crevit sanè impietas, & pœnæ accesserunt, tempori Eli, cum verbum Dei contemptum, indeque penuria & quasi fames quædam orta esset. *I. Sam. III, 1.* Et *cùm non est visio*, (cum revelatio divina de credendis agendisque in usu legitimo non constituitur) *dissipatur populus* (יִפָּרֵעַ) Es wird

wild und wüste; vertit *Lutherus*; id est, fit ferociens, & ferociâ suâ perit: Scilicet legum bonique ordinis impatiens, scelera sectatur: unde varii generis infelicitas sponte sequitur: juxta alios, *nudatur* ab omni virtute, armaturâ Christiana, Dei gratia & tutela &c.) *Prov. XXIX*, 18. Sed &(2) tractare verbum Dei absque attentione studioque discendi practico, sed animô hypocriticô, valdè noxium est. Nam & erga hos Deus *mirabili modo* se gerit: non ut aliàs solet, clementer & paternè, sed ad infelicitatem præter opinionem eorum oriturum; præsertim ut obtundantur mentes sagacium. vid. *Es. XXIX, 13. 14.* Sic homines inutiliter curiosi in tractatione verbi, facilèprofecto abstrahuntur à solida & salutari meditatione, *ut à veritate aures avertant, ad fabulas autem convertantur. II. Tim. IV, 4.* Unde etiam defectio ab ipsa fide sequi solet: prout multarum hæresium matrem aut nutricem fuisse curiositatem, exemplis constat. Sed & alia mala inde nascuntur; *Invidia, Contentiones, Calumniæ, Suspiciones malæ & supervacaneæ conflictationes. I. Tim. VI, 4.* Illi vero, qui tractant verbum, nec tamen obediunt, aut invita conformiter verbo se gerunt, *multas patientur plagas. Luc. XII, 47.* Qui *legem DEI enarrant, publicè aut privatim inculcant, deque fœdere divino crebro loquuntur*, & tamen præcepta DEI non ante oculos, tanquam principium dirigens actiones humanas, sed *à tergo* positam habent,

habent, furta, adulteria, dolos, calumnias amant, graviter *corripientur*, & multitudinem prævaricationum, velut in acie *dispositam* adversus se, in conscientiæ morsibus & pœnarum variarum experientia habebunt, *discerpentur*, & *nemo eripiet eos*: juxta *Psal. L, 16.* seqq. ad 21. Confer *Ezech. XXXIII, 31.* seqq. *Hos. IV, 6. Ebr. IV, 2.* tanto magis (3.) abusus verbi divini cum contumelia conjunctus, tanquam *profanatio nominis divini, pœnæ* reatum contrahit hominibus. *Exod.* XX, 7. Ac pertinent ejusmodi dicta ad classem *sermonum putridorum* (τῶν λόγων σαπρῶν) qui tanquam poma putrida, aut halitus oris malè olentes, neque prodesse possunt, neque christianô modo oblectare; sed contra potius suô fœtore offendunt & nocent, quibus etiam *contristatur Spiritus S. Eph. IV, 29. 30.* Contristatus autem *exacerbatur* & ad vindictam provocatur. *Esai* LXIII, 10. Qui autem (4) verbum divinum, sive alia principia fidei ac revelationes fingendo, sive sensum peregrinum Scripturæ tribuendo, corrumpunt, *increpantur à Deo & mendacii pœnas* luunt. *Prov. XXX, 6.* Conf. *Es* VIII, 20. *Apoc.* XXII, 19. Tandem & illi (5.) audaciæ fructus ferunt, qui vim divinam verbo denegant. His enim, cùm non patiantur illud sibi esse *odorem vitæ ad vitam*, verbum ipsum cedit in *odorem mortis ad mortem*: juxta II. *Cor.* II, 16.

§. V.

Media (a) Sanctæ tractationis verbi sunt: (b) I. Ipsius verbi divini quoad (c) naturam & finem (d) ab auctore intentum, simul status & indigentiæ nostræ (e) consideratio. II. Exempla Sanctorum (f) in hoc studio occupatorum. III. Animi ad conversionem cum Deo familiariorem excitatio atque assuefactio; denique IV. Preces pro viribus ad hanc sanctam operam necessariis, ipsâque directione DEI; una cum cruce divinitùs immissâ.

NOTÆ.

(a) Quæ vel generaliter præparant ad rectum usum verbi, vel singulas partes hujus officii adjuvant.

(b) Præter ipsorum motivorum considerationem; quanquam etiam, ut motiva rectiùs in cor descendant, media in thesi memorata serviant.

(c) Nimirum ut Doctrinæ in Scripturis contentæ *dependentia à DEO*, tanquam revelante, aut loquente, observetur, expensis argumentis, internis atque externis, quæ ad cognoscendam Scripturæ auctoritatem, nec minus, quæ de ejus efficacia in Scholis Theologiæ Positivæ traduntur. Sic enim deinde facilius fiet, ut verbi divini dignitatem & vim agnoscentes porro officii circa illud occupati præstantiam meditemur, & ad

ad illius frequentiam, cum reverentia & obsequendi proposito conjunctam moveamur.

(*d*) Qui est fides & sanctitas hominum vitaque æterna.

(*e*) Seu quòd corda nostra per naturæ corruptionem dura aut frigida, hôc malleo & igne; seu quòd imbecillitas nostra in certamine cum Satana hôc velut gladiô aut clypeô prorsus indiget.

(*f*) Ex Patriarchis *Abrahami, Gen. XVIII, 19.* Ex piis Regibus, *Davidis Psalm. LXXVIII,* 2. seqq. & CXIX. per totum. Ecclesiæ totius *Israeliticæ, Luc. IV, 15. Act. VIII, 28. Act. XV, 21. Cap. XVII, 11.* Quò pertinet educatio *Timothei II. Tim. III. 15.* Ex Christianis *Theodosii II.* Ex Principibus aliis, *Elect. Ducumque Saxoniæ.*

§. VI. Impedimenta hujus officii sunt: I. Præjudicia de verbi obscuritate, aut scriptorum Doctorumque nævis; vel etiam de profectibus jam factis collectâque à nobis notitiâ: item de revelationibus immediatis persuasio: Porro de differentia status Ecclesiastici & secularis, deque simplicitate cultus &c. II. Rerum terrenarum, quæque ad humanas scientia, artes, dignitates, opes, voluptates, pertinent, cura & amor inordinatus. III. Exempla prava irreligiosorum & parcorum verbi tractatorum.

§. VII. Impedimentis illis ac speciatim quidem I. Præjudiciis tollendis necessarium est: ut Scripturæ in necessariis perspicuitas, in cæteris dignitas & cum sublimitate conjuncta salubri-

tas obſervetur ; ut non tàm ad amanuenſes aut miniſtros, quàm auctorem verbi primarium reſpiciatur ; ut verbi divini amplitudo cum noſtræ cognitionis imperfectione conferatur ; ut communis omnium obligatio & indigentia & decor conſideretur ; ut ſimplicitas à ruditate diſtinguatur. II. Ut ſpiritualium ac temporalium rerum diſcrimen recolatur. III. Ut malorum exemplorum pravitas ac noxa expendatur.

§. VIII. Ad ſacramentorum tractationem Chriſtianam pertinet : ut duo illa N. T. Sacramenta non tantum in pretio habeantur, atque ut integra porrò ſerventur, opera detur ; ſed ſpeciatim ut Baptiſmus nobis olim collatus, quoad fœdus gratiæ illic ſancitum, ſæpe recolatur ; aliis verò, qui indigent, noſtræque curæ commiſſi ſunt, noſtrô ſtudiô atque operâ tempeſtivè juxta inſtitutionem Chriſti conferatur : denique in actu adminiſtrandi Baptiſmum, devotio & charitas eorum qui adſunt, ſignis externis ſe declaret : Euchariſtia verò, quotquot probare ſe poſſunt, frequenter animoque pœnitente ac fideli ſecundum tenorem inſtitutionis Chriſti, utantur, ſed & alias, ſi quando nobis non communicantibus præſentibus tamen adeſſe contingit, reverentia & pietas noſtra non obſcurè compareat.

§. IX. Pugnant cum officio illo ſanctæ tractationis Sacramentorum partim quidem & indigentiæ, ſi Sacramenta pro ritibus abrogatis aut abro-

abrogandis, aut mere indifferentibus habeantur; si alia plura, duobus illis a Christo institutis velut æquè propriè dicta associentur: partim etiam & in specie quoad Baptismum, si illius olim collati fœderisque gratiæ memoriæ nulla aut rara fiat: si indigentibus & quibus nostrâ operâ conferri poterat Baptismus, vel plane subtrahatur, vel justò tardius conferatur: si in administratione ejus vel mutetur aliquid in substantia vel superstitio quædam accedat: denique si levitas animi aut frigus pietatis & charitatis, etiam externè quoquo modo se prodens, locum inveniat: similiter circa S. Cœnam, si vel præter necessitatem rarius vel absque pœnitentia ac fide, horumque signis; vel non juxta institutionem Christi, sed sive mutilatô sive alia ratione temere mutato ritu, in usu constituatur; si celebrantibus aliis, vel strepitu vel alia profana ratione sacra actio turbetur, aut irreverentia & irreligiositas qualiscunque se prodat.

§. X. Motiva sanctæ tractationis Sacramentorum suô modô coincidunt cum motivis sanctæ tractationis verbi: Sunt autem præcipuè I. Mandatum DEI cùm de exercitio, tùm de certâ ratione actuum circa Sacramenta occupatorum. II. Sacramentorum ipsorum dignitas & actuum suprà memoratorum præstantia ac decor. III. Sacramentorum sanctè tractatorum utilitas ingens & ampla. IV. Oppositorum sanctæ tractationis turpitudo & noxa.

§. XI. Media sanctæ tractationis Sacramentorum sunt; I. Consideratio Sacramentorum auctoris, eorumque habitudinis tanquàm mediorum gratiæ ad salutem unà cum statu nostro & indigentia in naturæ corruptione. II. Exempla eorum, qui officio illo sancto solliciti & præclare functi fuerunt. III. Præsentia Christi totiusque SS. Trinitatis in ejusmodi actibus meditatio. IV. Preces pro auxilio divino ad officium illud rectè præstandum.

§. XII. Impedimenta hujus officii sunt: I. Si ritus illi Sacramentales quoad ea quæ in sensus incurrunt unicè aut otiosè considerentur. II. Præjudicia quælibet errorum cum Sacramentorum natura & fine pugnantium. III. Animi ad res vanas inclinatio inordinata. IV. Exempla hominum in Sacramentorum tractatione malè aut irreligiosè se gerentium.

§. XIII. Removebimus autem impedimenta illa I. Si mediantibus externis, quæ in ritibus Sacramentalibus occurrunt ad spiritualia quæ latent, tendendum nobis esse meminerimus. II. Si errores heterodoxorum circa doctrinam de Sacramentis tempestivè cognoscamus, quod sint errores nobisque noxii. III. Si mentem à vagis cogitationibus ad serias fixasque assuefaciamus. IV. Si in exemplis obviis imitanda à fugiendis discernamus, adhibitâ censurâ exemplorum juxta normam verbi divini.

CAP.

CAPUT VIII.

SECTIO II.

De

Confessione Fidei.

§. I.

PErtinet II. ad texternum DEI cultum Confessio fidei, per quam fit, ut fidem internam per signa externa fortiter & constanter declaremus ad illustrandam DEI gloriam & promovendam proximi utilitatem.

§. II. Pugnat cum Christiana Confessione fidei I. Abnegatio. II. Dissimulatio fidei. III. Temeraria non tàm fidei, quàm Societas cum aliis initæ cultæque professio, itemque doctrinæ nondum rectè cognitæ audax assertio.

§. III. Motiva veræ & Christianæ confessionis fidei sunt: I. Mandatum DEI. II. Ipsius officii dignitas & decor. III. Præmia confitentibus parata. IV. Oppositorum dedecus & damnum.

§. IV. Media confessionis sunt: I. Ipsæ virtutes internæ circa Deum occupatæ, fides, & ex ea natæ, spes atque charitas, earumque diligens exercitium. II. Exemplorum Christi & Sanctorum aliorum pia consideratio. III. Præces pro alacritate Spiritus & directione divina.

§. V. Impedimenta sunt: I. Præjudicia varia de doctrina fidei. II. Animus ad simulandum

dum & dissimulandum in humana conversatione assuefactus. III. Exempla prava abnegantium aut dissimulantium. IV. Nimia sui fiducia & V. Temporalium rerum amor.

§. XI. Ne autem nos talia impediant in hoc officio, ôpus est I. Sedula & attenta ac sufficiente tractatione fidei ad agnitionem perfectiorem. II. Ut animus etiam in communi vita ad candorem aut sinceritatem assuefiat. III. Ut exemplorum vitiosorum turpitudo & damnum consideretur. IV. Ut imbecillitatis humanæ & insidiarum Satanæ simus memores. V. Ut animum à terrestrium amore ad cœlestia prosequenda abducamus.

Cap. VIII.
SECTIO III.
DE
Glorificatione DEI externa.

§. I.

AD cultum DEI externum III. referenda est Glorificatio nominis divini per actus externos, precum, laudum, gratiarum actionis & similes. Quibus internam DEI Triunius & perfectionum ac beneficiorum divinorum æstimationem declaramus; qui proinde conjunguntur cum actibus internis reverentiæ, amoris & fiduciæ erga Deum, ex quibus quoties occasio est, profi-

proficiscuntur atque eo tendunt, ut Deus etiam ab aliis, præter nos celebretur.

§. II. Pugnant cum Glorificatione nominis divini, partim omissio actuum illorum externorum sive signorum fidei ac reverentiæ, quæ & quando DEO debebantur; partim actuum illorum exhibitio hypocritica aut intempestiva; partim quando his, quæ non sunt DEus, glorificatio ejusmodi præstatur, partim cùm nomen divinum perfanatur sive per blasphemiam apertam, sive per varias superstitionum species. Unde imprimis huc pertinet magia cum suis speciebus præsertim vaticinatrice & practica sive effectiva.

§. III. Motiva Glorificationis DEI externæ sunt: I. DEI ipsius præceptum partim positivum ipsius officii, partim negativum respectu oppositorum. II. Glorificationis Christianæ decor, & partim respectu nostri, partim respectu aliorum hinc speranda ædificatio. III. Oppositorum ingens turpitudo & pœna.

§. IV. Media hujus officii sunt partim scrutinium & observatio eorum, quæ de Glorificatione Numinis divini interna atque externa, in Scripturis revelata aut ab Ecclesia instituta & ad praxin perducta fuerunt: Unde huc ipsa exempla probata spectant; partim virtutes Christianæ ad internum Dei cultum spectantes, speciatim reverentia, amor, invocatio & gratiarum actio, quæque his exercendis medii instar serviunt:

viunt: inprimis quæ juxta lumen naturæ & Scripturæ perfectiones divinas animis nostris imprimunt.

§. V. Impedimenta sunt partim quidem illa, quibus internus Dei cultus impeditur; speciatim amor & cura rerum hujus seculi; partim affectatio singularitatis, itemque neglectus scrutinii eorum, quæ de hoc officio divinitus aut ab Ecclesia sunt instituta, denique exempla prava.

§. VI. Ex adverso autem, ne ista impediant, partim observanda sunt ea, quæ supra vidimus removendis impedimentis cultus interni prodesse; partim quæ ad cavendam philautiam inordinatam, & abstergendam socordiam in investigandis, quæ ad officia nostra spectant, facere posse, sæpius indicavimus.

Cap. VIII.

SECTIO IV.

DE

Juramento religioso.

§. I.

PErtinet IV. ad cultum Dei externum etiam Juramentum religiosum, quo aliquid præmeditatè, sincere & sanctè affirmamus aut negamus, ita ut Deum cordis nostri scrutatorem & veritatis testem ac judicem invocemus ad augendam ejus gloriam & proximi utilitatem promovendam.

§. II.

§. II. Opponuntur juramento religioso I. Pertinax abstinentia à juramentis, quæ ubi & quando fieri debebant. II. Juramenta temeraria de rebus futilibus. III. Juramenta per creaturas non per nomen solius Dei facta. IV. Juramenta fallacia seu perjuria.

§. III. Motiva juramenti juxta requisita superius tradita præcisè præstandi sunt: I. Dei mandatum II. Juramenti ipsius gravitas. III. Rectè præstiti juramenti acceptatio benigna apud Deum. IV. Oppositorum culpa & noxa.

§. IV. Media juramenti rectè præstandi sunt: I. Timor Dei. II. Caritas Dei & proximi. III. Candor & sinceritas morum & vitæ quotidianæ. IV. Exempla religiosè jurantium.

§. V. Impedimenta hoc loco notanda sunt: I. Præjudicia varia auctoritatis humanæ in sententiis erroneis aut exemplis pravis. II. Contemtus Dei. III. Inordinatum stupium honoris aut opum &c. IV. Metus malorum temporalium.

§. VI. Facit autem ad removenda hæc impedimenta I. Doctrinæ præsentis juxta autoritatem Dei revelantis solicita consideratio præjudiciis omnibus opponenda. II. Si quæ à contemtu Dei, ab avaritia, ambitione &c. abstrahunt, ad animum revocemus. Denique III. omnium malorum maximum ex offensa Dei nasci cogitemus.

CAP.

Cap. III.

SECTIO V.

DE

Voto religioso.

§. I.

SImiliter ad cultum Dei externum spectat votum, quod est pollicitatio religiosa Deo de re possibili Deoque grata, ex libera voluntate facta ad Dei gloriam & voventis ipsius proximique ædificationem.

§. II. Adversantur autem voto religioso & Christiano I. Votum non soli Deo, sed Creaturis v. g. Sanctis, quasi religiôsè factum. II. De re vel physicè, vel moraliter impossibili vel turpi Deoque ingrata, vel alias temere & absque justa deliberatione facta, vel non tendentia ad gloriam Dei, sed nostram. III. Voti validi violatio.

§. III. Motiva voti nonnisi religiosè juxta requisita indicata faciendi & legitimè facti servandi sunt: I. Mandatum Dei. II. Voti ipsius, relatione ad eum, cui fit, facta gravitas. III. Secus facientium ignominiæ & pœnæ.

§. IV. Media voti rectè præstandi & implendi sunt: I. Virtutes, quæ ad cultum Dei internum pertinent. II. Doctrinæ de Libertate Christiana circa adiaphora, & III. Status nostri præsentis itemque futuri, quatenus præsumi potest, cognitio

gnitio & meditatio sufficiens. Denique IV, Exempla Sanctorum religiose voventium & vota servantium.

§. V. Impedimenta sunt: I. neglectus virtutum, quæ medii locum habent. II. Præjudicia in doctrina ipsa de votis deque adiaphoris. III. Avaritia aut philautia quælibet inordinata &c.

§. VI. Removendis impedimentis uti ea serviunt, quæ excitant ad cultum virtutum memoratarum & fugam vitiorum; Sic etiam necessarium est attendere ad characteres, quibus vera sententia de votis atque adiaphoris à præjudiciis oppositis distingvitur.

Cap. VIII.

SECTIO VI.

De

Jejunio religioso.

§. I.

REferri porrò potest ad cultum Dei externum jejunium religiosum, quod est abstinentia à cibo potuq; vel omnimoda, vel secundum quid, ratione quantitatis & qualitatis aliàs usitatæ liberè ac religiosè suscepta, ad excitandam majorem devotionem, atque adeò ad Dei gloriam nostramque ædificationem.

§. II. Repugnant jejunio pio & Christiano I. Cùm quis aliis ex instituto Ecclesiæ jejunantibus, sine necessitate ex ratione valetudinis, cibo po-

tuque præsertim lautiore fruitur. II. Cùm quis nimio aut intempestivo jejunio valetudini vim facit. III. Cùm delectus ciborum qualiscunque, admissis etiam lautioribus cibis aut potu, vero jejunio substituitur. IV. Denique jejunium quodlibet cum superstitione aut opinione meriti conjunctum, aut non ad unius Dei gloriam tendens.

§. III. Motiva jejunii eô, quô dictum est, modo celebrandi sunt. I. Præcepta Dei. II. Jejunii rectè celebrati decor & usus. III. Turpitudo & pœna peccantibus destinata.

§. IV. Media jejunii rectè præstandi sunt I. Virtutes ad internum Dei cultum spectantes. II. Temperantiæ cultra frequens & attenta. III. Doctrinæ de adiaphoris cognitio recta & sufficiens. IV. Reverentia erga Ecclesiam. V. Exempla rectè jejunantium. VI. Preces pro directione mentis & actionum nostrarum ad sanctum finem.

§. V. Impedimenta sunt, quæcunque memoratis mediis opponuntur, adeoque I. Irreligiositas. II. Intemperantia. III. Præjudicia de adiaphoris. IV. Irreverentia erga Ecclesiam. V. Prava exempla. VI. Ambitio & studium singularitatis.

§. VI. Ut ergo ab impedimentis immunes simus, observanda sunt ea, quæ mediorum usum commendant, & oppositorum istis disconvenientiam cum statu Christiano ac periculum ostendunt.

CAP.

Cap. VIII.

SECTIO VII.

De Celebratione Sabbathi & Festorum aliorum.

§. I.

COhæret cum præcedentibus & ad cultum Dei externum pertinet Sabbathi seu diei Dominicæ Festorumque aliorum celebratio pia ac devota non solùm in congressibus publicis, verùm etiam privatis, per actus ad usum verbi divini & glorificationem nominis divini pertinentes, ita ut tantisper ab operibus quotidianis secularibus abstineatur.

§. II. Celebrationi Sabbathi & Festorum aliorum opponitur I. Profanatio eorundem, quando sacra publica vel privata temerè negliguntur aut frigidè tractantur; itemq; opera secularia aut civilia extra casum necessitatis exercentur, aut otio inerti vel voluptatibus impuris tempus teritur. II. Cùm superstitiosius agitantur feriæ.

§. III. Motiva Sabbathi & Festorum aliorum rectè celebrandorum sunt I. Mandatum Dei. II. Æquitas naturalis. III. Decor & jucunditas atque utilitas rectæ celebrationis. IV. Pœna transgressorum.

§. IV. Media sunt I. ex parte intellectus notitia & meditatio eorum, quæ de celebratione

Festorum & Sabbathi in verbo Dei atque ab Ecclesia rectè tradita sunt. II. Ex parte voluntatis virtutes illæ, quibus homo ad cultum Dei internum & externum, itemque obsequia Ecclesiæ præstanda inclinatur. III. Ex utraque parte exempla sanctorum Sabbathum & Festa rectè celebrantium.

§. V. Ad impedimenta pertinent I. Quæcunque hominem vel à cultu Dei interno vel ab externo eoque imprimis publico abstrahunt. II. Peculiariter etiam præjudicium de celebratione Festorum, ipsiusque Sabbathi, quæ sit merè ceremonialis.

§. VI. Atque ita etiam de his, quæ ad remotionem impedimentorum faciunt, ex suprà dictis hîc, vel eadem ratione, vel κατ' ἀναλογίαν, locum habentibus, constare potest.

CAP. IX.

DE OFFICIO HOMINIS RENATI ERGA SE IPSUM.

SECTIO I.

De Officio hominis circa animam suam.

§. I.

CUm certum sit ex superioribus obligari hominem ad officia sibi ipsi exhibenda; ipse

ipse autem anima & corpore constet, extra se etiam circa res varias, quæ fortunæ dicuntur, versetur; primum quidem est, ut erga animam suam rectè se gerat, idque partim quoad statum naturalem, partim quoad statum gratiæ supernaturalis, bona quoque utriusque status & mala opposita.

§. II. Itaque speciatim quidem hûc pertinet I. Ut dona animæ naturalia ex parte intellectus & voluntatis, connata & acquisita, quæ habet; itemque defectus oppositos, quibus laborat, exploret: atque illa quidem studiô sincero & continuo, per media legitima, excolat ac perficere conetur; hos emendet: Utrinque ad Dei gloriam & proximi utilitatem, tanquâm ad finem tendat.

§. III. Pugnant autem cum hoc officio I. Neglectus scrutandi dona animæ naturalia intellectus & voluntatis eorumque defectus. II. Neglectus culturæ studiosæ & constantis donorum illorum. III. Mediorum illegitimorum in excolendis donis naturalibus adhibitio. IV. Neglectus emendationis defectuum licet cognitorum. V. Cultus illius aut emendationis relatio non ad genuinum finem, sed propriam vanamque gloriam.

§. IV. Motiva veri officii circa animam & quæ ei sunt naturalia, suppeditant. I. Mandatum Dei. II. Ipsa animæ præstantia & cultus ejus decor. III. Oppositorum turpitudo & damnum.

§. V. Mediorum rationem hic habent I. Informationis alienæ & monitorum egregiorum II. Etiam exemplorum præstantium, præsertim in Viris sanctis observatio. Denique III. Preces ad Deum pro successu hujus studii, licet naturale videatur, ex divina benedictione.

§. VI. Impedimenta sunt I φιλαυτία inordinata. II. Persvasio jam acquisitæ perfectionis, indeque nata ambitio & fastus. III. Exempla hominum in hoc cultu negligentium aut aliàs peccantium. IV. Cupiditas opum aut voluptatum.

§. VII. Ex adverso itaque arcendis aut tollendis impedimentis necesse est I. Discernere inter φιλαυτίαν ordinatam & inordinatam. II. Attendere potius quid perfectionis hactenus desit, quàm quid adsit aut adesse videatur. III. In Exempiis occurrentibus non tàm quid fiat, quàm qualiter, observare. IV. Cupiditatum illarum vanitatem, turpitudinem & noxam ostendere.

§. VIII. Pertinet (II) ad officium hominis circa animam suam, ut dona animæ supernaturalia, quæ divinitus accepit & habet cùm sanctificantia, tùm ministrantia, in se & ratione suæ originis; simul etiam defectus, qui conjungi solent, consideret; & sic illa quidem sincera & quotidiana operâ, adhibitis mediis à Deo suppeditatis, excolere &, quoad licet, perficere nitatur; defectus autem eôdem studiô, quantum in se est, corrigat, promovendæ gloriæ divinæ & utilitatis proximi causa.

§. IX.

§. IX. Vitia opposita sunt, quando homines renati atque adeò gratiæ donis supernaturalibus quibusdam instructi, vel I. Attendere ad ea negligunt, vel II. Cultum eorum debitum & quotidianum omittunt, aut III. Ad incrementa illorum per media divinitus non suppeditata tendunt, vel IV. Dei gloriam & proximi ædificationem non quærunt. Denique V. Operibus malis qualibuscunque se polluunt, aut secularia sacris, indifferentia necessariis præferunt.

§. X. Motiva Christiani officii circa dona spiritualia sunt I. Mandatum Dei. II. Præstantia profectuum in hoc officio & utilitas. III. Turpitudo & damnum oppositorum.

§. XI. Media hujus officii rectè præstandi sunt: I. Usus legitimus ac diligens Verbi & Sacramentorum. II. Exempla sanctorum, qui non tantùm profecerunt, verùm etiam quâ tanquàm methodo profecerint de se ostendunt. III. Preces quoque pro gratiosa cooperatione ad Deum, & IV. Observatio variorum casuum, unde materia excolendi se & proficiendi nasci potest.

§. XII. Impedimenta sunt: I. Præjudia de perfectione in Spiritualibus jam impetrata, aut de perfectione ne quidem secundum quid impetrabili. II. Exempla hominum in hoc studio deficientium, qui tamen salventur. III. Temporalium & vanarum rerum amor ac desiderium.

§. XIII. Facit autem ad impedimenta ista re-

movenda I. Scrutinium infirmitatis humanæ, etiam his, qui sanctiores videntur, adhærentis, aut ut non tantùm quod aliquantum profecerimus, sed quantum à plena perfectione absimus, consideremus. II. Si etiam, licet perfectio absoluta nobis in hac vita non obtingat, eam tamen pro norma nobis objectam esse, & saltem ad alia incrementa per gratiam pervenire nobis licere, cogitemus: & III. Alios quidem suo domino stare aut cadere; nobis autem de talento nobis concesso & magis minusve in lucrum collocato rationem reddendam esse meminerimus: Si denique IV. omnem alium cultum vel noxium, vel ex se parùm utilem, vel omninò tandem cessaturum; animæ verò in Spiritualibus cultum unicè necessarium esse observemus.

Cap. IX.

SECTIO II.

De Officio Hominis circa corpus suum.

§. I.

ALtera pars officii hominis Christiani erga seipsum consistit in cura corporis, tali quidem, quâ fiat, ut corpus animæ, quoad actiones spirituales ac civiles rectè & quoad usque fieri potest, inserviat, speciatim ut abstinentia, sobrietate & castitate ornatum reddatur, simul valetu-

letudinis & decori ratio etiam quoad vestitum habeatur.

§. II. Opposita sunt, quando I. vel in cibo ac potu, vel in re geniali, vel etiam in vestitu modus exceditur. II. Aut præposterô quodam studiô corpus citra necessitatem affligitur, aut decente cultu privatur.

§. III. Motiva officii Christiani erga proprium corpus sunt I. Mandatum Dei. II. Dignitas corporis humani ac speciatim hominis Christiani. III. Nexus hujus officii cum eo, quod ad animam spectat, arctus planè & suô modô necessarius. IV. Officii ejusdem decor & præmia. V. Oppositorum dedecus & damna varia.

§. IV. Media sunt I. Consideratio diligens suæ cujusque naturæ ac status. II. Animi ad spiritualia, Dei cultum & vitæ sanctimoniam propensio. III. Exempla sanctorum præceptis officii conformia.

§. V. Impedimenta sunt I. Segnior aut nulla consideratio suæ naturæ aut status. II. Defectus inclinationis ad spiritualia, & cùm ex adverso sensus externi in objectis ad illicitas voluptates allicientibus intempestivè hærent. III. Exemplorum pravorum imprudens observatio, aut familiarior cum hominibus intemperantibus & vanis conversatio. Denique IV. Præjudicium ex superstitione, de neglectu curæ corporis ad animæ culturam & perfectionem serviente.

§. VI. Ex adverso, ut impedimenta declinen-

tur aut removeantur, necesse est I. Ut observemus ea, quæ scrutinium & cognitionem nostri variis modis commendant. II. Ut præter ἀνομίαν etiam vanitatem voluptatum corporis inordinatarum animo meditemur. III. Ut fugiamus otium ac rebus seriis gravibusque semper occupemur. IV. Ut, quæ penes alios se offerunt, maturiore judicio æstimemus. V. Ut Præjudiciis memoratis occuramus, verum, quem Deus poscit, cultum, ab ἐθελοθρησκείᾳ distingvendo.

Cap. IX.
SECTIO III.
DE
Officio Hominis circa fortunæ bona.

§. I.

TErtia pars officii Hominis Christiani erga se ipsum consistit in decente cura acquirendorum & conservandorum per media legitima bonorum fortunæ, speciatim honoris, bonæ famæ, munerum & divitiarum tanquàm instrumentorum ad exercendas operationes sanctas Deo placentes.

§. II. Opposita sunt I. cum quis bona fortunæ plura aut majora, quam par est, ac fortassis anxiè desiderat, aut præsentibus illis immodicè se oblectat, aut mediis illegitimis acquirere & conservare ea studet, aut non convertit in finem illum

illum sanctum ad quem divinitus destinantur. II. Cùm eadem illa bona temerè negliguntur, vel propriâ culpa amittuntur.

§. III. Motiva veri officii Christiani circa bona fortunæ sunt I. Mandatum Dei, speciatim quidem quoad honores non nisi modestè appetendos conjuncta humilitate, de fama bona rectè quærenda ac tuenda: de utriusque divino honori postponendis: de divitiis rectè quærendis recteque utendis. II. Ipsa bonorum externorum à summo quidem bono aut sanctis proprio bono differentia, habitudo autem ad bonum finem: Unde III. Hujus officii decor & utilitas constat. Quo IV. accedit oppositorum dedecus & noxa.

§. IV. Media sunt I. Partim ipsorum bonorum fortunæ ut donorum Dei, partim ut incertorum & facilè amissibilium consideratio: Sed & II. Exempla Christi & Sanctorum.

§. V. Impedimentorum contra rationem & vim habent, quæcunque à motivis mediisque abducunt: Speciatim I. Si bonorum externorum amabilitatem aut pretium, quod inter homines habent, nimis contemplemur. II. Si non tàm juxta Leges quàm secundum exempla numero & auctoritate hominum prævalentia vivamus. III. Etiam, si singularitatem quandam temerè affectemus, aut IV. Inter abusum & usum bonorum illorum distingvere nesciamus.

§. VI. Removendis itaque impedimentis tantò ma-

tò magis necesse erit ad motiva atque media memorata diligenter attendere, quodque I. Indignum sit homine, præsertim Christiano, à bonis externis, prout se extrinsecus commendant, præcisè aut unicè pendere. Necessè etiam est II. Exemplis undecunque occurrentibus larvam detrahere III. Inter temerariam imitationem morum vulgarium, & singularitatem non minùs temerè affectandam, medium se gerere. Denique IV. Inter abusum & usum bonorum solicitè & accuratè discernere.

CAP. X.

De OFFICIO HOMINIS ERGA PROXIMVM.

SECTIO I. GENERALIS.

De Dilectione proximi.

§. I.

SPectatô officio Hominis erga Deum & erga seipsum, jam porrò ac necessariò de eo agendum est, quòd ad hominem alienum seu ad proximum refertur, atque uno dilectionis seu caritatis proximi nomine comprehenditur.

§. II. Pertinet itaque hûc I. Ut bona vera, sive sint animæ, sive corporis, sive fortunæ, qualia nobis rectè optamus & quærimus & conservamus, etiam proximo cupiamus & impetrare atque

quæ conservare studeamus. II. Ut mala, quæ à nobis abesse cupimus, non tantum non inferamus proximo aut optemus, sed pro virili arceamus aut depellamus. III. Ut hoc quicquid est præstemus proximo, non tàm nostri quàm ipsius proximi causa, atque ad Dei gloriam.

§. III. Opponitur veræ dilectioni proximi I. Odium apertum erga eundem: Quò & invidia spectat, sicubi se prodit. II. Amor fucatus, odium clandestinum aut invidiam tegens. III. Dilectio aut amicitia non innixa fundamento honesto & christiano, aut ad Dei gloriam non tendens.

§. IV. Motiva veri & Christiani amoris erga proximum sunt I. Mandatum Dei. II. Quod in proximo ipso sunt rationes amandi ipsum v. g. quod est creatura Dei, quod Deus eum vult salvari, quod Christus pro ipso est mortuus &c. quò accedunt pro diversitate graduum amoris rationes specialiores. III. Decor dilectionis proximi tanquàm characteris fidelium & assimilatio Salvatori nostro, Deoque ipsi. IV. Præmia rectè amantibus proximum parata. V. Ignominia & pœnæ eorum, qui proximum vel planè non amant, vel non rectè amant.

§. V. Media sunt I. Ipsa Dei dilectio & quæ præterea ad cultum Dei pertinent. II. Consideratio multorum illorum pignorum amoris erga nos divini atque indebiti: Unde tantò facilius fiet, ut proximum, quem debemus, diligamus. III. Exempla ipsius Christi & Sanctorum quorumvis.

§. VI.

§. VI. Impedimenta sunt I. Irreligiositas aut animi profanitas. II. Philautia inordinata. III. Si in proximo, quæ displicere poterant aut offendere, nimis curiosè spectentur. IV. Denique, si morem seculi & exempla hominum ab amore proximi vacuorum sectemur.

§. VII. Facit autem ad removenda impedimenta I. Si turpitudinem & noxam irreligiositatis animo reputemus. II. Si nos non nobis solùm natos esse cogitemus. III. Si abnegationis nostri & mortificationis inordinatæ concupiscentiæ studiosi simus. IV. Si proximo non tàm illa, quæ offendunt, quàm ea quorum ratione nobis conjungitur; simul etiam nostros defectus consideremus. Postremò & V. Si morum, qui publicè grassantur, & exemplorum, non tàm securi imitatores, quàm accurati judices aut censores, juxta verbi divini regulam, simus.

Cap. X.

SECTIO II.

DE

Officio hominis renati circa animam proximi.

§. I.

QVemadmodum dilectio proximi in dilectione nostri fundatur atque hinc velut mensuram habet; hominis autem se ipsum diligentis officia circa se considerata fuerunt I. Quoad ani-

animam. II. Quoad corpus, & III. Quoad bona fortunæ; Sic eadem ratione & ordine officia hominis erga proximum commodissimè tradi poterunt.

§. II. Itaque speciatim est hominis Christiani dare operam, ut proximi bona animæ naturalia, quæ ex parte intellectus & voluntatis habet, non solùm conservare, verùm etiam defectibus expletis aut correctis, augere & perficere per media legitima possit idque ad Dei gloriam & veram proximi salutem. Quâ ratione hûc pertinent I. Informatio in scientiis artibusque, pro capacitate proximi & nostris viribus atque occasione. II. Instructio, svasiones & monita in studio virtutum humanarum. III. Bonum exemplum proximi præbendum. IV. Correptio fraterna.

§. III. Opponitur officio huic partim invidia, quâ quis bona animæ naturalia proximi prosequitur, partim ἐπιχαιρεκακία super defectibus talium bonorum; partim studium impediendi acquisitionem & incrementa illorum, partim denegatio operæ ad illa acquirenda, aut conservanda aut agenda præstandæ, & quam quis sine læsione aliorum officiorum, præstare poterat: sive quoad intellectum proximi & scientias atque artes, sive quoad voluntatem & virtutes morum. Unde speciatim hûc pertinet I. Denegatio informationis solidæ & profuturæ; ut & informatio fallax & vel apertè nocitura vel minus profutura. II. Denegatio instructionis, consi-

consiliorum, svasionis aut dissvasionis in his quæ ad mores pertinent; ut & si mala turpia aut injusta, pro bonis, honestis, justis svadeantur aut consulantur. III. Si bona exempla non præbeantur proximo, præbeatur autem scandalum. IV. Omissio correptionis fraternæ, quæ & quando præberi poterat ac debebat: Simul si laudentur male patrata, nec minus correptio intempestiva aut cum zelo inconveniente conjuncta, non tàm ad corrigendum, quàm turbandum aut exacerbandum proximum tendens. Denique V. Si officia quidem ipsa quoad actus externos præstentur, non autem ad Dei gloriam proximique veram salutem.

§. IV. Motiva præsentis officii sunt I. Autoritas Dei præceptiva. II. Bonorum animæ, si quæ nos habemus, naturalis habitudo ad communicationem sui cum aliis. III. Officii hujus pulchritudo & utilitas respectu nostri & boni publici. IV. Oppositorum turpido & damna varia atque gravia.

§. V. Media sunt I. Quæ ad cultum Dei directum pertinent. II. Studium caritatis proximi generale. III. Meditatio triti illius: *quod tibi vis fieri, alteri feceris.* IV. Exempla Sanctorum. V. Speciatim quoad præbendum bonum exemplum, si non tantùm à peccatis, verùm etiam à specie mali abstineamus.

§. VI. Impedimenta sunt I. Philautia inordinata. II. Præjudicia de donis animi sua raritate

tate se commendatibus. III. Exempla eorum, qui alios planè non, vel malè, in scientia, artibus ac moribus instruunt, qui scandala præbent, qui peccantes laudant aut ineptè corripiendo corrumpunt &c. Partim etiam, & speciatim IV. Si quis occultè se peccare posse putet, facilè tamen effecturus, aut rescisscentibus aliis capiatur scandalum. Denique V. Si proximum teneriore amore, velut delicatuli, prosequamur, & tanquam non offensuri, non moneamus.

§. VII. Ex adverso ut removeantur impedimenta, notari debent I. Quæ Φιλαυτίας inordinatæ turpitudinem & damnum monstrant. II. Quæ artes & scientias non tàm raritate, quàm usu commendari docent. III. Quæ exemplorum in oppositis officii hujus pravitatem & noxam ostendunt. IV. Quæ peccata, quantumcunq; clam facta, plerumq; tamen propolari solere ostendunt. Postremò & V. Quæ proximum blandiendo corrumpi, & amica correptione revera non offendi, sed sanari, probant.

Cap. X.

SECTIO III.

De Officio Hominis renati circa proximi bona animæ supernaturalia.

§. I.

Quemadmodum naturalia, sic & multò magis bona supernaturalia animæ proximi cu-

ræ hominis Christiani commendata esse debent; Adeoque ut vel ad fidem salutarem perducatur, vel jam perductus, in fide, spe & caritate, quæque cum his conjuncta sunt, conservetur & incrementum faciat: lapsus autem aut infirmus, condolentibus nobis restituatur ac perficiatur. Unde etiam hic informatione, consilio, svasione, hortatu, dehortatione, monitis, correptione & solatio opus esse, facilè intelligitur.

§. II. Peccatur ex adverso, I. Cùm bona illa spiritualia vel acquirenda impediuntur, vel quæ jam adsunt, auferuntur aut mala opposita attrahuntur v. g. cùm speciatim his, qui informatione in doctrina fidei aut morum, consilio in singularibus, hortatu, svasu &c. opus habebant, hæc denegantur, cùm præstari possent; cùm media notitiam fidei & profectus acquirendi subducuntur; cùm falsa doctrina illis instillatur, cum periculo seductionis Pseudo-doctorum exponuntur &c. II. Cùm tenatis & anxiis solatium & fulcra spei denegantur, aut potius in dubitationes & desperationem illi conjiciuntur. III. Cùm caritatis incentiva, aut directiva, aut exempla aliis non communicantur vel præbentur; aut lapsi in viam non reducuntur.

§. III. Motiva sunt I. Mandatum Dei de ædificatione mutua spirituali fidei II. Officii hujus decor tanquàm ad spirituale Sacerdotium pertinentis. III. Ejusdem utilitas quoad præmia exhibentibus parata, & quoad salutem in socie-

societatem Christianam publicam redundaturam. IV. Oppositorum reatus, culpa & pœnæ.

§. IV. Media sunt I. Virtutes ad cultum Dei spectantes unà cum caritate proximi in genere. II. Exempla Christi & Sanctorum in his quàm optimè occupatorum. III. Si cogitemus hac ratione nos quàm maximè prodesse proximo.

§. V. Impedimenta officii hujus sunt I. Profanitas animi propria. II. Præjudicium istud, quô putatur, curam salutis animæ proximi solis Ecclesiæ ministris competere. III. Exempla prava eorum, qui oppositò modo agunt.

§. VI. Itaque ut hæc removeantur, attendendum est I. Ad ea, quæ à studio vanitatis aut profanitate animos abstrahunt & religiosos reddunt. II. Ut distingvatur inter opera quæ & quatenus sunt Ecclesiæ ministris propria & quæ & quousque fidelibus sunt communia. III. Malis malorum exemplis opponenda sunt uti ipsa agendorum regula, sic exempla sancta Christi & Sanctorum.

CAP. X.

SECTIO IV.

DE

Officio Hominis Christiani circa corpus proximi.

§. I.

AD officium hominis Christiani erga proximum porrò pertinet, ut corpori, adeoque

& vitæ & sanitati ac vigori ejus, quantum in se est, consulat; partim ad incolumitatem ejus conservandam, partim ad amissam restituendam, idque ob Dei gloriam & veram proximi felicitatem.

§. II. Pugnant cum hoc officio partim omissio hujus studii, partim actiones oppositæ seu contrariæ, & quidem I. Homicidium, quò quis seu clam seu apertè vim infert corpori & vitæ proximi, ad interitum ejus tendentem: vel quando mandato suo, consilio, præmiis &c. alium ad illum occidendum; vel subtrahit id, quò proximus vitam suam tueri aut servare poterat; vel facit quiddam, unde periculum vitæ alterius sequi posse & solere nosse poterat aut noverat. II. Læsio aut mutilatio corporis proximi extra casum mortis. III. Cùm quis sine læsione per instrumenta externa morbum proximo quoquo modò conciliat, aut præsentem auget. Denique IV. Conatus aut intentio quælibet talium, etiamsi actus externus non perpetretur aut perficiatur.

§. III. Motiva recti officii præsentis sunt I. Præceptum Dei expressum quoad cavenda opposita & præstandam positivè operam indigentiæ proximi. II. Dignitas hujus officii & decor ex consideratione ipsius corporis proximi, tanquàm machinæ artificiosæ Creatoris. III. Præmia rectè agentibus parata. IV. Pravitas & pœnæ oppositorum.

§. IV.

§. IV. Media sunt I. Generaliter, quæ ad caritatem Dei & proximi spectant. II. Exempla Sanctorum. III. Si cogitemus, nos aut nostros in similes casus indigentiæ facilè delabi posse, unde, quod nobis tunc præstari cupimus, tantò libentius aliis præstemus.

§. V. Impedimenta sunt I. Cùm generalia illa, quæ dilectionem proximi impediunt, tùm II. Speciatim ambitio sive fastus, avaritia, præjudicia ab exemplis pravis petita & offensæ privatæ.

§. VI. Ex adverso itaque observenda sunt I. Cùm ea, quæ generalibus impedimentis caritatis removendis serviunt: tùm II. Quæ homines naturâ pares esse, adeoq; fastum cavendum; quæ opes nō rectius impendi, quàm quando in usum proximi cedunt, adeoque cavendam esse avaritiam, docent: Porro quæ in pravis exemplis inhumanitatem fugiendam monstrant, & denique quæ proximum non quatenus homo est & auxilio eget, considerare jubent.

Cap. X.

SECTIO V.

DE

Officio Hominis Christiani circa famam & honorem proximi.

§. I.

Ulterius ad Christiani hominis officium erga pro-

proximum pertinet, ac famæ ac dignitati ejus consulatur, partim ut servetur, partim ut augeatur, per media legitima; adeoque ut virtutes proximi honesto testimonio ornentur; eidem honor nostro & ipsius statui conveniens exhibeatur, atque, ut alii exhibeant, procuretur; innocentia ac probitas ejus ab aliorum injuriis defendatur; nævi etiam, quantum in nobis est, obtegantur aut excusentur.

§. II. Opponuntur huic officio peccata varia, & quidem I. Quando dignitas proximi apertâ contumeliâ læditur, sive denegando ei honorem debitum ejusque signa, sive conjiciendo in ipsum convitia, sive gestibus probrosis eum dehonestando. II. Quando fama proximi ficto crimine oneratur. III. Quando eadem ab aliis lacessita falso testimonio magis affligitur. IV. Quando testimonium innocentiæ necessarium & profuturum ei denegatur. V. Cùm peccata ejus & nævi occulti temere propalantur. VI. Quando auditæ ab aliis inculpationes proximi dubiæ atque incertæ aliis porrò narrantur aut disseminantur. VII. Cùm facta proximi, intentione honestâ ejus neglectâ, aut ratione circumstantiarum insuper habitâ, in deteriorem partem explicantur &c.

§. III. Motiva sunt I. Mandatum Dei partim generale, partim quoad diversas partes hujus officii distinctè expositi. II. Præstantia hujus officii ex præstantia objecti, quod, licet externum quid-

quiddam ac temporale sit, attamen ut adminiculum bonarum actionum magni habetur. III. Quod proximo ipsi tanquàm imagini Dei honor aliquis debetur. IV. Præmia rectè agentium. V. Peccantium dedecus & pœnæ.

§. IV. Media ejusdem officii rectè gerendi, præter generalia de virtutibus circa Deum & proximum occupatis, dequè faciendo alteri, quod quis sibi vult fieri &c. sunt partim humilitas animi nostri, partim taciturnitas, partim exempla Sanctorum, partim denique consideratio facilitatis deligendi verba profutura præ nocituris.

§. V. Impedimenta sunt præter neglectum eorum, quæ in genere ad cultum Dei & dilectionem proximi spectant, speciatim superbia aut ambitio, avaritia, garrulitas, iracundia & exempla prava: Aliquando etiam timiditas.

§. VI. Facit autem ad removenda impedimenta, si non tantùm, ut in aliis, Deum imprimis spectandum esse, & caritatem proximi non, nisi cum præsentissimo salutis discrimine negligi posse, cogitemus; verum etiam peculiariter ad providentiam divinam attendamus, quæ de nostris aliorumque honoribus, fama, bonique cœteris dispensat; nos autem, qui honore valemus, tantò magis ad juvandum alios in societate publicâ obligatos aptosque esse meditemur: Si de quolibet otioso verbo, & multò magis de eo, quò proximi fama læditur, rationem reden-

dam esse meminerimus; si exemplorum pravorum non numerum, sed vitium intueamur; si in honesto sive sancto officio divinæ tutelæ confidamus animumque sumamus.

Cap. X.

SECTIO VI.

DE

Officio Hominis Christiani circa opes aut facultates proximi.

§. I.

INter partes officii hominis Christiani erga proximum jam porrò locum habet, quòd opibus ejus seu facultatibus conservandis & augendis, quantum in se est, perque media legitima, ad gloriam Dei proximique veram felicitatem studere debeat. Speciatim verò requiritur, ut egenis, præsertim de quorum honestate constat, promtè & pro modulo facultatum suarum, itemque pro indigentia illorum, liberaliter succurrat.

§. II. Opponuntur huic officio generaliter quidem omissio studii præscripti, ut & actus ad decrementum opum proximi tendentes. Speciatim immisericordia erga egenos, quâ fit, ut vel nihil, vel parùm, vel tardè, vel cum aliqua animi ægritudine, detur egenis: partim hypocritica largitio.

§. III. Motiva sinceræ beneficentiæ sunt I. Mandatum divinum. II. Ipsarum opum terrenarum

narum habitudo ad aliorum usum. III. Beneficentiæ decor & pulchritudo; imò & præmia. IV. Immisericordiæ & hypocriticæ largitionis fœditas & pœnæ.

§. IV. Media, quæ vel intellectum dirigant, vel voluntatem flectant ad actus beneficentiæ Christianæ, ab ipsa motivorum meditatione & usu petuntur: accedere autem debet contemtus opum, & ut proximi personam tanquàm communis omnium parentis & Creatoris opus spectemus.

§. V. Impedimenta sunt, præter neglectum motivorum, imprimis immoderatus amor opum & superbia.

CAP. X.

SECTIO VII.

De Officio Hominis circa proximum in contractibus.

§. I.

PRæter gratuitam rerum communicationem, ad officium hominis Christiani circa facultates proximi conservandas & amplificandas, hoc etiam pertinet, ut contractus bona fide ineantur & serventur, in iisque sic exerceatur dilectio, ut non solùm nostri, verùm etiam illorum, cum quibus contrahimus, ratio habeatur illique adjuventur.

§. II. Sicut autem sunt contractus multi & varii, ita speciatim in emtione & venditione observandum est I. Ut res venales fiant, cum bonâ possidentis seu venditoris voluntate, non contra ejus voluntatem ab emtore venales reddantur. II. Ut rebus vendendis atque emendis pretium æqvum statuatur, vel juxta definitionem Magistratus, vel juxta æstimationem communem hominum peritorum ac bonorum, in ipsarum rerum dignitate, utilitate & communi necessitate, item abundantiâ aut raritate, facilitate aut difficultate acquirendi aut conservandi, fundatam: non autem pro singulari necessitate emtoris à venditore nimis augeatur pretium, vel ab emtore fraudulenter elevetur infra justam dignitatem. III. Ut pondera & mensuræ legitimè adhibeantur. IV. Ut vitium rei vendendæ, per quod emtori damnum aut periculum obtingit, sincerè indicetur. V. Ut pro mercibus pecunia probata, & quanta in contractu promissa est, justo tempore numeretur. VI. Ut emtores alii præsertim priores, aut qui magis indigent mercibus, non impediantur, vel oblatô majori pretio excludantur.

§. III. Peccata opposita sunt, si quis venalia faciat alterius bona contra ejus voluntatem, si venditor nimis augeat, aut emtor extenuet pretium; Si pondera aut mensuræ injustæ, vel pecunia adulterina usurpentur; vel occulterur aut negetur à venditore vitium rei; si ab emtore

differatur solutio ultra præfinitum tempus, si emtores alii dolosè impediantur.

§. IV. Ad locationis & conductionis contractum, ut rectè sese habeat, requiritur I. Ut, qui rem locat, præstet, ut conductor eôdem commodè uti possit, occultum autem vitium conductori indicet; præstet etiam usum rei locatæ ad tempus præfinitum; solvat impensas in res necessarias, sine quibus conductor re locatâ uti nequit; denique resarciat damna, quæ conductor non suâ, sed ipsius locatoris culpâ, etiamsi levi, passus est. II. Ut conductor re conducta ad eum, de quo convenit, usum atque instar boni Patrisfamilias utatur, ut statutô tempore mercedem solvat; ne rem conductam ante tempus præfinitum sine justa causa deserat, ac pensionem, de qua convenit, solvere recuset; imò etiam, ut damna, quæ sua culpa evenerunt, resarciat. III. Ut, qui operas suas locat, fideliter eas, & in artificiis quidem, exactissimâ diligentiâ præstet, aut si quid damni à se illatum est, id non ægrè compenset. IV. Ut, qui operas alterius conduxit, mercedem pro illis promissam, ac tempore quidem justô solvat.

§. V. Contrà autem peccatur I. Quando, qui rem locat, usum tamen commodum non præstat, aut impedit; vel vitium rei occultum dissimulat; vel ante præfinitum tempus contractum rescindit; vel impensas debitas & ad usum rei locatæ præstandum, aut ad compensanda damna,

damna, quæ conductori præter meritum obtigerunt, necessarias denegat. II. Quando conductor re conducta cum damno locatoris abutitur; aut pensionis debitæ solutionem differt; aut rem conductam ante statutum tempus deserit sine justa causa; aut damna à se facta resarcire detrectat. III. Quando, qui operas suas locavit, infideliter aut ignavè eas præstat, aut damna non resarcit. IV. Quando, qui operas alterius conduxit, majores, quàm de quibus convenit, exigit; aut mercedem debitam denegat.

§. VI. Ad contractum mutui, ut legitimè fiat, requiritur I. Ut creditor sit dominus rerum, & rem utilem tradat alteri, neque ultra sortem à proximo indigo, & qui re traditâ non tàm ad lucrum, quàm necessitatem suam explendam utitur, ipse exigat lucrum, cum ipsius damno. II. Debitor autem tantundem, quantum accepit, in eodem genere & bonitate reddat, imò etiam ultra sortem in lucri, quod inde accepit, participationem admittat creditorem.

§. VII. Malè autem habet contractus mutui, quando creditor pro rebus minus utilibus à se traditis meliores repetit, aut ultra sortem propter solum mutationis officium cum notabili damno mutuatorii seu debitoris aliquid, ac forte nimium, exigit: item, quando debitor non tantundem, quantum accepit, aut non in eodem genere & bonitate reddit, aut creditori censum seu pensionem ultra sortem promissam ac debitam denegat.

§. VIII.

§. VIII. Ad contractum commodati non solùm, ut, qui abundat, promtus sit ad commodandum proximo, verum etiam ut commodatarius rem eandem, neque eam deteriorem reddat, justò tempore, aut si quid damni dederit, restituat, requiritur.

§. IX. Peccatur autem, quando denegatur officium commodandi indigentibus, quorum tamen fides nota est, aut cùm res commodata ab eo, qui accepit, vel planè non, vel deterior redditur, nec minus, cùm damnum non restituitur.

§. X. In contractu depositi observandum est, non solùm ut proximo de securitate rei suæ solicito, officium suscipiendi & custodiendi eam, libenter præstetur, sed præterea, ut, qui depositum suscepit, diligenter & gratis illud custodiat, idemque in specie restituat, non autem sine permissione deponentis illo utatur, damnum autem suâ culpâ illatum sponte præstet: Deponens autem caveat, ne res sua alteri damno sit: atque adeò impensas in rem depositam necessariò aut utiliter factas restituat, imò officium sibi præstitum gratis compenset.

§. XI. Itaque iniqvum est, si quis officium recipiendi depositum sine causa deneget proximo, aut rem depositam negligentius habeat, ut non iterum, aut certè deterior ad deponentem redeat; aut mercedem à deponente exigat; Vel si deponens impensas, ab altero in rem depositam

tam factas, non restituat, aut aliàs damnum det alteri.

§. XII. In contractu pignoris observandum est, ut res propria, non aliena, nisi cum permissione domini, oppignoretur, ut, si quid creditor in pignus necessariò vel utiliter impenderit, restituatur: Creditor autem solutô debitô rem oppignoratam cum omni causa & commodis reddat, imò etiam, ut à paupere pignus, quô is admodum eget, vel non exigat, vel datum petenti etiam ante solutionem debiti restituat.

§. XIII. Ex adverso itaque peccatur, quando debitor alienâ re oppignoratâ creditorem fallit, aut impensas in pignus necessariò vel utiliter factas non restituit; Aut creditor pignus vel planè non reddit; vel non plenum seu deterius reddit; aut pignus pauperi in magna calamitate extorquet, aut tenacius servat.

§. XIV. Quoad contractum fidejussionis fidejussoris est, præstare creditori id, quod tempore fidejussionis in obligatione principali debitoris fuit, cùm ratione sortis: tùm usurarum: Debitoris autem, ut maturâ solutione debiti fidejussorem à periculo liberet, aut certè damnum restituat; Creditoris denique, partim ut debitorem principalem, quoad potest, ad solutionem compellat potius, quàm eô dimissô fidejussorem solùm urgeat, partim ut cum fidejussore, qui nec pecuniam alteri mutuò datam, nec fructum aliquem inde accepit, sic agat, ne ille sine sua culpa

ad re-

ad restitutionem debiti adactus, in gravissimum conjiciatur damnum.

§. XV. Injustum autem est, si fidejussor subducere se conetur officio præstandi id, de quo fidem dedit: Aut debitor malæ fidei, fidejussori damnum afferat: Aut creditor dimissô debitore principali, vel jam factâ solutione debiti, fidejussorem affligat, vel rigidius & cum illius damno graviore exigat sortem & interesse ultra sortem.

§. XVI. Motiva contractuum horum omnium juxta enumerata requisita ineundorum & servandorum sunt I. Mandatum Dei. II. Exempla Sanctorum. III. Præmia rectè agentium, & IV. Pœnæ peccantium.

§. XVII. Media sunt, præter motivorum considerationem, inprimis ad spiritualia bona animus attentus, adeoque opum minus amans & paucis contentus, memor etiam præcepti generalis de præstando alteri, quæ nobis ipsi præstari cupimus.

§. XVIII. Impedimenta sunt neglectus motivorum ac mediorum, & opposita rerum temporalium cura inordinata, imitatio morum hujus Seculi, denique invidia.

CAP.

Cap. X.

SECTIO VIII.

De

Officio Hominis renati circa proximum in colloquiis civilibus.

§. I.

DEnique ad officium Hominis Christiani erga proximum pertinet, ut blandâ conversatione, atque adeò etiam, sicubi usus fert, festivitate sermonis honestè recreet alios, & qui cum ipso conversantur, hos facilè & benignè ferat.

§. II. Opponuntur huic officio adulatio, scurrilitas, morositas ac rusticitas.

§. III. Motiva veri officii, quod hic spectamus, sunt I. Mandatum Dei. II. Exempla Sanctorum. III. Decor hujus officii & utilitas ac jucunditas. IV. Vitiorum oppositorum turpitudo & damnum.

§. IV. Media sunt, præter observationem motivorum, imprimis si imitemur aliorum honesta exempla & suo quemq; modulo æstimemus benignè, memores etiam simus nostrorum nævorum.

§. V. Impedimenta sunt, præter neglectum mediorum ac motivorum, inprimis Φιλαυτία, levitas animi & nonnunquam inordinatus amor proximi, aut clandestinum odium, aut avaritia, aut ambitio.

PAR-

PARTIS SPECIALIS

THEOLOGIÆ MORALIS,

QVÆ EST

DE

OFFICIIS HOMINVM CHRISTIANORVM,

CAP. I.

De

STATV ECCLESIASTICO ET OFFICIO HOMINVM AD ILLVM PERTINENTIVM.

SECTIO I.

De

Recta præparatione ad Ministerium Ecclesiasticum digne & utiliter obeundum.

§. I.

QVi ad munus Ecclesiasticum animum applicant, inprimis pietatis & reliquarum Virtutum Christianarum quarumvis præsertim humilitatis ac mo-

destiæ, mansvetudinis, temperantiæ & ἀυτεξκείας studiosi esse debent.

§. II. Peccant autem, qui sine vera pietate & studio cœterarum Virtutum Christianarum, ad hoc sacrum officium accedunt, & ambitioni, iracundiæ, intemperantiæ aut avaritiæ sese obnoxios reddunt.

§. III. Motiva sectandarum Virtutum & cavendorum vitiorum sunt I. Mandatum Dei. II. Exempla Sanctorum. III. Dignitas & decor Virtutum illarum in Canditato Ministerii. IV. Utilitas hinc speranda. V. Oppositorum vitiorum ignominia & damnum.

§. IV. Media sunt non solùm communia illa, quæ supra in parte generali vidimus; sed speciatim, si Theologiam esse practicam diligenter consideretur & in lectione Bibliorum aliorumve scriptorum sacrorum practicorum inprimis attendatur ad ea loca, quæ ad exercitium virtutum christianarum, quæque à Ministro Ecclesiæ præcipuè requiruntur, possunt incitare; denique conversatio cum hominibus piis seu æqualibus seu superioribus quæratur & colatur.

§. V. Impedimenta sunt præter neglectum motivorum ac mediorum præprimis, si studia sacra solùm eruditionis aut futuræ promotionis causa tractentur, vel societas cum improbis colatur.

§. VI. Requiritur ab Homine ad Ministerium sacrum admovendo serium & quotidianum orandi stu-

di studium non pro his solùm, quæ ad mores sanctificandos pertinent aliisque, quæ communia sunt Christianis, sed speciatim pro successu felici sacrorum studiorum & impetrando fine optato.

§. VII. Neglectus autem precum & torpor in illis faciendis utique in vitio ponitur.

§. VIII. Motiva ardentioris studii precandi hoc loco sunt I. Mandatum Dei. II. Exempla Sanctorum. III. Precum necessitas & utilitas. IV. Oppositi vitii damnum.

§. IX. Media sunt, præter motivorum observationem, diligens lectio librorum, qui & studium orandi urgent, & formulas precum egregias præscribunt, itemque privatum orandi exercitium.

§. X. Impedimenta sunt inprimis vana fiducia propriarum virium, & morum hujus seculi imitatio.

§. XI. Incumbit futuro Ecclesiæ Ministro, ut ad studia sacra afferat ingenium, ad percipiendam solidiorem scientiam & docendos alios idoneum, animumque laboris & molestiarum patientem.

§. XII. Peccant autem, qui, cùm ingenio hebeti sint animoque molli & delicato, ambiunt officium sacrum.

§. XIII. Motiva, non, nisi cum ingenio apto animoque laboribus assveto accedendi ad functionem Ecclesiasticam sunt I. Mandatum Dei.

II. Exempla Sanctorum. III. Analogia omnium aliarum liberalium functionum & artium. IV. Quod successus felicior suæ futuræ functionis expectandus est homini bene præparato, & contra. V. Damnum Ecclesiæ ipsisque Ministris impendet, nisi præparati accedant.

§. XIV. Media ad has officii partes implendas, præter motivorum observationem, sunt, si quis maturè, atque adscito seu Præceptore, seu amico prudentiore atque erudito, exploret vires Ingenii, atque industriam suam magis magisque excitet, interdum recreationem aut otium in vicissitudine laborum quærat.

§. XV. Impedimenta sunt inprimis immoderata φιλαυτία, & si assentatoribus aures, præbeantur, & societas hominum malorum atque inertium non satis caveatur.

§. XVI. Necessarium est, ut adminiculis Sacræ Theologiæ, ac speciatim cognitione Linguarum Sanctarum, in quibus Scriptura S. originaliter consignata est, itemque Logicæ, Rhetoricæ & Philosophiæ tùm Theoreticæ, tùm Practicæ, Historiæ denique, instructus accedat; atque his quidem pro ratione scopi plus minusve temporis impendat.

§. XVII. Malè autem fit, si qui studiis istis neglectis, tamen ad Theologiæ sacra advolant, aut illis intemperantius addicti, ea, quæ ad scopum imprimis pertinent, justò diutius differunt aut negligentius tractant.

§. XVIII.

§. XVIII. Motiva rectè instruendi animum adminiculis istis, inprimis ex ipsa eorum habitudine ad functionem sacram, deinde etiam ex exemplis insignium Ecclesiæ doctorum, denique præclarâ horum studiorum dignitate & jucunditate, imò & damno alioquin expectando, nascuntur.

§. XIX. Media rectè in his versandi sunt I. Si Præceptoribus fidelibus & eruditis, ac dono docendi pollentibus diligenter adhæreat studiosus. II. Audita sedulò repetat & expendat. III. Exercitia privata pariter & publica frequentet. IV. Mensuram temporis studiis Academicis concessi ut & ingenii sui sedulò observet.

§. XX. Impedimenta sunt, si quis media prædicta negligat; & speciatim si αὐτοδίδακτος esse malit, quàm aliorum informatione uti, aut in delectu Præceptorum erret, aut contentus audiisse lectiones negligat privatæ repetitionis aut meditationis operam, vel etiam exercitia examinatoria & disputatoria, aut aliàs ad Exempla, quæ vulgò occurrunt, se imprudenter componat, aut denique scopi & ingenii sui atque occasionis minus observans sit.

§. XXI. Est autem Homini ad functionem sacram præparando præcipue necessarium, ut ipsam Theologiam revelatam, eamque non solùm Catecheticam, verùm etiam Positivam seu didacticam acroamaticam, itemque Exegeticam,

Homileticam, Moralem, & Historicam atque Polemicam diligenter tractet.

§. XXII. Peccant ergo, qui in his nihil aut parum versati, docendi tamen officium affectant; & vel solâ naturæ benignitate, aut unius alteriusve libri, imprimis Postillarum, qualicunque lectione & imitatione se satis aptos fieri posse putant.

§. XXIII. Motiva sectandorum illorum studiorum ex ipsis officii sacri partibus, ad quas studia illa requiruntur, itemque exemplis illustrium Ecclesiæ Doctorum, & damno ab imperitis hominibus Ecclesiæ illatô aut inferendo, adeòque & pœnâ ipsis expectandâ sufficienter peti possunt.

§. XXIV. Media sunt, præter generalia illa, quæ etiam in præliminaribus studiis secularibus, Philologicis & Philosophicis locum habent, & hîc denuò observanda sunt; imprimis, si cursus studiorum rectè dividatur, factoque initio à Compendio faciliore ac breviore, & conjuncta Scripturæ S. lectione cùm quotidianâ & prolixiore in lingva vernacula, tùm breviore sed accuratiore in ipsis fontibus & quoad dicta classica sæpius recurrentia, ita gradatim ad sublimiora & difficiliora fiat progressus.

§. XXV. Speciatim in accuratiori Theologiæ Positivæ tractatione attendendum est I. Ut loci cujusque partes præcipuæ, quæ summam rei continent, fideliter animo ferventur. II. Ut partis cujuslibet sensus genuinus solicitè investigetur & verborum ambiguitas evolvatur. III. Ut sen-

tentia

tentia rectè intellecta Scripturæ fundamentis sufficienter confirmetur, & imprimis ad sedem dogmatis in Scriptura S. occurrentem diligentissimè attendatur; itemque an verbis expressis, an per consequentiam, dogma, quod traditur, in Scripturis Sacris contentum sit, discernatur; atque adeò consequentiæ ad probandum dogma necessariæ, quàm fieri potest, manifestissimæ & certissimæ fiant. IV. Ut momentum & necessitas loci cujuslibet, adeoque habitudo ad finem Theologiæ diligenter consideretur.

§. XXVI. Ad Theologiam Exegeticam rectè & utiliter tractandam duo pertinent præcepta generalia: Alterum, ut verba & phrases singulæ in lingva Scripturæ primigenia, accuratè considerentur: Alterum, ut ad contextum integrum sedulò & attentè respiciatur, atque hinc imprimis mens seu intentio loquentis colligatur.

§. XXVII. Ad Theologiam Homileticam præcipue spectat: Ut sensus Scripturæ verus & genuinus perspicuô & ad audiendum svaviter accommodato sermone enuncietur; ac porrò eâdem ratione ad usum salutarem fidei & morum applicetur.

§. XXVIII. Ad rationem Theologiæ Polemicæ rectè tractandæ pertinet: Ut I. In quolibet loco Theologiæ Positivæ videatur, quænam sint, de quibus controverti solet, & quinam in quavis controversia sint adversarii. II. Historia certaminum evolvatur, & auctores, occasio

ac tempora exortæ cujuslibet controversiæ considerentur. III. Monumentum aut gravitas controversiæ expendatur, anne videlicet ipsum fundamentum fidei & salutis attingat, an salvô illo in utramque partem disputari possit; & prioris generis quæstiones præ reliquis accuratius tractentur. IV. In ipsâ quæstionum tractatione primò omnium status controversiæ rectè & distinctè formetur, remotis cùm ambiguitate vocum, tùm his, quæ utrinque conceduntur. V. Orthodoxa sententia cum argumentis, quibus nititur, firmis & solidis ex Theologia Positiva repetatur; eademque ab exceptionibus adversariorum liberentur. VI. Heterodoxa thesis adversariorum ex ipsorummet scriptis discatur & eorum, si forte inter se dissentiant, discrepantes opiniones distinctè tractentur. VII. Argumenta seu pro communi omnium, seu pro certa singulorum adversariorum sententia ab ipsis afferri solita, accuratè expendantur & solvantur; simul etiam exceptiones illorum ad has nostras responsiones refutentur.

§. XXIX. Theologiæ Historicæ accuratior tractatio requirit, partim ut in Auctorum delectu, partim ut in ipsâ lectione & hinc instituta alterius generis tractatione cum judicio versemur; atque illic quidem eos, qui magis fide digni sunt præ aliis suspectæ fidei Scriptoribus evolvamus; hîc verò rationem temporis & loci, non solùm quibus ipse Scriptor vixit, sed quatenus etiam ad

res

res ab ipso enarratas pertinent; imò & occasionem ac scopum scriptionis, nec minus genus vitæ, eruditionem & religionem auctoris, quantum fieri potest, accuratè observemus; ea, quæ legimus, referamus, alia quidem ad dogmatum orthodoxorum confirmationem, alia ad heterodoxorum rejectionem, alia ad morum formationem & emendationem, alia ad rituum Ecclesiasticorum institutionem & custodiam, alia ad gubernationem Ecclesiasticam; adeoque excerpamus & colligamus in subsidium memoriæ, quæ observata in auctoribus fuerunt.

§. XXX. Ad studium Theologiæ Moralis rectè tractandum requiritur, ut non solùm generalia præcepta morum Christianorum, quæque singulis statibus Hierarchicis peculiariter conveniunt; sed & quæstiones seu casus conscientiæ præcipuè occurrentes diligenter considerentur, atque ad hæc rectè cognoscenda atque definienda primùm quidem dicta Scripturæ, deinde constitutiones Ecclesiasticæ cùm generales, tùm uni aut paucis Ecclesiis certis propriæ, itemque responsa prudentum sedulò conferantur.

§. XXXI. De impedimentis autem, quæ homini ad perfectionem Theologicam tendenti objiciuntur, ex dictis facilè constare potest: nempe si vel tempus toti cursui studiorum destinatum minus rectè pro ratione scopi dividatur, aut ordo vel methodus decens tractandi singulas Theologiæ partes negligatur.

PARTIS SPECIALIS THEOLOGIÆ MORALIS

CAP. I.

SECTIO II.

De Ingressu Ministri Ecclesiæ ad officium Sacrum per Vocationem legitimam & connexa alia.

§. I.

HOmo Christianus, etiamsi aptum se ad Ministerium Ecclesiasticum deprehendat, non tamen nisi legitimè à DEO & pro statu hodierno quidem ab Ecclesia, aut his, in quos Ecclesia id muneris transtulit, vocatus, & de voluntate eorum, qui ipsius operam seu Ministerium expetunt, certior redditus, subire officium illud debet.

§. II. Peccant ergo, qui privato ausu, aut invitâ Ecclesia, vel uno saltem alterove ordine legitimas dissensus causas habente; aut ad majora, quàm quibus pares esse possunt; aut emtis per dona suffragiis; aut remotis per calumnias competentibus; aut aliis mediis illicitis, ad officium Ecclesiasticum accedunt.

§. III. Motiva officium Ecclesiasticum nonnisi mediante Vocatione legitima subeundi sunt I. Mandatum DEI. II. Exempla Christi & San-

Sanctorum. III. Utilitas cùm ex parte Ministri, tùm ex parte auditorum. IV. Damnum illegitimè ingredientibus officium ipsisque auditoribus metuendum.

§. IV. Media honesti ingressus ad officium Sacrum sunt imprimis pietas, humilitas & amor boni ordinis.

§. V. Impedimenta sunt præcipuè ambitio & avaritia.

§. VI. Homini ad officium Sacrum rectè accessuro incumbit, ante accessum specimen aptitudinis suæ, poscente Ecclesia, & quidem in examine instituto, aut colloquio erudito, itemque sermone Sacro publicè habendo, exhibere.

§. VII. Peccant ergo, qui invitâ Ecclesiâ examini, aut colloquio, aut concioni habendæ sese subducunt & nihilominus ad munus Ecclesiasticum accedunt.

§. VIII. Motiva speciminum illorum ingressui ad officium Sacrum præmittendorum sunt I. Mandatum DEI. II. Exempla veterum Ecclesiæ Ministrorum. III. Dignitas seu gravitas illius officii. IV. Utilitas cùm ex parte Ministri, tùm ex parte auditorum. V. Damnum utrinque metuendum, si ista omittantur.

§. IX. Media in his rectè versandi sunt, præter motivorum observationem, ex parte Ministri modestia & aptitudinis propriæ conscientia.

§. X. Impedimenta sunt, præter neglectum moti-

motivorum, personæ vocandæ ambitio, & ineptitudinis suæ conscientia.

§. XI. Factâ Vocatione positisque rectè speciminibus, Minister Ecclesiæ ritu ordinario ad functionem Sacram solenniter inaugurandus est, per preces & manuum impositionem à Ministris Ecclesiæ faciendam.

§. XII. Peccatur autem, quando ritus ordinationis temerè omittitur, aut varii superstitiosis ceremoniis corrumpitur.

§. XIII. Motiva ordinationis, eô, quô antè diximus, modô, peragendæ sunt I. Exempla Apostolorum. II. Quia hic ritus indicat Ministrum præsentem tanquàm solenni votô obligari coram DEO sub testimonio Ecclesiæ ad fidelem muneris administrationem. III. Quia hôc eodem ritu Minister DEO commendatur ad gratiosam in gravi munere adsistentiam. IV. Ut cœtus auditorum tantò magis intelligat, quinam sint, per quorum Ministerium DEUS efficax esse velit, quique adeò audiendi & sequendi sint.

§. XIV. Media & impedimenta præter observationem & neglectum motivorum non alia sunt, quàm quæ aliàs ad observationem rerum indifferentium in Ecclesia institutarum pertinent.

CAP.

Cap. I.

SECTIO III.

De Administratione ipsa officii Sacri seu Ecclesiastici.

SUB-SECTIO I.

De Prædicatione Verbi Divini.

§. I.

PRima ac præcipua pars Officii Ecclesiastici consistit in docendo seu prædicando Verbo DEI, quod potissimùm fit per conciones publicas ad populum habitas, ita, ut ex Revelatione divina seu Scriptura S. rectè explicatâ informentur auditores de his, quæ ad fidem & mores pertinent, atque adeò dogmata sincera doceantur ac confirmentur, errores oppositi refutentur, virtutum Christianarum singularum atque omnium studium inculcetur, peccatorum autem retractatio, fuga & detestatio excitetur: atque hæc quidem omnia fiant pro statu & exigentia auditorum.

§. II. Peccatur à Ministro, si à sacris sermonibus sæpius & sine causa satis gravi se subducat, aut ad habendas non eam, quæ decet, afferat diligentiam, aut magis ad captandam gratiam auditorum, aut explendos alios inordinatos affectus

ctus loquatur; aut aliàs refutationes errantium, & correctiones peccatorum imprudentius adhibeat.

§. III. Motiva diligenter & accuratè fungendi officio docendi sunt I. Mandatum Dei. II. Exempla Christi & Sanctorum. III. Quod hæc pars præcipua est totius functionis sacræ, quodque Dei nomine loquendum est ad populum. IV. Præmia fidelibus Doctoribus, & V. Pœnæ peccantibus destinatæ.

§. IV. Media sunt præter motivorum observationem animus ipse pius atque eruditus, patiens laboris, modestus, mansvetus & αὐτάρκης.

§. V. Impedimenta sunt vitia, illis, quæ mediorum rationem habent, opposita.

Cap. I.

SECTIO III.

SUB-SECTIO II.

De

Administratione Sacramentorum.

§. I.

ALtera pars officii Ministrorum Ecclesiæ consistit in administratione Sacramentorum, Baptismi & S. Cœnæ.

§. II. Quoad administrationem Baptismi observandum est Ministro, ut homines, adultos qui-

quidem, in doctrina Christiana jam informatos, infantes verò postquàm perfectè sunt in lucem editi, & de quibus spes est, permansuros in Religione Christiana & Orthodoxa, aquâ verâ & naturali abluat in nomine Patris, Filii & Spiritus S. ad remissionem peccatorum & vitæ æternæ consecutionem; atque ut non solùm ipse attentè ac devotè hæc peragat, verùm etiam curet, ut adstantes similiter pios ac devotos se exhibeant, & ut maturetur Baptismus infantum.

§. III. Peccatur autem, si vel adulti nondum informati, vel infantes infidelium per vim iniquam ablati, vel quos jam baptizatos esse constat, vel fœtus ab humanâ specie alieni, vel res inanimatæ baptizantur: vel quando Baptismus non fit aquâ naturali, sed liquore aut re qualibet aliâ adhibitâ; aut non fit in nomine Patris, Filii & Spiritus S. aut non fit attentè ac devotè ad finem salutarem; aut temerè differtur.

§. IV. Motiva Baptismi eâ, quâ ante dictum est, ratione peragendi sunt I. Institutio divina. II. Exempla Sanctorum. III. Præmia Ministris rectè agentibus, & IV. Pœnæ peccantibus paratæ.

§. V. Media sunt partim peritia eorum, quæ ad rectam Baptismi administrationem pertinent, quâ intellectus aptus redditur, ad præscribendum, quid hîc & nunc agendum aut non agendum sit; partim animus Deum sincerè timens & muneris explendi cupidus; unde inclinatur Mi-

Minister ad exequenda ea, quæ etiam cum molestia multiplici conjunguntur & quæ intellectus rectè informatus dictitat, & omittenda, quæ ille illicita indicat.

§. VI. Impedimenta sunt partim imperitia aut muneris negligentia, per quam fit, ut Minister, etsi non malò planè animò, graviter tamen peccet; partim animus mundo magis, quàm Deo deditus; ex quo sæpe fit, ut in gratiam hominum, aut ad vitanda odia, aut ad lucrum captandum, seu committantur, seu omittantur in administratione Baptismi, quæ secus fieri debebant.

§. VII. Quoad Sacræ Cœnæ administrationem observandum est Ministro Ecclesiæ, ut verum & naturalem panem, itemque vinum verum & naturale, factâ benedictione & consecratione per preces, verbis institutionis recitatis, hominibus, qui se probare possunt & digni habiti sunt, manducandum ac bibendum dispenset, ad confirmationem fidei & remissionis peccatorum, & ut omnia hæc fiant devotè, atque illi quidem, qui desiderant frui hoc Sacramento, seque dignos exhibuerunt, maturè illo potiri possint.

§. VIII. Peccat autem Minister, si vel symbola Sacramentalia vel verba institutionis mutet, aut alterutrum tantùm ex symbolis consecrandis aut consecratis dispenset, aut dispensationem omittens ex Sacramento Sacrificium faciat; aut infan-

infantes, vel adultos indignos admittat; aut minus attentus ac devotus sit in administratione Sacramenti; aut ab aliis profanari illud patiatur, aut desiderantes dignos diutius moretur.

§. IX. Motivæ, media & impedimenta coincidunt cum his, quæ suprà circa officium administrandi Baptismum diximus.

CAP. I.

SECTIO III.

SUB-SECTIO III.

De Officio Ministri Ecclesiæ, quoad potestatem clavium, seu remittendi & retinendi peccata.

§. I.

CUm certum sit, Christum contulisse Ministris potestatem non tantùm docendi Verbum & administrandi Sacramenta, sed etiam remittendi & retinendi peccata, Ministrorum est attendere, ut potestate hac rectè utantur & remissionem peccatorum promtè annuncient illis, qui veræ contritionis ac fidei signa ediderunt, ac si forte per crimina manifesta Ecclesiam ante offenderint, cum ea per deprecationem iterum in gratiam redierunt: contra autem denegent annunciationem remissionis peccatorum ac potius iram Dei annuncient

his, qui vera contritione & fide destituti; & inprimis, qui enormibus peccatis in Deum & Ecclesiam commissis, maculati sunt, neque peccata per pœnitentiam eluerunt. Et quia in Ecclesiis nostris salutari consiliô ritus privatæ confessionis singulorum ad Sacram Cœnam accessurorum & absolutionis privatæ à Ministro impertiendæ obtinet; est Ministri, non solùm attentè audire confessiones, sed & admonitiones & absolutionem ad statum confitentis accommodare: licet ipse Minister omnium ac singulorum peccatorum occultorum etiam confessionem præscribere aut exigere non possit. Quodsi tamen peccata aliqua à confitente sponte enarrentur; in silentio servari à ministro debent. Ad denegationem verò absolutionis & præsertim ad excommunicationem, quam vocant, majorem, certæ personæ infligendam, non ab uno & solo Ministro, sed consentiente Ecclesia accedendum est.

§. II. Speciatim igitur h. l. observandum est, etsi quoad remissionem divino nomine impertiendam aut denegandam, par sit auctoritas omnium Ministrorum, eadem etiam Verbi efficacia; quando tamen non solùm in DEVM, verùm etiam in Ecclesiam per dissemination dogmatum hæreticorum, aut delicta notoria peccatum est, & propterea peccator ab usu Sacramenti Eucharistiæ tanquàm manifestè indignus arceri, vel etiam tanquàm desperatæ malitiæ homo à

mo à societate Ecclesiastica planè abscindi debet, Ministrum ex præscitu & consensu Ecclesiæ hîc rem agere debere, ut causæ cognitio rectè & sufficienter instituatur & causâ cognita publico nomine sententia feratur, adeoque facilius seu resipiscentia peccatoris, seu ipsius Ecclesiæ tranquillitas aut dignitas obtineatur.

§. III. Pugnat autem cum officio hoc Ministrorum Ecclesiæ, si vel pœnitentibus & signa fidei edentibus, absolutionem denegent, vel cùm audienda est confessio & impertienda absolutio, velut aliud agendo & frigidè rem tractent; vel impœnitentes & qui publicè scandalosi sunt, non reconciliatos cum Ecclesia per pœnitentiam publicam, absolvant; vel, quando singulorum peccatorum, etsi occultorum, enumerationem urgent; vel peccata à confitente indicata temerè effutiant; vel denique ad excommunicationem violato decente ordine seu processu accedant.

§. IV. Motiva rectius administrandi hujus officii sunt I. Mandatum divinum, cùm generale tùm speciale, ad hanc partem muneris sacri pertinens. II. Exempla Sanctorum. III. Dignitas gravitasque specialis hujus functionis. IV. Præmia bene agentibus & pœnæ peccantibus destinatæ.

§. V. Media & impedimenta hîc eadem sunt, quæ in cœteris Ministri partibus aut functionibus

Cap. I.

SECTIO III.

SUB-SECTIO IV.

De

Officio Ministri Ecclesiæ circa adiaphora.

§. I.

Sicut in Ecclesia Christiana præter ea, quæ Lege divina & naturali determinata sunt, alia etiam boni ordinis & excitandæ aut conservandæ devotionis gratia fieri possunt & solent; ita Ministrorum Ecclesiæ, est ea, quæ hactenus seu passim seu in sua saltem Ecclesia prudenter atque utiliter recepta fuerunt, custodire & commendare auditoribus, ne temerè contemnantur; ea etiam, quæ cum actibus Ministerialibus conjungi solent, justô tempore, locô & modo exercere; monere autem simul auditores, ne indifferentia ista cum his, quæ per se ad cultum DEI pertinent, confundant, aut meritoria esse putent; denique nihil sive novi introducere, sive de antiquis abrogare aut mutare, nisi gravi de causa & maturô consiliô, imò ex decreto totius Ecclesiæ, seu eorum saltem, quibus competunt jura Episcopalia.

§. II. Peccant ergo Ministri, qui vel in genere contemnunt ritus sacros, vel in custodiendis receptis negligentiores, vel in mutandis audaciores

ciores sunt, vel in gratiam adversariorum intempestivè cedunt.

§. III. Motiva officii illius rectè observandi sunt I. Mandatum divinum generale. II. Exempla Sanctorum. III. Quòd ceremoniæ nonnunquàm fiunt notæ professionis fidei. IV. Quod populus facilè scandalizatur, si ea, quæ in sensus incurrunt, minus prudenter aut moderatè tractentur.

§. IV. Media sunt peritia eorum, quæ ad naturam adiaphororum pertinent, & ut Minister tunc statim, cùm accessurus est ad officium in certa Ecclesia obeundum, ea, quæ illis recepta sunt vel non sunt, discat; partim moderatio & constantia animi, inter audaciam & levitatem, & inter pusillanimitatem seu timiditatem decenter se continens.

§. V. Impedimenta sunt, opposita ruditas mentis & vitia morum.

Cap. I.

SECTIO III.

SUB-SECTIO V.

De

Officio Ministri Ecclesiæ circa præmia & onera.

§. I.

CErtum est, Ministrum Ecclesiæ pro laboribus, quos Ecclesiæ præstat, posse accipere

præmia : sed ut omnia rectè fiant, opera danda est, ut non solùm sui quoad necessaria, sed & Ecclesiæ suæ, itemque Antecessorum in officio & Successorum rationem habeat, atque imprimis se contentum mediocribus exhibeat ; immunitatem verò neque absolutam ab omni onere quærat, & præsenti moderate utatur.

§. II. Peccant ergo, qui vel, ubi non decet, præmia accipiunt, vel in his accipiendis aut custodiendis, quæ debentur, cum damno successorum vel ipsius Ecclesiæ negligentiores sunt ; vel immunitatem omnimodam affectant, vel eâ, quæ conceditur, abutuntur.

§. III. Motiva hujus officii sunt partim communia, quæ ad legitimum & christianum usum humanarum opum pertinent, partim Ministro propria, quæ consistunt in mandato divino, exemplis Sanctorum & fructu atque pœnis, ex quibus ille rectè agentes, hæ peccantes sequuntur.

§. IV. Media sunt partim ἀπαρχαὶ in prima statim juventute exculta, & fiducia in Deo potius quàm mediis humanis collocata ; partim prudentia, quæ inter publica & privata distingvere, & sibi non solùm, verùm & aliis prospicere novit.

§. V. Impedimenta sunt avaritia, diffidentia, itemque prodigalitas & publicorum bonorum neglectus.

Cap. I.

SECTIO IV.

De Discessu Ministri ab Officio Ecclesiastico.

§. I.

QVi semel ad officium Ecclesiasticum vocatus fungi eo cœpit, constans in illo permanere, nec, nisi gravissimâ de causa, deponere illud debet: imò etiam ab illa particulari Ecclesia, cui operam suam addixit, discedere non debet, nisi DEO & Ecclesiæ Christi alibi sese cum majori utilitate ad Ecclesiam rediturâ servire posse intellexerit, aut prioris Ecclesiæ is status sit, ut ea ipso non adeò difficulter carere possit, & abeuntem non ægrè dimittat: denique etiam, si, persecutione personam Ministri premente, ipse suo discessu sibi ita consulere possit, ut nihilominus Ecclesia relicta non planè deseratur, sed loco abscedentis alios, qui suam operam præstent, invenire possit. Interim cavere etiam debet Minister, ne suis delictis sibi attrahat remotionem aut translocationem; & si forte innocens, alienâ culpâ aut vi removeatur, danda ei est opera, ut innocentiæ testimonium, quoad ejus fieri potest, auferat, ne tanquàm indignus etiam alibi excludatur.

§. II. Peccatur autem, quando honoris tantùm

tùm aut lucri majoris gratiâ officium Ecclesiasticum planè deponitur, vel promotiones ad loca alia cupidè quæruntur: item, quando ex impatientia laborum aut molestiarum cum administratione officii conjunctarum, mutatio quæritur aut initur: imprimis etiam, quando Ecclesia in periculo seductionis aut persecutionis deseritur, aut delictis perpetratis translocationi aut remotioni causa præbetur.

§. III. Motiva cavendi omnis illegitimi discessus sunt I. Mandatum DEI. II. Exempla piorum. III. Pœnæ peccantibus destinatæ & IV. Præmia rectè agentibus proposita.

§. IV. Media in his rectè versandi, præter pietatem, humilitatem & ἀυτάρκειαν, sunt imprimis virium suarum accurata exploratio & status Ecclesiæ, cui quis addictus aut operam suam addicturus est, diligens consideratio, denique patientia.

§. V. Impedimenta sunt, præter contemtum Dei & Sacrorum, imprimis ambitio, avaritia, mollities animi, & in actionibus & electione in casibus dubiis temeritas aut negligentia.

Cap. I.

SECTIO V.

De Officio Auditorum erga Ministros Ecclesiæ.

§. I.

Officium auditorum erga Ministros Ecclesiæ in eô

in eô consistit, ut illis amorem & honorem, eorumque signa seu actus externos, obsequium item & gratitudinem exhibeant.

§. II. Peccant igitur, qui Ministros odio prosequuntur, vel saltem non sincerè amant; item qui honorem debitum ejusque signa denegant, aut loco honoris contumelias inferunt; item qui monitis & jussis sanctis & salutaribus vel directè reluctantur, vel saltem non sincerè & constanter obediunt; denique qui salaria seu ex toto seu ex parte denegant, aut aliàs tenaciores sunt, quàm ut sese liberales Ministris exhibeant.

§. III. Motiva veri officii Auditorum sunt I. Mandatum DEI. II. Exempla Sanctorum. III. Dignitas, salubritas & necessitas officii. IV. Rectè agentium præmia, & V. Peccantium pœnæ.

§. IV. Media sunt motivorum diligens consideratio, animusque DEO sincerè addictus, & bonis temporalibus tanquàm instrumentis exercendarum virtutum Christianarum utens.

§. V. Impedimenta sunt, quæcunque his, quæ mediorum rationem habent, opponuntur.

CAP. I.

SECTIO VI.

De

Officio Præceptorum in Scholis & Academiis.

§. I.

PRæceptorum in Scholis & Academiis offi-

cium est, ut ingenii, judicii & memoriæ dotibus, ac speciatim earum artium ac scientiarum peritiâ, in quibus alios erudire debent, instructi accedant; deinde fidei suæ commissos, habitâ ratione scopi, quem intendunt, itemque indolis ingeniorum, diligenter, perspicuè, accuratè, & quantum fieri potest, breviter, atque adeò fideliter & humaniter informent; exercitia erudita instituant ac frequentent; mores etiam auditorum ad omnem pietatem & honestatem, præceptis partim, partim exemplis, non alienis solùm, sed & propriis, quantum in se est, formare nitantur; delinquentes seu verbis seu pœnis gravioribus coërceant; cœterùm cum Collegis, si quos habent, concorditer vivant, & operas operibus jungant, seque invicem sublevent; denique in omnibus his Deum pro felici successu ardenter invocent.

§. II. Multis itaque modis hîc ex adverso peccatur; nempe, si qui, vel naturâ inepti, vel ad officium docendi seu in universum, seu quoad eam, quam tractaturi sunt disciplinam, non rectè instructi & præparati, tamen Præceptores fieri audent; item si discrimen ingeniorum & scopos discentium diversos negligunt; si in officio pigri, in docendo obscuri, confusi, aut ultra modum prolixi; similiter si infidi, morosi & difficiles sunt; aut nimiâ familiaritate sese contemtui discentium exponunt; si ipsimet loqui aut prælegere contenti, exercitia necessaria non instituu-

stituunt, aut velut obiter & animo alieno tractant; si, cùm eruditos reddere velint, mores corrumpi patiuntur, aut corrumpunt ipsi; si nimis lenes atque ad peccata etiam graviora intempestivè conniventes, non coërcent & emendant, ubi opus erat; denique si cum Collegis rixantes aut honori eorum detrahentes, aut vicariam, ubi opus est, operam denegantes, bonum publicum impediunt; inprimis etiam si precum obliti felicem successum seu à suis unicè viribus & prudentia aut doctrina, seu à fortuna temerè expectant.

§. III. Motiva eorum, quæ ad officii docendi rectam administrationem pertinent, sunt I. Mandatum DEI. II. Exempla Sanctorum. III. Muneris Doctorum dignitas & gravitas. IV. Præmia rectè agentibus promissa & conferri solita. V. Pœnæ peccantibus metuendæ.

§. IV. Media sunt frequens & seria consideratio motivorum, pietas item & sincera cùm erga Ecclesiam & Rempublicam, tùm erga ipsam juventutem, caritas, patientia laboris & cum labore conjuncta solicitudo, denique ἀυτάρκεια.

§. V. Impedimenta sunt motivorum neglectus, animus à pietate & sincera charitate alienus, laboris & curarum impatientia, opum etiam aut honoris inordinata cupido.

CAP.

Cap. I.

SECTIO VII.

De

Officio Auditorum in Scholis & Academiis.

§. I.

Discipulorum est, amare & honorare Præceptores; doctrinam & monita eorum promtè & obsequiosè admittere, nec solùm horas congressibus Scholasticis destinatas, sed & alias, quæ conceduntur, pro virium ratione studiis diligenter impendere, audita repetere & meditando ruminari, ingenii memoriæ & judicii sui, quin & scopi sui solicitam rationem habere & sicut nihil invitâ naturâ agere, ita defectus naturæ supplere, atque ibi, ubi maximè opus est, ei succurrere aut excolere eam; exercitia non tantùm publica sed & privata frequentare & colere, commilitonum alacritatem & virtutes honestè æmulari; consortia inertium & malorum vitare: operam Præceptorum pro facultatibus remunerari; denique ad omnia hæc preces ad Deum & gratiarum actiones devotè adjungere.

§. II. Peccatur itaque, si Præceptores non sincerè amentur, vel honor debitus aut obsequium eis denegetur, vel aperta inferatur calumnia vel contumelia; item si negligantur horæ studiis impendendæ, & vel nihil, vel aliud agatur,

tur, vel non absolvantur, quæ incepta sunt, non repetantur, quæ audita sunt, aut sufficere videatur, quædam calamo conscripsisse; similiter si intemperantia in studiis locum habeat; si non habeatur accurata ratio aptitudinis naturalis quoad ingenium, memoriam & judicium; si scopus aut nullus certò proponatur, aut ad scopum non dirigantur studia; si exercitia non amentur aut sæpe fiant; si pravorum aut de pravitate suspectorum societas colatur; si Præceptoribus denegentur, quæ gratitudo postulat, præcipuè, quæ vi certi contractus præstari debebant; denique si sine precibus & gratiarum actione ad Deum studia tractentur.

§. III. Motiva sunt I. Mandatum Dei. II. Exemplum Christi & Sanctorum. III. Studiorum dignitas & gravitas. IV. Præmia bene agentibus expectanda. V. Pœnæ peccantibus destinatæ.

§. IV. Media sunt motivorum & singularum partium officii diligens consideratio, animus DEO deditus & modesta de se & perfectione sua æstimatio, denique in actionibus quibusvis prudens solicitudo.

§. V. Impedimenta sunt neglectus motivorum ac mediorum, & præterea voluptatum, quæ sensus afficiunt, appetitus inordinatus, levitas animi & negotiorum, denique Φιλαυτία.

CAP.

Cap. I.

SECTIO VIII.

De

Officio Episcoporum, quatenus peculiari, Ecclesiastico scilicet sensu, ita dicuntur.

§. I.

QVanquàm olim, & juxta ipsius Scripturæ stylum, nomen Episcopi Pastorem aut Ministrum Ecclesiæ quemlibet denotaverit; sicuti tamen successu temporis distingvi gradus & officia ad Ecclesiam pertinentia cœperunt: sic factum denique est, ut Episcopi speciatim dicerentur, quibus præter officium docendi Verbum & administrandi Sacramenta, ligandi & solvendi, Ministros ordinandi & investiendi, hoc est, ritu certo introducendi in Ecclesiam, loca sacra & religiosa erigendi & ædificandi; competit etiam potestas, leges Ecclesiasticas ferendi, administrandi & gubernandi res & bona Ecclesiæ mobilia atque immobilia; Domuum religiosarum, quà disciplinam pariter & administrationem; inspectio & provisio; decimarum receptio & distributio; visitatio, sumtuumque ad eam collectio; item potestas cognoscendi & decidendi causas Clericorum omnes, & secularium spirituales; per totam diœcesin pœnas tam Canonicas, quàm Seculares dictitandi; speciatim Cleri-

eos

cos ab officio & dignitate suspendendi, deponendi & restituendi; in gradibus consangvinitatis & affinitatis, circa matrimoniorum contractus, jure Ecclesiastico solo prohibitis, aliisque, quæ lege Ecclesiastica determinata sunt, dispensandi; denique ipsis competunt tituli, privilegia, immunitates & securitates Episcopales, prærogativæ, gradus & præcedentia &c.

§. II. Postquàm igitur factâ Religionis reformatione, jura Episcopalia Principibus & statibus Evangelicis sunt restituta, exercitium eorum ita temperatum est, ut aliqua, nempe prædicatio Verbi & Sacramentorum administratio, absolutio item & ligatio peccatorum, examen Candidatorum Ministerii & vocatorum ordinatio &c. Ministris Ecclesiæ relinquerentur; alia verò per Consistoria & Superintendentes peragi juberentur & peragerentur v. gr. visitationes Ecclesiarum, causarum Ecclesiasticarum &, quæ hûc pertinent, matrimonialium dijudicatio, rationes fisci Ecclesiæ &c. quædam denique ipsi Magistratus sibi solis immediatè reservarent v. g. promulgationem constitutionum Ecclesiasticarum, convocationem Synodorum, causarum Academicarum dijudicationem, vocationem Superintendentium &c.

§. III. Quemadmodum autem jam facilè patet, quomodo, cùm jura Episcopalia Magistratui civili competunt & ab eo sunt exercenda, officii ejus sit, Ecclesiæ totius &, quæ ad illam quo-

quo

quo modo pertinent, omnium, curam habere, simul tamen abstinere ab exercendis his, quæ Ministris Ecclesiæ sunt propria, cavere etiam, ne in causis Ecclesiasticis pro lubitu statuatur, sed ut adhibitô Theologorum consiliô & juxta auctoritatem Scripturæ omnia fiant: ita speciatim ad officium talium Episcoporum pertinet, ut inferioribus Antistitibus Ecclesiæ integra relinquant, quæ ex consvetudine, præscriptione, privilegio, pactis, transactione &c. acquisiverunt: porrò, ut in Ecclesia semper sint Ministri idonei, orthodoxi & vitâ probi; item ut bona Ecclesiastica conserventur & augeantur; ut corruptelæ doctrinæ arceantur aut eliminentur; ut Scholæ & Academiæ floreant; denique ut populus omnis non solùm in fide & pietate maneat, verùm etiam in scientia fidei & virtutibus quibuslibet Christianis incrementum capiat, Episcopis curandum est.

§. IV. Ergo ex adverso peccatur, quando, qui jura Episcopalia habent Magistratus Politici, ea, quæ Ministris propia sunt, ipsi exercent, aut tanquàm suæ potestati plenè subjecta pro arbitrio determinant, neglectô Theologorum consiliô aut normâ Scripturarum; nec minus si aliorum hominum tantùm ductu cœco se regi patiuntur, neque eorum, quæ fieri vel non fieri debent, ipsi accuratam rationem habent; speciatim, quando jura Patronorum violant, aut consvetudines rationabiles temerè pervertunt; quando Ministros

stros minus idoneos aut vitæ improbitate maculatos, præsertim prædicente Clero aut populo, constituunt, constitutos seu falsa dogmata proponere, seu vitæ licentia populum scandalizare, impunè permittunt; quando bona Ecclesiastica vel minuunt ipsi, vel minui ab aliis, cum impedire possent, patiuntur; aut modis illegitimis eadem augeri volunt; item, quando Scholas & Academias non conservant aut perficiunt, quantum in ipsis est; neque damna, quæ vel ipsorum docentium vel discentium, vel civium aliorum, vel etiam exterorum malevolorum culpâ inferri possunt & solent, solicitè præcavent, aut maturè avertunt & corrigunt; denique quando populum in doctrinâ rudem, in devotione frigidum, in cœteris vitæ actionibus securum, dissolutum aut improbum esse patiuntur.

§. V. Motiva explendi muneris Episcopalis sunt I. Mandatum Dei. II. Exempla piorum Regum in V. T. & Imperatorum ac Principum in N. T. III. Ipsius muneris Episcopalis dignitas insignis, & reddendæ de eo rationis gravitas. IV. Præmia his, qui rectè agunt, speranda, totiusque Ecclesiæ ac Reipublicæ utilitas. V. Mala maxima, cùm ipsis peccantibus metuenda, tùm in totam Ecclesiam ac Rempublicam redundantia.

§. VI. Media h. l. sunt motivorum & præcipuè exemplorum ad regulas suas rectè conformatorum, quin & eorum, quæ à norma aberrant, diligens & quoad singulas circumstantias accura-

ta consideratio, ac eventuum hîc atque illic secutorum investigatio; simul verò etiam animus Deo deditus bonique publici & laboris amans, molestias autem & pericula masculè vincens.

§. VII. Impedimenta sunt motivorum neglectus & falsa persvasio de negotiorum Ecclesiasticorum facilitate, imprimis improba statûs ratio, rerum terrenarum amor & nimia credulitas.

Cap. I.
SECTIO IX.
De
Officio Patronorum certarum Ecclesiarum.

§. I.

CUm jam olim fieri consveverit, ut partim ad dissidia, quæ in Vocatione Ministrorum occurrere solent, tollenda aut excludenda, partim etiam gratitudinis referendæ causa, his, qui vel fundarunt certas Ecclesias, vel de suis sumtibus templa ædificarunt, vel legationes testamentarias in Ecclesiam contulerunt, ut Ministri Ecclesiæ hinc salaria accipere possent, eorumque hæredibus aut successoribus tota Ecclesia tribueret jus nominandi personas ad Ministerium vacans vocandas & Episcopis præsentandas, iidemque Patroni Ecclesiæ propter illa in Ecclesiam collata beneficia dicerentur; jam facile pa-

tet,

tet, præcipuum illorum munus esse, ut in Vocatione Ministrorum deligant personas ad officium aptas & Ecclesiæ utiles inventas, & ut hoc suo jure contenti Episcopalia jura eaque majora integra relinquant, reliquos etiam Ecclesiæ status eorumque monita prudentia & salutaria, quoties res fert atque opus est, audiant, cæterùm Ecclesiam ipsam, quantum in se est, defendant, & prospiciant, ne bona Ecclesiastica dilapidentur, &, si bona, quæ hactenus adfuerunt, non sufficiant, porro suppeditentur, quibus suppleatur defectus.

§. II. Itaque peccant Patroni, qui vel in vocandis Ministris, quasi pro imperio, neglectis monitis Cleri aut populi, rem agunt; aut conditiones difficiliores & incongruas involvunt; aut denique bona Ecclesiastica attenuari vel perire patiuntur.

§. III. Motiva officii Patronorum rectè gerendi sunt I. Mandatum DEI generale, quod quemque obligat, ut in Vocatione sua maneat. II. Exempla aliorum piorum & prudentum, qualia inprimis in sermonibus Parentalibus eorum, qui Patroni certarum Ecclesiarum fuerunt, legi possunt. III. Ipsius officii dignitas atque honor, quem tota Ecclesia Patronis exhibet. IV. Ejusdem utilitas, cùm in casu necessitatis extremæ Ecclesia Patronum egentem alere teneatur, si possit: cæterùm DEI gratia & remuneratio largissima, sicut quibuslibet, in Ecclesiam libera-

ralibus, ita & hic rectè agentibus expectanda. V. Mala ex adverso metuenda, si quid peccatum fuerit, non solùm quòd jus Patronatus perdi potest ac pœnæ aliæ ab Episcopo infligi ; sed imprimis quòd ira DEI ex scandalis aut malis Ecclesiæ datis contrahitur.

§. IV. Media ejusdem muneris recte exercendi sunt observatio motivorum, pietas sincera, in negotiis adhiberi solita prudentia, & sua sorte contentus animus.

§. V. Impedimenta verò sunt neglectus motivorum inque religionis studio tepor, ruditas etiam, & sententiæ animo conceptæ pertinacia denique immoderatus opum amor & fastus seu ambitio.

Cap. I.

SECTIO X.

De Officio Consistorialium.

§. I.

Qui judicia Ecclesiastica, quæ Consistoria vulgò dicuntur, constituunt, Præses & Assessores, attendere debent, ut causas Ecclesiasticas tractent, habitâ diligenti circumstantiarum rarione, & ut ad normam Verbi divini librorumque Symbolicorum & constitutionum Ecclesiasticarum omnia referantur, & sic deinde secundum conscientiam vota liberè ac modeste con-

conferantur, sententia legitimè publicetur & executio decens sequatur.

§. II. E contrario malè fit, si Consistoriales, præter causas Ecclesiasticas, etiam eas, quæ alterius fori sunt, sibi arrogent, aut quas tractandas habent, veluti otiosè ac securè & superficiariè tractent, ac circumstantias ita, ut decet, non investigent: item, quando neglectâ Verbi divini, librorum Symbolicorum & constitutionum Ecclesiasticarum normâ, pro suo ingenio atque arbitrio causas definiunt, vel contra conscientiam, seu metu Collegarum, seu aliorum, & ob periculum amittendi honoris aut opum, vel cupidine majoris honoris ac divitiarum, aut in gratiam aliorum per adulationem vota ferunt: porrò quando Collegarum libertatem suâ morositate aut minis impediunt, vel adhibitis fraudibus eos decipiunt, & in suas partes trahunt; denique quando immodestius contendendo & rixando consilia turbantur, expeditiones impediuntur, vel sententia rectè & prudenter lata ita, ut decet, non promulgatur, aut executio, quæ fieri debebat, omittitur vel impeditur.

§. III. Motiva eadem ferè sunt, quæ suprà circa officia Episcoporum vidimus, quæque aliàs generatim ad judicia rectè exercenda & negotia Ecclesiastica tractanda pertinent:

§. IV. Media sunt diligens observatio motivorum eaque cumprimis in ipso exercitio muneris Consistorialis; simul etiam peritia rerum gerendarum ante accessum ad hoc munus acquisi-

ta, adeoque non solùm unius alteriusve partis studii Theologici, sed totius cognitio accuratior; item animus DEO deditus & qui res terrenas contemnere potest.

§. V. Impedimenta sunt neglectus motivorum, ignorantia rerum gerendarum & hinc nascens temeritas, animus pietatis ardore carens, amor honorum, opum aliarumque hujusmodi rerum, item animus meticulosus aut inconstans.

PARTIS SPECIALIS
CAP. II.
De
STATU POLITICO ET OFFICIIS HOMINUM AD ILLUM PERTINENTIUM.
SECTIO I.
De
Recta præparatione ad munus Magistratus civilis, præsertim gravioris, dignè & utiliter observandum.

CErtum est, auctô & in multas societates divisô genere humanô, non tantùm rectam rationem svadere; sed etiam DEum ipsum in Scriptura S. voluntatem suam revelasse, ut sit ordo imperantium & parentium, & quidem inter eos etiam, qui Christiani dicuntur.

§. II. Ut

§. II. Ut autem munus Magistratus Politici rectè ineatur, imprimis opus est, ut, qui aliquando ad id accessuri aut admovendi sunt, pietati studeant, simul etiam justitiam, clementiam, humanitatem, cum gravitate quidem conjunctam, & prudentiam: liberalitatem, fortitudinem, temporantiam, crebris in quolibet genere exercitiis; familiares sibi reddant.

§. III. Itaque malè fit, si, qui ad Magistratus officium adspirant, atheismo aut superstitione corrumpi se patiantur, vel saltem segniores aut frigidiores sint in studio Religionis; aut in actionibus externis levitate, aut injustitiâ, aut superbiâ, aut pusillanimitate, item avaritiâ aut prodigalitate, timiditate vel audaciâ, vel intemperantiâ sese polluant, denique si solidioris prudentiæ defectu laborent.

§. IV. Motiva virtutum illarum sectandarum h. l. notamus I. Mandatum DEI. II. Exempla laudabilia aliorum. III. Ipsam functionis rationem, quæ in talibus personis magis conspicua est. quàm in aliis. IV. Utilitatem, quæ in ipsa administratione officii sese exerit, & V. Damnum in casu oppositio haud dubiè expectandum.

§. V. Media sunt præcipuè motivorum attenta & quotidiana consideratio; conversatio cum his, qui in quavis virtute excellunt, qui liberius monent & corrigunt, qui ipsi rerum gerendarum periti ac prudentes sunt; & actionum quarumvis, quasi in conspectu omnium peragen-

darum accurata institutio; speciatim etiam cura singularis in cognoscendo statu ejus cœtus, ad cujus regimen accedendum est, occupata.

§. VI. Et adverso impediunt rectam præparationem neglectus motivorum, imperandi libido, conversatio cum hominibus malis, vel adulatoribus, simulacrum prudentiæ potius, quàm solidam prudentiam possidentibus; item negotiorum eorum, quæ privatum magis decent, quàm eum, qui ad publicum destinatus, exercitium; deniq;, quando in generalibus imperii administrandi præceptis, aut quæ ad aliam peregrinam Rempublicam ejusque formam pertinent, perlustrandis & discendis ita versatur industria, ut, quæ domestica sunt, aut ejus cœtûs, qui regendus est, negligantur.

Cap. II.

SECTIO II.

De Recto ingressu ad officium Magistratus.

§. I.

Cùm certum sit, quotquot Magistratus officio functuri sunt, divina vocatione niti debere; hodiè verò non amplius Deus immediatè vocet, aut constituat Magistratus, supersunt tres modi legitimè perveniendi ad Magistratum I. Electio. II. Successio. III Justa occupatio.

§. II. In

§. II. In hac autem triplici via attendendum est, ut omnia piè & honestè fiant, speciatim ut, ubi Electio obtinet, eligentibus sua libertas relinquatur, atque eorum prudenti & incorrupto judicio stetur; in Successione serventur ea, quæ hactenus in Republica valuerunt, jura vel consvetudines, quæque rationabiliter & cum salute Reipublicæ retineri possunt, adeoque non, nisi in casu eo, ubi seu proximus gradus consanguinitatis vel affinitatis, seu expressa pacti vel testamenti justi ac validi ratio imperium defert, accipiatur imperium; denique ut in occupatione Regni ea, quæ ad bellum justum pertinent, accuratè observentur & cum devictis sic agatur, ut magis cum gaudio & libenter excipiant novum Dominum, quàm tristes, gementes & inviti.

§. III. Contra malè pervenitur ad imperium, si eorum, qui eligere possunt, libertas per vim ac minas infringatur, aut judicium per munera vel blanditias aut promissiones corrumpatur; item, si succedere velit, qui proximus in ordine non est, & legitimis successoribus præripiat imperium, aut pacta vel transactiones fraudulenter invertat, vel honestè inita violet; denique, si occupatio violenta potius fuerit, seu per bellum apertum injustè illatum, seu per invasionem fraudulentam & locorum munitorum occupationem callidam, quâ factâ subditi, cùm resistere non possint, subjicere se teneantur.

§. IV. Motiva ingressus legitimi ad Magi-

ſtratum ſunt] Mandatum DEI. II. Exempla piorum veterum. III. Rectè ingredientium felicitas. IV. Malè accedentium pœnæ.

§. V. Media, præter motivorum obſervationem diligentem, ſunt imprimis animus ſua ſorte contentus & ſublimiorum minus appetens, itemq; in conſiderandâ difficultate imperandi ſedulò verſatus; denique eorum, quæ hactenus in Republica vi antiquorum pactorum, legum fundamẽtalium aut conſvetudinum, in ſubeundis Magiſtratibus obſervanda ſunt, accuratior notitia & ad retinenda ea inclinata voluntas.

§. VI. Impedimenta autem ſunt neglectus motivorum, animus ambitioſus aut avaritiæ deditus, quippe non tam labores imperandi, quàm ſplendorem & reditus ſpectat, denique eorum, quæ vi antiquorum pactorum & conſvetudinis valere debent, rationem vel nullam vel exiguam habet.

Cap. II.

SECTIO II.

De Ipſa Adminiſtratione Magiſtratus, & ſpeciatim

De officio Magiſtratus civilis circa Sacra.

§. I.

CUm Magiſtratus officium generaliter ſpectatum in procuranda & conſervanda ſalute cùm

cùm publica totius societatis, tùm privata singulorum membrorum consistat; salus autem vera, præcipuè illa sit, qua homines cum DEO reconciliati per gratiam ejus fruuntur: certum est. Magistratum supremum primariò occupatum esse debere in cultu divino sincero ac pleno sive introducendo, sive conservando & instaurando: Quò pertinent, quæ suprà de officio Episcopali per Magistratum Politicum gerendo diximus. Hôc locô tantùm, quòd Magistratus in propugnanda vera Religione uti debeat mediis ejusmodi, quæ non solùm etiam conscientias hominum maxime convincunt, à violentia autem & crudelitate sunt aliena.

§. II. Contra autem tot modis hîc peccatur, quot modis suprà jurium Episcopalium abusus occurrere posse & solere vidimus; speciatim etiam, quando vel diversæ Religiones, licet ad unam veram redigi possit Civitas, tamen tolerantur & foventur cum præsentissimo animarum periculo; vel quando in Religionis veræ introductione aut instauratione vis potius, quàm debita & sufficiens conscientiarum informatio adhibetur.

§. III. Motiva, media atque impedimenta hîc ferè eadem sunt cum iis, quæ suprà circa officium eorum, qui jura Episcopalia habent, vidimus; speciatim quod attinet ad veræ Religionis pro-

propagationem sine violentia, sed mediis his, quæ conscientias informando obligant, tentandam & perficiendam; motivi rationem habet ipsa natura Religionis, scilicet secundum intellectum ex revelatione speciali illuminatum sponte præstandæ, quodque conscientiarũ Dominus nemo nisi solus Deus est; præterea verò etiam, quantum fieri potest, Respublica absque contagio falsarum Religionum in vero DEI cultu servanda sit, hinc inprimis constat & motivi rationem petit, quòd, uti jam pridem ostendit Paulus, 1. Cor. III. 5. & 6. ea est natura veræ Religionis, ut vel uno adsperso errore tota corrumpatur, quemadmodum pauxillum fermenti totam massam occupat.

Cap. II.

SECTIO III.

SUB-SECTIO II.

De

His, quæ præter curam Sacrorum ad officium Magistratus pertinent.

§. I.

AD promovendam salutem cùm publicam totius Civitatis, tùm privatam singulorum, incumbit Magistratui civili, ut Leges honestas ac salutares, quibus ea, quæ in jure naturæ generaliter continentur, ad certas circumstantias cau-

causasque particulares, pro ratione status Reipublicæ, adeoque etiam ad ea, quæ aliàs in se indifferentia sunt, determinanda applicentur; perspicuè consignatas promulgari faciat, aut antea latas & porrò profuturas conservet; vel mutatis interim circumstantiis temporis & status Reipublicæ, nonnihil corrigat; ipse etiam actiones suas ad legum formas, quantum fieri potest, componat: præterea ut causas & controversias civiles accuratè cognoscat, cognitas secundum conscientiam ita juxta Leges decidat, ut suum cuique tribuatur, injuriæ ab innocentibus auferantur aut arceantur, improbis pœnæ, delictis juxta circumstantias quaslibet prudenter æstimatis, proportionatæ infligantur; onera ad explendam Reipublicæ necessitatem subditis vel peregrinis commercium habentibus imponenda, juxta æquitatis regulam, atque ita, ut adhibitâ prudentiâ sic imponantur, ut levius ferri possint, distribuat; denique ut adversus hostes externos defendat Civitatem, ac si aliàs injuriæ propulsari, aut, quæ ablata sunt, repeti nequeant, etiam bello piè & observatâ accuratè militari disciplinâ, itemque eo, qui etiam hostibus debetur, candore & clementiâ, utatur.

§. II. Ex adverso autem multis modis hîc peccatur v. gr. quando Magistratus fert Leges improbas, aut ad statum Reipublicæ non quadrantes, aut ambiguas; item cum Leges honestas quidem & salutares non ita promulgari facit, ut

ad

ad subditorum notitiam sufficientem pertingere possint; item quando Leges utiliter servandas temerè mutat aut abrogat; præterea, quando in his, quæ Legibus præscribuntur, ipse sine causa in suis actionibus aliam viam ingreditur; similiter, quando in judiciis vel causæ non cognoscuntur accurate, vel partium studiô iniquè deciduntur, vel contra conscientiam fertur sententia; item, cùm in Civitate permittitur, ut fraudibus & dolis, contumeliis aliisque injuriis alter alterum lædat, & quando injuriæ non vindicantur; porrò quando in delictis puniendis æstimatio eorum negligitur, vel delictis æstimatis non inferuntur pœnæ proportionatæ, sed vel nimis asperiores vel leviores; ulterius, quando onera imponuntur non tam ex necessitate Reipublicæ, quàm ad explendum luxum vel avaritiam: item quando in imponendis oneribus non parcitur his, qui propter merita eximi debebant, aut cùm æqualibus inæqualia, inæqualibus æqualia imponuntur; denique cùm vel temerè suscipitur bellum, vel rectè susceptum non geritur piè, aut sine disciplina militari, aut legibus humanitatis & Clementiæ obliteratis; imò etiam cùm defensio necessaria & justa cum damno Reipublicæ intermittitur aut segnius peragitur.

§. III. Motiva, media atque impedimenta hîc eadem recurrunt, quæ suprâ de præparatione ad officium Magistratus rectè gerendum vidimus. Nam argumenta, quæ ad præparationem rectam movent,

movent, eadem movere possunt ad rectam officii administrationem, ad quam respiciebat præparatio illa. Virtutes autem mentis & morum, quibus se homo Christianus ad officium Magistratus præparare debuit, præterea medii rationem habent ad officii ipsius partes laudabiliter explendas; vitia verò, quæ rectæ præparationi opponuntur, quoties in Magistratu locum habent, aut sese exerunt, profectò impediunt legitimam muneris functionem.

CAP. II.

SECTIO IV.

De Discessu ab officio Magistratus.

§. I.

QUi Magistratus officium suscepit, non solùm cavere debet, ne propter vitia administrationis, vel alia quædam, removeatur ab officio, sed & operam dare, ut firmo animi robore & constantia superet molestias & adversitates, quæ forte ad deponendum officium rectè & utiliter gestum movere possunt; adeoque potius in officio suo maneat. Quodsi autem vel per ætatem, vel morbum, vel alias causas, infirmiorem se gerendo officio, alios autem aptiores viderit; item si discessu suo pericula aut ruinam Reipublicæ præcaveri posse intellexerit; rectè faciet,

faciet, cùm officium Magistratus sponte resignaverit. Similiter etiam in alienatione imperiorum attendendum est ad Leges fundamentales & vim pactorum, ne aliquid cum detrimento communitatis mutetur; denique ab inferioris gradus officio ad sublimius tunc demùm rectè adspiratur, si quis & se sublimiori isti aptum esse, & viâ legitimâ id obtineri posse, interim inferiori officio non defuturum idoneum administratorem, certus sit.

§. II. Itaque ex adverso primùm peccatur, quando inferiores Magistratus per malam administrationem officii, aut vitam scandalosam, causam præbent, ut ab his removeantur; aut quando Magistratus etiam supremi per tyrannidem populum adversus se excitant, ut, licet per injustam rebellionem, de solio deturbentur; item quando, qui Leges fundamentales violant, hôc ipsô Proceres movent, ut violatores deponant; deinde peccatur, quando, qui utiles possûnt esse Reipublicæ, molestias & adversitates fugiunt, & officium legitimè susceptum & gestum, intempestivè & præsertim cùm ipsis maximè opus habet Respublica, deserunt; porrò, quando qui ad gerendum Magistratum planè impares facti, etiam invitis populo & Proceribus officium sic retinent, ut Civitas interim laboret: aut qui, cùm intelligant, manentibus se in officio damnum Reipublicæ ingens expectandum, malunt tamen pericula publica non impedire, quàm de digni-

dignitate sua aut honore remittere; præterea quando imperia aut ditiones alienantur contra Leges fundamentales & pacta, cum damno Reipublicæ totius; denique quando ab inferioribus Magistratibus ad superiorem gradum transire nituntur vel minus apti aut digni, vel qui aliorum ruinas procurant, vel officium antea gestum malis administratoribus relinqvunt, ut interim ad majores opes honoresve pertingant.

§. III. Motiva h. l. sunt I. Mandatum DEI partim de Vocatione & de manendo in Vocatione, partim de officio juxta Vocationem sincerè & ad utilitatem aliorum administrando, partim de explorandis viribus suis, quoad suscipienda negotia. II. Exempla Sanctorum. III. Ipsius officii Magistratus ratio & scopus. IV. Rectè agentium præmia & peccantium pœnæ.

§. IV. Media & impedimenta ex ante dictis facilè constant.

CAP. II.

SECTIO V.

De Officio Subditorum.

§. I.

SVbditorum officium est orare pro Magistratu, honorem debitum, cùm interna animi observantiâ, tùm signis externis exhibere; præterea

subjectionem & obedientiam præstare secundum Leges quaslibet, justas quidem & voluntati divinæ convenientes; Item, quæ ad defensionem Patriæ aut Reipublicæ ipsorumque imperantium salutem requiruntur officia, libenter & vel cum periculo subire; tributa & vectigalia non tàm patienter, quàm libenter solvere; denique etiam nævos imperantium & gubernationem asperiorem christianô animô tolerare.

§. II. Pugnat autem cum vero officio subditorum, quando ab his Magistratui denegatur honor debitus, aut obsequium Legibus justis & salubribus præstandum, aut preces pro ipsius salute fundendæ omittuntur; similiter, quando in defendendo **Magistratu** totoque Reipublicæ corpore, aut segniores, aut dimidiores, aut minus fideles sunt subditi; præterea, quando in solvendis tributis aut vectigalibus sive ex parte, sive ex toto se subducunt oneribus subditi; item quando nævos Magistratus exaggerant & propterea vel contemnunt, vel seditione excitatâ affligunt Magistratum; denique si Magistratûs præceptis iniquis & cum voluntate divinâ pugnantibus, obedientiam tamen præstant.

§. III. Motiva veri officii Subditorum diligenter observandi sunt I. Mandatum DEI. II. Exempla Christi & Sanctorum. III. Rectè agentium præmia. IV. Peccantium pœnæ.

§. IV. Media, quorum beneficio subditi ad explendum officium suum pertingere possunt, sunt

sunt præcipuè motivorum consideratio, adeòque & animorum ad ipsius DEI cultum pia & constans inclinatio; item honesti potius, quàm ejus, quod est utile aut jucundum, amor, & speciatim in ipsa educatione acquisita formæ Reipublicæ observatio & morum ad rationem illius conformatio.

§. V. Impedimentorum autem rationem habent, quæcunque istis opponuntur v. g. contemtus Numinis, avaritia, voluptatum corporalium amor aut desiderium & hinc nata mollities, neglectus formæ Reipublicæ; quibus addimus auscultationem hominibus turbulentis & seductoribus præbitam.

Cap. II.

SECTIO VI.

De

Officio Consiliariorum.

§. I.

QVi Consiliarii munere rectè fungi vult, eum oportet accedere bene præparatum & afferre animum Deo & cultui ejus sincerè deditum atque Reipublicæ amantem, imò acquisitam peritiam rerum civilium cùm in genere, tùm in specie quoad eam Rempublicam statumque ejus, cui consulturus est, nec minus quoad externas nationes, cum quibus negotia Reipublicæ isti intercedunt; denique ut sit dominus suorum affe-

ctuum & ut animô prudenti præsentia cognoscere, futura prævidere, adeoque ad salutem publicam media conducibilia invenire ac suppeditare possit. Deinde postquàm ad officium legitimè accessit, nunc consilia ipsa præmeditatè & sine inordinatis affectibus, circumstantiisque omnibus accuratè cognitis, dare & moderari debet, ut ad salutem publicam Deique gloriam vergant; speciatim ut verax sit atque adulationis expers, & tamen nonnunquàm potius flexu quàm directè rem agat; denique ut taciturnitatem præstet, & consilia, antequàm effectum consequantur, tegere aut honestè dissimulare sciat.

§. II. Peccatur igitur, quando officium Consiliariorum aut ambiunt, aut oblatum suscipiunt homines imperiti, rerum civilium & status Reipublicæ ignari, aut saltem quoad invenienda media gerendarum salutariter rerum civilium minus habiles aut prudentes; aut quando ad muneris istius administrationem non afferunt animum pium & Religionis sinceræ ac Reipublicæ amantem, sed contemtorem Numinis, aut sui tantùm honoris aut opum augendarum cupidum; deinde quando in ipsa functione temerariè aut præcipitanter, aut calido nimis & acri impetu potius, quàm maturô judiciô feruntur consilia, vel talia dantur, quæ scit salutaria non esse, adeoque perfidè agit; denique cùm consilia data non retinentur secreta, sed temerè & cum damno aut periculo Reipublicæ effutiuntur ac propalantur.

§. III.

§. III. Motiva, media & impedimenta facilè hîc intelliguntur ex analogia eorum, quæ de officio Magistratus diximus. Notanda tamen sunt exempla Consiliarii Josephi prudentis pariter ac felicis Gen. XLI, 33. 39. usque ad fin. Cap. XLV, 16. seqq. C. XLVII, 14. &c. item exemplum Zachariæ, qui laudatur I. Chron. XXVI, 14. seq. & Jonathæ Patrui Davidis C. XXVIII, 32. simul etiam exemplum Achitophelis perfidi 2. Sam. XV, 12. 31. &c. C. XVI, 21. seqq. & C. XVII, 1. 14. 15. 23.

Cap. II.

SECTIO VII.

De

Officio Advocatorum.

§. I.

QVi Advocati munere honestè & ut Christianum decet, fungi vult, eum accedere oportet instructum peritiâ eorum, quæ ad processum fori civilis pertinent, atque adeò non solùm Legum, sed & eorum, quæ ad causarum Legibus conformium bonitatem ostendendam, objectiones & exceptiones solvendas, adeoque & refutandas, quæ partem oppositam tuentur, gnarum; inprimis etiam afferre animum pium & justitiæ charitatisque erga proximum tenacem. In ipsa autem functione officii requiritur ab Advoca-

vocato, ut, cujus causam acturus est, ab eo quoad circumstantias causæ singulas accuratius informari se patiatur aut postulet, moneat etiam de veritate sine fuco indicandâ; adeoque eam demum causam tractandam suscipiat, cujus justitiam aut planè certò, aut saltem probabiliter cognitam habet; deinde in tractanda ista causa diligentiam, fidem & solicitudinem, quantum potest, adhibeat; contentus etiam sit salario aut pretio laboribus respondente & charitatis lege temperato, præsertim quoad pauperiores; Denique det operam partim ut, quantum fieri potest, processus mox absolvatur, & sumtibus partis suæ consulatur; partim ut inter partes litigantes, non obstante processu forensi, charitas tamen christiana servetur. Quodsi forte deprehenderit Advocatus in progressu tractandæ causæ, injustam eam esse, quam anteà justam putavit, conscientiæ suæ sic rectè consulet, si à causæ tractatione ulteriore abstineat & clientem de ejus injustitiâ moneat, atque, ut desistat, suadeat.

§. II. Peccatur autem, cùm ad officium Advocatorum accedunt homines imperiti & causarum ac processûs civilis minus gnari, aut ingenio hebetes & in tractandis, seu voce, seu calamo, negotiis forensibus non expediti; item qui non afferunt veram pietatem & proximi amorem. Deinde in ipsa functione peccatur, cùm Advocatus vel accusationem vel defensionem partis

suæ

suæ ex defectu præcedentis accuratioris cognitionis circumstantiarum ineptè profert aut obscurius, & ut à judice non satis intelligi queant momenta rei; vel cùm rationes firmæ omittuntur & imbecilliores, quæ causam suspectam reddunt, adducuntur: Præterea, cùm termini à judice definiti seu stata tempora negliguntur & processus cum damno clientis protrahitur: Similiter cùm per vehementiam styli aut infectationem partis adversæ lis ex lite seritur: Nec minus quando, ad mercedem largiorem consequendam, processus citius finiendus longius protrahitur. Imprimis etiam, quando causa, quam injustam esse constat, tamen agitur, propugnatur ac defenditur, quando clientes ad neganda, quæ commisisse eos certum est, impelluntur, aut, quod hoc faciunt, probatur: Item, cùm Advocatus utriusque partis causam simul agit, si non directè, saltem indirectè; quando porrò mercede aut salario justo vel æquô non contentus est. Denique peccatur, si Advocatus clientem, cùm maximè ipsô opus habet, deserit.

§. III. Motiva rectæ præparationis ad officium Advocati sunt generalia illa, sufficientem præparationem ad quodvis officium commendantia & urgentia. Quoad exhibendam autem in ipsâ functione probitatem, fidem, diligentiam, & in accipiendâ justâ mercede, liberalitatem, imprimis militat dictum Christi Matth. VII, 12. Accedunt dicta Levit. XIX, 13. XXV, 17. Promissio-

missiones autem rectè agentibus factæ imprimis peti possunt ex Psalm. XV, 1. seq.

§. IV. Media quæ ad rectam præparationem faciunt, præter ea, quæ aliàs ut media pietatis & virtutum, quæ hominem Christianum dirigunt, media esse diximus, hôc loco sunt exploratio virium ingenii, informatio ab eruditis Præceptoribus attentè & diligenter accepta; exercitatio etiam, partim quoad colloquium cum his qui causas forenses intelligunt, partim actuum ejusmodi, qui ad officium istud pertinent, velut privata aut præliminaris exercitatio. Quoad ipsam muneris functionem, sicuti antecedens præparatio medii locum habet, ita speciatim huc pertinent consideratio status & eorum, quibus serviendum est, & partis adversæ, ut & judicis & cæterorum, qui causarum in foro actarum Censores esse possunt aut sunt.

§. V. Impedimenta sunt quæcunque mediis his opponuntur.

PARTIS SPECIALIS THEOLOGIÆ MORALIS

CAP. III.

DE STATV OECONOMICO SIVE DOMESTICO ET OFFICIIS HOMINVM AD ILLVM PERTINENTIVM.

SECTIO

SECTIO I.

De Statu Conjugali & speciatim de legitimo ingressu Conjugii.

SUB-SECTIO I.

§. I.

QUi Conjugium legitimè & ut Christianos decet, ingressuri sunt, eos oportet non tantùm esse habiles ad fines conjugii obtinendos, partim ratione animi, partim ratione corporis; verùm etiam precibus ad Deum fusis ac deinde accedente sufficiente deliberatione & consideratione non solùm quoad eligendum conjugem, sed & reliqua, quæ ad conjugium pium & felix requiruntur; denique liberô consensu tam mutuô ipsarum partium contrahentium, quàm, si quos [illegible] habent, Parentum, ad ineundam hanc societatem conjungi. Cavendum etiam est, ne jungantur quorum copulæ propinquitas sangvinis obstat. Denique petenda quoquè ac devotè suscipienda est benedictio sacerdotalis, ac multò magis ab aliâ impura libidine & commixtione abstinendum est.

§. II. Malè igitur fit, si conjungantur velut matrimoniali vinculo personæ inhabiles & vel mente capti, vel qui ad debitum conjugale præstan-

dum inepti sunt, aut saltem naturæ rationali convenienter procreare liberos non possunt; item, si Conjugium inituri preces negligant, si temerè in eligendis Conjugibus aut ineundo contractu rem gerant; vel temporalia tantùm, inprimis opes, aut honores, aut voluptates spectent; si liberi contra voluntatem Parentum ineant Conjugia; aut contrahentium pars altera alteram decipiat verbis aut signis mendacibus, vel consensum vi ac minis extorqueat; similiter si persona, quam propinquitas sangvinis duci prohibet, tamen ducatur; item si benedictio Sacerdotalis vel planè negligatur, vel ante eam copula carnalis locum inveniat; denique si vel aliàs pravis libidinibus ante Conjugium sese polluant, qui illud ingressuri sunt, aut præter unum etiam aliis aut pluribus se despondeant.

§. III. Rationes motivæ præcipuè petuntur I. A Mandato DEI. II. A natura & fine ipsius conjugii. III. Exemplis Sanctorum. IV. Præmiis rectè agentibus, malis autem his expectandis, qui malè rem hîc egerunt.

§. IV. Media legitimi ingressus sunt præter motivorum observationem illæ cumprimis virtutes, quibus homines ad Cultum DEI directum, reverentiam erga Parentes & vitam honestè ducendam ordinantur: speciatim castitas, laboris patientia, consiliorum alienorum prudentum & gravium æstimatio & obsequium.

§. V. Impedimenta sunt, quæcunque his opponun-

ponuntur ; inprimis cupido bonorum temporalium, voluptatum corporis, honoris atque opum, unde homines cœco potius impetu ruunt in Conjugia, aut Conjugiis pro modo acquirendarum rerum terrenarum utuntur, quàm ut legitimè illud ingrediantur.

Cap. III.

SECTIO I.

SUB-SECTIO II.

De Officio Conjugum.

§. I.

QVi Conjugio jam sunt copulati, obligati sunt ad officia, alia quidem communia marito pariter & Uxori, alia verò marito & Uxori propria. Ad officia communia pertinent conjunctio animorum, corporum & facultatum. Ad officia marito propria pertinet protegere Uxorem & defendere à vi & injuriis, item consiliis & monitis eam prudenter & svaviter regere, necessaria hujus vitæ procurare illi, denique conversatione blanda eam recreare. Uxoris est honorare maritum eidemque obedire, rei familiaris curam habere & maritum, quantum fieri potest, immunem reddere à sensu molestiarum curas graviores impediente aut sanitatem lædente.

§. II.

§. II. Opponitur autem vero officio Christianorum Conjugum, primùm quidem, si Conjugem alterutrum fastidium alterius capiat, aut si odio eum prosequatur, inprimis si vel verbis ignominiosis, vel etiam factis eum affligat, aut insidias struat; item si debitum conjugale vel morosè deneget, vel importunè postulet, aut in usu conjugali excedat, maximè si potestatem sui corporis alteri faciat, aut à Conjuge suo fieri permittat; imò si conjunctione corporum non tam procreationis liberorum gratia aut ad excludendas ustiones, verùm voluptatis tantùm gratia utatur; denique si Conjux alteruter facultatum sibi propriarum usum honestum & necessarium deneget conjugi, aut facultates conjugis cum damno ejus ad se trahat aut dilapidet vel corrumpat. Speciatim peccat maritus, si Uxorem, cùm opus est, non protegat, consilia & monita salubria non communicet, errantem non corrigat, aut in correctione vel gravitatem decentem omittat, vel nimis asper & durus sit & forte ad verbera usque progrediatur, cùm vel delictum Uxoris tantum non sit, ut hanc castigationem mereatur, vel ipsam verberibus emendatum iri spes esse nequeat; similiter si maritus Uxorem ægrè patiatur, & vel parare cesset necessaria, vel, quæ præstò sunt, deneget Uxori, imò etiam si Uxori prodigæ nimis indulgeat, neque in futurum consulat; tandem satis si in conversatione quotidiana morosum, austerum atque agrestem se præbeat,

beat, vel intempestiva urbanitate atque adeò levitate animi autoritatem suam vilem reddat. Uxor speciatim peccat, quando marito honorem debitum, ejusque signa externa non exhibet; aut ultra, quàm patitur vitæ genus, honore inepto potius, quàm congruo afficit; item si obedire marito recuset, vel etiam illi imperare ausit; similiter si negligentior sit in curanda re familiari, & vel luxu & pompâ vel inertiâ suâ eam minui faciat; tandem etiam, si molestiis, quæ forte accidunt, ad maritum devolutis, inutiliter eum affligat.

§. III. Motiva sunt I. Mandatum DEI. II. Exempla Conjugum sanctorum. III. Ipsius Conjugii relatio ad finem suum. IV. Officio rectè fungentium præmia & peccantium pœnæ.

§. IV. Media præter observationem motivorum præcipuè petuntur ex his, quæ ante & circa ingressum in matrimonium observanda suprà diximus: deinde etiam, si Conjux uterque alterius indolem rectius exploraverit, & partim condescendere illi, partim flectere in melius didicerit.

§. V. Impedimenta præter neglectum motivorum sunt peccata circa ingressum in Conjugium commissa & inprimis φιλαυτία præpostera & inordinata, denique obstinatio animi.

CAP.

Cap. III.

SECTIO I.

SUB-SECTIO III.

De

Solutione Conjugii & transitu ad nuptias alias.

§. I.

QVi Conjugium inierunt vinculo ad mortem usque firmo & indissolubili tenentur, nisi quòd in casu adulterii pars innocens divortium rectè petere potest à judice legitimo atque impetratâ licentiâ novum inire matrimonium, quanquàm & hîc aliquandô satius est condonare delictum, quàm quærere divortium; Sed & pars nocens per divortium separata neque capitali supplicio affecta, si continere non possit, matrimonium aliud contrahere potest. Cœterùm ne talia accidant & vinculum conjugii illibatum maneat, castitati conjugali utrinque danda est opera. Aliàs etiam fieri potest, ut Conjuges separentur quoad thorum & mensam, quod tamen divortium propriè non est, scilicet exortâ inimicitiâ incorrigibili. ubi tamen danda est opera, ne planè extingvatur charitas, licet cohabitatio continuari nequeat. Moriente autem Conjuge alterutro potest Conjux superstes aliud inire Conjugium; sed tamen operam dare debet, ut partim prioris Conjugis non nimis citò deme-

minisse

miniſſe videatur, verùm etiam liberorum ex priore Conjuge ſuſceptorum curam honeſtam & ſufficientem retineat. Et quia aliquandò fit, ut alteruter Conjux Conjugem ſuum malitiosè deſerat, adeoque hôc ipsô rumpat vinculum Conjugale auſu improbo; poteſt parti deſertæ à Judice competente concedi poteſtas novum ineundi matrimonium, ſic tamen, ut nec illic nec hic nimis properetur ad ſecundas nuptias & in contrahendis nuptiis ſecundis honeſtè & piè omnia fiant.

§. II. Itaque peccatur non ſolùm ab illis, qui more Judaico Uxores ob quaslibet cauſas repudiant & alias ducunt, verùm etiam quando per adulterium, quò etiam referimus Polygamiam, cauſa divortio præbetur; item quando durior eſt pars læſa, quàm ut parti offendenti, quæ veniam merebatur, concedere eam velit; ſimiliter cùm Conjux Conjugem malitiosè deſerit; aut cùm alteruter adeò moleſtus & intolerabilis eſt alteri, ut vel invitum ſecedere compellat; porrò cùm antequàm malitioſæ deſertionis crimen notorium factum & proceſſus finitus eſt, aliud contrahitur matrimonium. Imò & illi peccant, qui vel ſeparationi quoad thorum & menſam moribus ſuis improbis occaſionem aut cauſam præbent; denique qui poſt mortem Conjugis juſtò citius & cœcô potius affectu, quàm maturô conſiliô ad ſecundas nuptias transeunt; magis etiam illi, qui vivente adhuc Conjuge

juge de futuro Conjugio post mortem ejus ineundo cum persona alia seu plenè contrahunt, seu spem tantùm faciunt.

§. III. Motiva cavendi omnem inordinatum discessum à Conjugio sunt I. Mandatum DEI. II. Exempla Sanctorum. III. Ipsius Conjugii ratio & dignitas. Motiva autem Conjugium novum ab his, quibus denuò contrahere licet, non nisi piè, honestè adeoque justâ intercedente morâ & maturô consiliô ineundi sunt itidem I. Mandatum DEI. II. Exempla Sanctorum. III. Ea, quæ aliàs circa Conjugii ingressum observari debent.

§. IV. Media & impedimenta hîc eadem sunt quæ suprà Sectione I. & II. vidimus.

Cap. III.
SECTIO I.
SUB-SECTIO IV.
De
Officio Viduarum.

§. I.

PRæter ea, quæ quoad transitum ad secundas nuptias post mortem Conjugis observanda diximus, Viduarum officium est, vivere desolatam, sperare in Deo & precibus publicis privatisque constanter esse addictam.

§. II.

§. II. Peccant igitur Viduæ, quæ vel apertis lasciviæ indiciis, aut conversatione tali, quæ suspicionem pravæ libidinis præbere potest, item luxu vestium, otio, garrulitate aut πολυπραγμοσύνῃ sese contaminant: item quæ non tàm in Deo, quàm rebus humanis fiduciam ponunt, quæque negligunt preces privatas cultumque publicum, aut saltem minus ardenter ac devotè peragunt.

§. III. Motiva sunt I. Mandatum DEI. II. Exempla Viduarum sanctarum. III. Præmia rectè agentibus & pœnæ peccantibus destinatæ.

§. IV. Mediorum rationem habent tum quæ suprà in Parte generali de Virtutum istarum cultu diximus, tùm consideratio status Viduitatis & motivorum memoratorum, atque inter ea occurrentium exemplorum.

§. V. Impedimenta sunt, quæcunque mediis indicatis opponuntur.

Cap. III.

SECTIO II.

SUB-SECTIO I.

De

Officio Parentum Christianorum.

§. I.

PArentum Christianorum officium est, procurare, quantum in ipsis est, salutem liberorum temporalem atque æternam. Speciatim requiritur, ut fœtuum conceptorum rationem mox habeant eamque diligentem, ut sani ac vegeti in lucem edantur, interim DEO per preces ardentes, etiam cùm adhuc in utero materno sunt, commendentur; postéa in lucem editis non solùm suppeditentur, quæ tenellis corporibus necessaria atque utilia sunt, & quæ noxia sunt, arceantur, verùm etiam inprimis & sine mora non necessaria ad Baptismum afferantur; porrò, ut lacte sano, ac, si fieri potest, materno, cibisque & potu dehinc alio eoque salubri nutriantur & necessario atque honesto vestitu tegantur: Quoad animum verò, simul ac usus rationis sese exerit, ad exercitia pietatis privatim ac publicè frequen-

quentanda, adeoque ad preces & cantiones sacras, dicta Scripturæ Classica atque emphatica, præcepta item catechetica discenda ac devotè & intelligenter reddendas assveſiant; crescentibus autem annis magis magisque ad profectum fidei & cognitionis rerum sacrarum perveniant; præterea ut ad cultum honestæ scientiæ vel artis pro capacitate ingeniorum & juxta id, quod familiam decet, filiæ verò inprimis ad curam rei familiaris perducantur; ideoque sumtus, quantum necesse est, suppeditentur; mores etiam liberorum ad quasvis Virtutes, tùm omni hominum generi communes, tùm Christianis proprias, quin & ad cœtera, quæ licet ex se indifferentia forte sint, homines tamen in conversatione honesta amabiles aliis reddere possunt, efformentur; inclinationes inordinatæ observentur atque emendentur, consortia prava omnesque occasiones peccandi solicitè impediantur vel auferantur, aut si tolli penitus nequeant, tamen animi liberorum, ne corrumpantur illis, præmuniantur; peccata admissa pro ratione gravitatis eorum & indolis peccantium seu dictis severioribus, seu castigatione reali, non tamen sine mansvetudine debita, puniantur; denique in maturiore ætate liberorum de functione honesta, ipsis impetranda, Conjugioque pio & salutari ineundo prospiciatur, consilium etiam & auxilium ad res bene gerendas, quoties opus est, pro virili præstetur, &, si fieri queat, hæreditas honesta relinquatur.

§. II. Totidem ergo modis vel etiam pluribus peccare ex adverso possunt ac solent Parentes, quando videlicet salutem liberorum temporalem atque æternam non promovent, quantum in se est, aut temporalem immoderata solicitudine sic procurant, ut æternam negligant. Speciatim peccatur, si Parentes fœtuum conceptorum curam sufficientem non habeant, sed antequàm illi in lucem edantur, intercedentibus seu violatæ dietæ seu aliis vitiis, morbos aut membra distorta aut mortem liberis attrahant; item si preces pro illis ad DEVM facere negligant; si puerperæ vel ipsæ ex quadam temeritate aut mollitie, aut affectu alio inordinato se & infantes negligentius tractent; aut maritus, quæ necessaria sunt, deneget, aut si alia ratione in periculum eos conjiciant; porrò, si Baptismum infantibus jam natis conferendum forte propter apparatum & pompam nondum completam, justò diutius differant; si Mater, cùm possit, lactare infantem nolit, aut nutricem moribus & corpore minus sanis adsciscat; si cœtera, quæ ad curam corporis necessaria sunt, Parentes non suppeditent; imò verò etiam peccatur, si intempestiva cibi & potus seu nimii seu delicatioris, itemque vestitus pretiosioris aut ad pompam quoquo modo compositi concessione ad intemperantiam & fastum materia præbeatur liberis; Præterea verò ad peccata pertinet, si teneri liberorum animi vel planè non exerceantur in his,

his, quæ ad cultum Dei pertinent, vel frigidè aut sine devotione ista tractari permittantur; si rudes & indocti relinquantur, aut ad artes non tam utiles, quàm curiosas, aut ultra capacitatem ingeniorum suorum, aut sine certa firmitate aut continuatione laboris vagô studiô ad studia aut artes tractandas perducantur; vel nimiô rigore, aut morositate amor studiorum & cupido discendi retundatur, ut fastidium discendi oriatur: Quoad mores etiam speciatim, si inclinationes liberorum in prima ætate non observentur, neque, quod inordinatum in illis est, corrigatur, sed plusculum indulgeatur, ut magis magisque obfirmentur animi in desideriis pravis; si occasio peccandi vel à Parentibus ipsis suppeditetur, vel aliunde oblata non auferatur; si peccata admissa vel planè non, vel non eâ, quâ par est, severitate puniantur; denique si adspirantibus liberis ad honestam functionem vel objiciantur obstacula, vel denegentur consilia & auxilia debita; si imprudentibus liberis Conjugia temerè inire permittantur, aut maturô & prudente consiliô expedita sine causa gravi difficilia reddantur aut impediantur; vel aliàs, cùm opus est, paternâ auctoritate & operâ vel talia præstare recuserur, vel tardius ea exhibeantur; nec minus, si quæ ad liberos honestè transferri poterat hæreditas, seu intercedente prodigalitate, seu invidiâ & odiô liberorum minuatur aut plenè auferatur.

§. III. Motiva h. l. sunt I. Mandatum DEI. II. Exempla Sanctorum. III. Rationalis σκοπὸς. IV. Officij paterni dignitas. V. Rectè agentium præmia & peccantium pœnæ.

§. IV. Media h. l. sunt præter considerationem attentam motivorum præcipuè ea, quæ de recto ingressu in matrimonium suprà diximus; ac porrò solicitudo Parentum quotidiana, quâ exactius cognoscant indigentiam & statum liberorum, & media explendi illam vel ipsi Parentes, vel alius prudentibus Viris in consilium adhibitis, inveniant, obtineat; item actionum propriarum honestas & ab omni scandalo remota puritas; denique si Parentes auctoritatem suam vanis ac ludicris actionibus non prostituant.

§. V. Impedimenta sunt neglectus motivorum, & præter ea, quæ pugnant cum legitimo & prudente ingressu in matrimonium, etiam ea, quæ præposteram in augendis opibus curam aut securitatem in actionibus vitæ quotidianis, vel vanitatem quandam aut vitia alia important.

CAP.

Cap. III.

SECTIO II.

SUB-SECTIO II.

De Officiis Liberorum.

§. I.

Liberorum officia sunt, amare Parentes ardenter & constanter; honorare eos non solùm interno animi cultu, verùm etiam externis actibus & signis verborum & gestuum; obedire etiam præceptis omnibus parentum, in quibus nihil adversus legem naturæ aut divinam continetur, & obedientiam promtitudine ac solicitudine exequendi jussa illa testari; imò etiam ferre nævos parentum, præsertim seniorum; denique suppeditare & his alimenta & vestitum in casu necessitatis, idque sponte ac liberaliter.

§. II. Peccant ergo Liberi, qui Parentes vel odio prosequuntur, vel amorem eorum amori aliarum rerum, præsertim quæ jucundæ potius sunt, quàm honestæ, postponunt, aut certè non satis constanter eos amant; Item qui vel apertâ ignominiâ verbis, gestibusque declaratâ afficiunt Parentes, vel alias contemnunt, ac sè pro-

pter perfectionem quamlibet præstare Parentibus aut æquales illis esse putant; vel etiam signa honoris debita iis non exhibent: Porrò, qui honesta & salubria mandata Parentum non exeqvuntur, vel minus promtè, aut ofcitanter & perfunctoriè jussa expediunt: Imò verò etiam, qui obediunt præceptis parentum cum lege divinâ aut naturali pugnantibus: Peccant etiam, qui suâ prodigalitate aut fastu sumtus justô majores parentibus faciunt; Qui nævos parentum vel exaggerant, vel divulgant, vel non ita, ut par erat, tegunt, excusant & ferunt: Denique, qui parentibus egenis alimenta denegant, aut minus libenter & parcius præbent.

§. III. Motiva hoc loco, quoad verum liberorum officium sunt I. Mandatum DEI. II. Exempla Sanctorum; III. Officii hujus decor & præmia IV. Oppositorum vitiorum dedecus & pœnæ aliæ.

§. IV. Media sunt quotidiana observatio motivorum, & pietas erga Deum sincera; abstinentia à conversatione pravâ, & cogitatio de eôdem statu paterno aliquando ineundô.

§. V. Impedimenta sunt quæcunque mediis opponuntur, & imprimis vana præsumtio de suâ velut præmanturâ sapientiâ.

CAP.

Cap. III.

SECTIO III.

SUB-SECTIO I.

De Officio Dominorum & Dominarum.

§. I.

QVi in societate domesticâ servitio aliorum utuntur, meminerint, officii sui esse, ut servis seu famulis & ancillis æquos sese præstent, in impositione laborum; prudentes quoad directionem eorum; promtos item ad suppeditanda necessaria hujus vitæ & solvendam promissam mercedem; diligentes etiam ad pietatis exercitia illis inculcanda; mansvetos in castigandis illis, si peccaverint; denique benignos ad succurrendum illis, cùm auxilio opus habent, & meliorem reddendam eorum fortunam, præsertim si bene meriti fuerint.

§. II. Peccant igitur Domini ac Dominæ, quando servis aut famulis vel ancillis labores justô majores imponunt, quibus vires eorum superentur; aut cùm eos otio & inertiâ corrumpi patiuntur: Item, quando necessaria hujus vitæ denegant illis, aut promissam mercedem

cedem vel planè non solvunt, vel non integram, aut non eô, quô decet, tempore: Præterea, cùm exercitia pietatis negliguntur, aut non ita, ut oportet, inculcantur: Quando castigatio tempestivè adhibenda omittitur, aut intempestivè adhibetur, vel modus in eâ exceditur: Denique cùm ex immisericordiâ non confertur auxilium, quod præstari poterat ac debebat; nec benè meritis servitia liberaliter compensantur.

§. III. Motiva sunt I. Mandatum DEI. II. Exempla Sanctorum. III. Expectanda à DEO compensatio eorum, quæ benè aut malè circa servos ac ancillas à Dominis acta fuerunt.

§. IV. Media in considerationem motivorum maximè consistunt: nascuntur autem etiam ex eâ animi indole, quæ hominem humanæ conditionis memorem facit & propensum erga homines alios. Denique si consideretur discrimen inter servos ac dominos, saltem hodiè, vix aliunde, quàm ex fortunæ indulgentiâ majore vel minore proveniens.

§. V. Impedimenta sunt, quæcunque mediis opponuntur, ac præsertim immoderata cupiditas opum & fastus seu ambitio.

CAP.

Cap. III.

SECTIO III.

SUB-SECTIO II.

De

Servorum & Ancillarum officio.

§. I.

SErvorum & ancillarum est, honorare Dominos & Dominas non solùm internô animi affectu, verùm etiam signis externis; obsequi mandatis eorum, quoties non apparet pugnare eorum cum lege DEI; obsequi autem promtè & alacriter, ac diligenter expedire, quæ injuncta sunt; fidem etiam præstare, atque adeò non solùm conservare, verùm etiam augere, quantum in se est, rem familiarem Dominorum; orare etiam pro ipsis, & patienter ferre nævos eorum.

§. II. Peccant autem servi & ancillæ, quando honorem Dominis debitum non exhibent, aut loco honoris inferunt contumelias, sive præsentes dictis aut gestibus ignominiosis lacessant, sive aliàs calumniando detrahant dignitati eorum: Item si obsequia debita denegant, aut tardius ac perfunctoriè jussa Domini expediant,

diant, aut abrumpant operas, antequam pensum absolverint: Tum etiam si mandata injusta ad captandam Dominorum benevolentiam exequantur. Porrò, si vel lingvâ garrulâ, vel alias negligentiâ suâ perdant vel perdi patiantur, quæ conservare debebant; aut cessent augere rem familiarem, quam poterant: Si preces pro Dominorum ac totius familiæ salute facere dedignentur; aut impatientes sint quoad ferendas Dominorum correptiones aut nævos benignius interpretandos vel regendos.

§. III. Motiva veri officii servorum & ancillarum sunt I. Mandatum DEI. II. Exempla laudata. III. Rectè agentium præmia & peccantium pœnæ.

§. IV. Media ex observatione motivorum petenda sunt: juvat autem simul pietas erga DEVM, & præsentis statûs memoria.

§. V. Impedimenta sunt, quæ istis opponuntur, & maximè vana opinio de suâ sapientia, aut quòd ignominiosus sit status servilis; itemque inordinata cupiditas diteſcendi.

SOLI DEO GLORIA.

s κατ' ἄνθρωπον dispu-
ræstat.

sive TORRES, Complu-
Theologiam Moralem &
annos docuit, & in Com-
cathedræ ad 30. annos
u præfuit, apud S. Inqui-
alificatoris insuper mu-
xspiravit d. 13. Febr. 1635.
mam commentatus est,
ecundam secundæ D. Tho-
tate & Prudentia. Lugd.
que est *Summæ Theologi-*
s II. prodiit Lugduni 1634.

VIBALDUS, Toletanus,
i S. Clementis Hispano-
iæ Professor, inter alia
am moralem. Venet. 1602.

IA, ex Victoria, urbe
Pinciæ primum, mox Sal-
rofitetur, primus omni-
Scholasticam Theolo-
Thomæ inculcaverunt.
ipsius *Vasæus* Chro-
Melchior Canus LL. Theo-
V. *Bartholomæus de Me-*
in Thomam Commenta-
Enchiridii cap. I. n. 38. &
Marieta libr. XXI. Hist.
z Hist. Ord. Prædicato-
h 3 rum